Est. 28
And 3?
Vol 8?

TRACTATVS DE DEO.

AVCTORE P. GASPARE HVRTADO, MONDEJARENSI E SOCIETATE IESV, DOCTORE THEOLOGO, ET DECANO ACADEMIÆ COMPLVTENSIS, ET S. GENERALIS INQVISITIONIS QVALIFICATORE.

OLIM IN ACADEMIA COMPLVtenſi Artium liberalium publico Profeſſore, & Collega D. Ildephonſi, & in Collegio Complutenſi, & in Matritenſi Societatis Ieſu, Primario S. Theologiæ proffore.

84.

Der. Dregs Sans de Monte

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

de la Libreria del Coll° de la Compª de Jesus de Soria

CON PRIVILEGIO

En Madrid, En la Imprenta Real, Año de M.DC. LXII.

A coſta de Gabriel de Leon, Mercader de libros. Vendeſe en ſu caſa, enfrente de las couachuelas de S. Felipe.

TRACTATVS
DE DEO.

AVCTORE P. GASPARE
HVRTADO, MONDEJARENSI
E SOCIETATE IESV, DOCTORE
THEOLOGO, ET DECANO ACADEMIÆ
COMPLVTENSIS, ET S. GENERALIS
INQVISITIONIS
QVALIFICATORE.

OLIM IN ACADEMIA COMPLV-
tensi Libertatum publi[illegible] Prof. Ord. &
legia D. Ildephonsi, & in Collegio Complutensi,
& in Matritensi Sancti Iosephi Primario
S.T. Lectore primario.

Suma de Priuilegio.

TIene Licencia el Padre Gaſpar Hurtado, para poder imprimir eſte libro intitulado Tractatus de Deo, *repartido en cinco Tratados, por tiempo de diez años, como mas largamente conſta de ſu original, ſu fecha en ſiete dias del mes de Octubre de 1641. años. Deſpachada en el Oficio de Antonio Aloſſa Rodarte.*

Suma de la taſſa.

TAſſaron los Señores del Conſejo Real eſte libro intitulado *Tractatus de Deo*, à cinco marauedis cada pliego, el qual tiene ſetenta y ſie- pliegos y medio, que al dicho precio monta trecie̅tos y ochenta y ſiete marauedis y medio, ſin tablas y principios, q̅ à eſte precio mādarō ſe venda, y no mas, como mas largamente conſta de ſu original deſpachado ante Martin de Segura Eſcriuano de Camara. En Madrid à 21. de Octubre de 1641. años.

Fee de erratas del Corretor general.

Fol.7.p.1 li.1.ex potentia,d,experientia,f 8.p.2.l.29.quo ſupplex,d, quotuplex.f.10. p.2.l.12 13.aliud,d.illud,&in fin pag me,d.medio.f.15 p.1.l.16.abſolute,d.mala ab ſolute,&l.33 d.defectu f.21.p.1.l.7.cit,d.es f.26.p 2.l.17 in primũ,d.imp imis.l. & 18. ſpecie,d.ſpecies f 28 p 2.l.18.ad intellectum,d.ab intellectu.f.41.p.2.li.30. dic indiui dua.f.52 p.1.l.14.veri,d vere f 57.p.2.l.38.vnius,d.vnus.f 59 p.1.l.15.diſtinctas,d diſ tinctæ f 75.p.1.l.15.quã autẽ alicui vt,d.quod autẽ alicui eſt f.85.p.2.l.24,25.cauſalis d cauſali.f.91 p.1.l.12.reperiritũ,d.reperiri,tũ f 91.p.2.l.37.prius d.priuus.f.98 p.1.l.18 poſſibilitas,d impoſsibilitas.f.101.p 1.l 1 cogn ſcet d producit.f.112 p.1.l.29 difficultas d difficultate.f. 17.p.1.l 15 deſin re eſſe,d deſineret eſſe.l.18.deſineret,d.deſineret.f. 119.p 1.l 3.q d q 2.li.33 & efficere,d &effici & in ead lin.efficuæ,d efficere.f,121.p.2 l.13.affert,d offert.f.123.p.1.l 5.qué,d quæ f.124 p.2.l.3 habent,d.habeat,f.125.p.2 l.22.obtitd.obiecti,l.23.viri,d veri.f.126.p.1.l.29.hanc,d.an.p.2.l.4.rationes.d.rationis l.14.poſtaſius reſpectus:enim,d,poſteriusreſpectus enim f: 27 p.1.l.3.eo,d.Deo,&p.2. l.2 hic d hęc.l.24.affectione,d.effectiẽe.f. 28.p.2.l.4.efficionis,d.effectionis.l.5:e rigit,d.exigit,l 10 obiectiua,d obiecta,l.12 affectũ.d.affectus.f.129.p.1.l.11.poſuit,d. potuit,l.33 at effectio ſeu terminatam creaturarũ,d.ſeu teaminatum ad effectionem creaturarũ,p.2.l.24,operatur,d.operetur.f.131.p 1 l.37.finis,d fini,p.2 li vlt gloſſam, d.gloriam fs133.p.1.l.1 voluntatis,d.voluntatis,d.volũtati.l 15.poſsibili,d. paſsibili, p.2.l.3 eſt ſtatus,d.& ſtatu l.16.intellixerit d.intellexerit.f 135.p.2.l.3.inſtar,d.cõſtat t.137.p.1.l.3 deleat.par.nõ f 139 p.1.l.10.intellectuarẽ,d intellectualẽ,l 12 extrinſe cus,d extrinſecas,& l.18 poſſeſsio,d poſſeſſo,l.30 admittatur,d.abmittitur,l.35.cuiuſ cũq;d.cor.f,143.p.1.l.29.30.obligatione pugnat,d obligatio repugnat,p 2,li.vl ſeruat, d,ſeruet.f.144 p.1.l.20,amplexã,d amplexũ,p.2.l.13.eo mitanter,d.comitãter;f 147.p. 1.l 34.& hęrogeũ,d,eterogeneũ f.148.p.1.l 40 indicat,inclinat.f.149 p 1.l.25.propor tioné,p.2.l 31 dicti,d.lucæ.f,150.p.2.l.1 atentione,d.intentioneI 2.es,d.res f 156.p.2 l. 5.ſimpliceter,d:ſimpliciter.f 160.p 2.l.2 poſtea,d,poſtea,f.161.p.2.l 12.ad,d id f.166 p.1.l.15.ipſum,d.contra ipſum f.167.p.1.l 1.illi,d illis.f.168.p 1.l.5.cõmun.d.cõmuni ter,f 174.p.1.l.13.nõ eſſe,d,eſſe.l 18.poſt par peccati addenõ eſſa effectum prædeſtina tionis,&merito quia permiſio peccati,f 177.p.1.l.19.aliqua,d aliqua cauſa f.181.p.1.l. 34.Fulgoſ.d.Fulgẽtij.f.184 p.1.l.11.Proſperij,d.Proſperi f.189.p.1.l.30.remouet,d.re mouens,p.2.l.19.ſciendã,d ſecundã l.22.nullã,d nullũ f.192.p.1.l.2.cõſonare,d.cõſona re.f.197 p.1.l.3 quinõ aſſumuntur non aſſumuntur,d.nõ aſſumantur.l 16.dicatur. d.di cetur,l.21.cur,d.cũ f.201,p.1.l.34.decreto,d delcto.f.205 p.1.l.2.eſt,d ideſt,l.40.diuina,d fide diuina,f.207.p.1.l 11.medio,d.media.f 212.p.2.l.15.docent,d.docent,& meri to,f.215.p 1,l.37.prouiſo,d.proceſio:f 216.p.2.l.vl.intellectu,d,in intellectu.f 219.p.1 l.12 intellectionis,d,intellectiones f.221.p.1 l:3.pertranſet,d.per tranſenam.f. 228.p. 1.l.40 41 productio reis,d.productionis,f.237 p.2,l.12.obijciat,.obuiat:f 240.p.2.l 15. adhuc,d.ad hoc.f.242 p.1.l 6,omni,d.omne,f.247.p.1.l.5.impliciter,di.ſimpliciter,fo. 252.p.1.l.1:tice,d,vc.f 254.p.1.l.27.Patris,d,Petri,f.262.p.2.l.24.prædicamenti,d.præ dicamentis.f.270 p.1.l 15.euidem,d.euidentem.f.284 p 1.l.21.pertectionem,d. perfe ctione n,& p 2.l 39.inſta,d.inſtar,f.285.p.2.l.27.extainſecum,d.extrinſecum.

Liber hic nomine inſcriptus, Tractatus de Deo, *demptis his mendis, reſpõdit fideliter ſuo exemplari. Datum Matriti, die 20. menſis* Octobris, *anno* 1641.

Dor. D. *Franciſcus Murcia de la Llana.*

Fran-

FRanciſcus Aguado Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Toletana, cum librum (cui titulus eſt *Tractatus de Deo*, cõtinens materias Theologicas primæ partis vſque ad materiã de Trinitate incluſiuè) à P. Gaſpare Hurtado noſtræ Societatis Theologo compoſitum, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur in quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti die 11. Septembris anni 1640.

Franciſcus Aguado.

Cenſura R. P. Fr. Ildephonſi de Herrera ſacri Ordinis Minorum S. Franciſci de Paula, Lectoris Iubilati, ac Prouinciæ Caſtellæ Diffinitoris, & Supremi Senatus cauſarum Fidei Qualificatoris.

ADmodum R. P. Gaſparis Hurtado Societatis Ieſu Sacræ Theologiæ in Complutenſi Academia doctiſſimi Doctoris Decani, iam olim in clariſſimo D. Ildephonſi Complutenſi Collegio, pro meritis collegæ, opus (cui titulus, Tractatus de Deo, continens materias Theologicas primæ partis, vſque ad materiam de Trinitate incluſiuè) diligenter perſegi, ac accuratè examinaui, & vidi in omnibus preſtantiam in nulla difficultate non Edipum nitor doctrinæ, quid doctrinarum non continetur, vt nemo poſsit ire inficias; quos ſplendores ſuauibus fulgoribus opus non ornatur, profert de Theſauro ſapientiæ, & ſcientiæ recentiorum, & veterum ſua uiſsimam doctrinam. Indiget author laudatore, non cenſore. Omnia in hoc opere ſunt conſona fidei Catholicæ, & bonis moribus. Ita cenſeo in Conuentu D. Mariæ de Victoria Matritenſi Ordinis Minimorum, die 16. Septembris, anno Domini 1640.

Fr. Ildefonſus de Herrera.

CEN-

CENSVRA.

IVſſu eruditiſsimi Domini Doctoris D. Ioannis de Narbona in hac celebri Curia Complutenſi totius inclytæ Toletanæ Diœceſis Vicarij Generalis, inque ſancta Eccleſia Magiſtrali Canonici etiam meritiſsimi quinque tractatus Theologicos quos Rᵈ admodum P. Gaſpar Hurtado Societatis Ieſu, quo in lucem, omnibus certè pro futuri, exeant, auctor ipſe eorum, prælo mandare, & euulgare cupit, quo ad fieri licuit, acuratè legi, ſunt Tractatus hi, *de Attributis Dei, de Scientia Dei, de Voluntate Dei, de Prædeſtinatione Dei, de Trinitate Dei.* Hæc auctor fuerit, Doctor eximius Complutenſis, Collega Maior in præclaro Diui Illephonſi domicilio: Ingenuarum artium publicus inibi, ac diſſertiſsimus Præceptor: Alumnus inde Ignatij: Primarius Profeſſor Theologiæ, in ſuorum Collegio Complutenſi. Idem etiam poſt, in Imperiali ſchola Mantuana. Cenſor ex munere conſultus, inter ſuppremos fidei quæſitores, &c. Videmus hinc, quot debeat ſibi; cuncta profecto (cenſeo) dedit operi: Nitorem pro ortu, ſplendorem pro Manto, gloriam pro Beca: eruditionem pro conuictu: ſanam doctrinam pro ſuggeſtu: pro ingenio breuem: claram pro acumine, ſanctum pro officio, vtilem pro cultu, puram pro voto, pro Religione tutam. Quid (quæſo) iſthinc exiſtimare cogor. Quinque hos Tractatus eam lucem omnibus daturos eſſe, quã ab Auctore (quid multa) vel reſpublica exigere deberet. Complùti tertio nonas Septembris anni D. 1640.

Doctor Ioannes Gonus Salius Brygius.

Primarius S. Thomæ interpres, in Vniuerſitate Complutenſi.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO de Alcala.

NOS el Doctor D. Iuan de Narbona, Canonigo de la Magistral de S. Iusto y Pastor de la villa de Alcala, y Vicario general en la Audiencia, y Corte Arçobispal della, y en todo el Arçobispado de Toledo por su Alteza el Serenissimo señor D. Fernãdo de Austria, Infante de España, Cardenal de la santa Iglesia de Roma, del titulo de santa Maria in portica, Administrador perpetuo del dicho Arçobispado, Primado de las Españas Canciller mayor de Castilla mi señor, &c. Por la presente en quanto podemos, y no en mas, damos licencia para que se imprima este libro de Tratados *de Voluntad, de Sciencia, Predestinacion, Trinidad, y Atributos de Dios*, su Autor el P. M. Doctor Gaspar Hurtado del Colegio de la Compañia de Iesus, atento està visto, y examinado por nuestra orden, y mandado, y son muy necessarias para nuestra santa Fè. Dada en Alcala en 3. dias del mes de Setiembre de 1640. años.

Doct. D. Iuan de Narbona.

Por su mandado

Ambrosio de Santiago.

DEL

DEIPARÆ MARIAE, ET S. Ignatio Societatis Iesu Fundatori.

G. HVRTADO, SE IPSVM, ET libellum hunc consecrans.

LIBER de Deo, tibi Augustissima Virgo, tuo iure debetur, quæ vt ait Epiphanius: Liber incomprehensibilis est, quæ Verbum Patris mundo legendum exhibuisti, tu quæ cunctos Trinitati credentes illuminas: Tibi ergo has de Deo lucubrationes consecrare delui, & non semel expertas, faustasq; meis votis tuas aras repetere: nec possem aliter mei animi gratitudinem prodere, nec adeo vberem beneficiorum segetem a tua magnificentia ortã aliquali solutione rependere, misi hos quæ lesumque ingenij mei fructus, in meæ erga te obseruantiæ testimonium, & in tuæ sacratissimæ magnitudinis cultum consecrarem. Quòd si tepidi animi, non adeo æstuãs, vt mereri in oblato sacrificio displiceat affectus, sanctissimi mei parentis Ignatij ardentem de ignito corde flammãdam cremãdæ augeo victimæ, eius manibus non cædenda, sed igne facienda est, vt fœliciter faustèq; optata impetret vota, eaque aliqualis memoria sanctissimè mihique amãtissimè Pater, in meæ gratitudinis argumentum accepta sit tibi, cui maiori gloriæ vertentur auxiliares suppetiæ, quã integra huius operis nuncupatio: cùm adeo glorioſe de tua magnitudine sentiã, vt non solum tuum patrocinium, verum, & intercessionem exãbiã, Filij, & Mariæ, & Ignatij, vtriq; deditissimi, hæc sunt vota, fœliciss imaq; erunt auspicia nostri o huic operi tãtis vtriusq; Parentis suffulto patrocinijs: quòd licet exiguum, vt exiguo elaboratum ingenio, magnum tamen vt magnæ Matris tãto numini à tali Patre Filij nomine consecratum.

TRA-

TRACTATVS DE DEO.

TRACTATVM HVNC DE DEO in quinque tractatus diuidimus, quorum primus est, De Attributis Dei. Secundus, De scientia Dei. Tertius; De voluntate Dei. Quartus, De Prædestinatione Dei. Quintus, De Trinitate Dei.

Quia Tractatus de Deo, qui idem est, ac sermo de Deo, est & dicitur Theologia; ideo antequam tractemus de Deo, explicanda nobis est natura, & qualitas ipsius Theologiæ.

DISPVTATIO PROLOGOMENA de Sacra Theologia.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quòd sit subiectum, seu obiectum Theologiæ Sacræ.

THEOLOGIA Sacra, de qua disputamus, vt distinguitur à Metaphysica, est facultas, quæ ex principijs fidei diuinæ reuelatis, & creditis deducit per euidentem consequentiam alias veritates, & conclusiones circa Deum, & circa alias res, vt ad Deũ ordinatas.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter Theologi, subiectum, seu obiectum Theologiæ Sacræ viatoris, esse Deum absolutè, & incomplexè sumptum; quia aut de Deo

sic sumpto in conclusionibus Theologicis variæ ostenduntur affectiones, & prædicata, non tantùm necessariæ, vt esse bonum & sapientem, sed etiam ex voluntate ipsius dependentes, vt esse prædestinatorem, & reprobatorem; aut si aliquando de alijs à Deo aliqua ostendimus, id fit de illis, vt habent ordinem ad Deum, vel tanquam ad principiũ, vel tanquã ad finem: Theologia enim Sacra, ita disputat de Deo, vt ostẽdat nõ solùm qualis sit in se, sed etiam quomodo sit finis acquirẽdus à creatura rationali, & quomodo sit principium seu Auctor omniũ, & quomodo se cõmunicauerit, vnione hypostatica.

DIFFICVLTAS II.

Quæ, & qualia sint prima principia Theologiæ.

COnueniunt Theologi, propositiones de Deo, & propositiones de alijs rebus, vt ad Deum ordinatis, immediatè, & in se ipsis à Deo reuelatas, esse prima principia, ex quibus Theologus suas deducit conclusiones, & eorum præcipua; esse articulos fidei.

Vnde ea tantum sunt prima principia Theologiæ, quæ in libris Canonicis continentur, & etiam traditiones, quę extra Scripturam Sacram, vt certo à Deo reuelatæ in Ecclesia conseruantur: ea verò, quæ ab Ecclesia definiuntur, quatenus deducta ex reuelatis à Deo, vel ex alijs principijs, non sunt prima principia Theologiæ; quia non sunt de fide diuina, quia non sunt in se ipsis reuelata à Deo, quia Ecclesia; quanuis sit columna, & firmamentum veritatis, non tamen efficit de fide, id quod ante suam definitionem non erat de fide: vt dicimus tract. de fide, disp. 2. dif. 4. quia Deus non dicitur per Ecclesiam aliquid de nouo loqui: ea verò quæ Ecclesia declarat tanquam à Deo in se ipsis reuelata, verè sunt de fide, ac proinde prima principia Theologiæ nostræ, seu viatorum de qua procedit disputatio.

Conclusio ergo, quæ deducitur ex vna de fide, & ex altera lumine naturali euidenter nota, non ẽst purè Theologica, sed mixta, simul pertinens ad Theologiam, & ad scientiam naturalem, vtpotè originem ducens ex principio Theologico, & ex principio scientia naturalis, & ex terminis vtriusque conflata; & quia ad assensum talis cõclusionis iuuat quælibet præmissa ex illis, ratione præmissæ de fide, nequit non esse certior, quam si ex duabus naturaliter notis procede-

deret, ratione verò alterius euidenter notæ, nequit non esse minus obscura quàm si ex duabus de fide procederet.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Theologia sit verè, & propriè scientia.

ALbertus in sum. tract. 1. quæst. 1. Canus 12. de locis, c. 2. Zumel. art. 2. quæst. 2. concl. 2. Bannes dub. 1. conclus. 2. & Granad. tract. 1. disp. 6. docent, Theologiam esse verè, & propriè scientiam, quod probant testimonijs aliquorum patrum, & scripturæ, Theologiam appellantium scientiam, & ratione probatur; quia conclusio Theologica non est fides; quia non innititur immediatè testimonio, nec est opinio; quia non deducitur per medium, cui possit subesse falsum, ergo est actus scientiæ, quia non videtur superesse aliud genus actus intellectus.

Dur. verò, quæst. 1. prologi, Greg. quæst. 1. art. 4. Argentina q. 2. art. 10. Gab quæst. 7. art. 1. Vazq. disp. 4. cap. 6. Arrubal disp. 2. cap. 6. & Mæratius disp. 1. sect. 1. docent, non esse propriè scientiam, & merito; quia scientia propriè dicta est cognitio certa, & euidens, vt docet Arist. 1. poster. cap. 2. scire enim propriè secundum Arist. est, *per demonstrationem intelligere*, sed conclusio Theologica, quamuis sit certa, non tamen est euidens, quia non procedit ex principijs euidentibus, sed ex præmissis, vt fide diuina creditis, saltem vna earum, ergo quamuis certo, & euidenter deducatur, non tamen demonstratiuè, seu scientificè, quia præmissæ non sunt euidentes, quales ad demonstrationem requiruntur.

Nihil ominus Theologia, imò fides diuina potest latè dici scientia ob sui certitudinem, & in hac lata significatione, PP. & Scriptura, Theologiam, & fidem appellant scientiam; quia scilicet sunt certæ, quamuis non euidentes. Vndè præter scientiam propriè sumptã, & præter fidem, & præter opinionem, datur sciẽtia latè sumpta, quæ dicitur Theologia, ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS IIII.

Qualis sit Theologia.

EX dictis dis. præcedente constat, assensum conclusionum Theologiæ non esse scientificum, nisi scientia latè sumatur. Est ergo controuersia. Qualis sit.

Pro cuius maiori explicatione ſupponimus, primo propoſitiones à Deo in ſe ipſis reuelatas, quas diximus eſſe prima principia Theologiæ dupliciter poſſe cognoſci, aut fide diuina innixa teſtimonio Dei, aut cognitione innixa, vel ſignis factis in confirmationem earum, vel rationibus, vel authoritati humanæ Eccleſiæ.

Supponimus ſecundò, non ſolum ex illis principijs, vt creditis fide diuina procedere Theologiam, quæ ſumpta pro habitu ſit vera doctrina, & virtus intellectualis, ſed etiam ex eiſdem principijs creditis fide diuina, qua creditur firmiter, ea principia eſſe vera, & à Deo reuelata (ſicut creditur Romam eſſe) procedit Theologia, quæ ſumpta pro habitu etiam eſt vera doctrina, & virtus intellectualis, diuerſæ tamen ſpeciei à priori Theologia procedente, ex dictis principijs, vt creditis fide diuina, ſicut etiam cognitiones principiorum, ex quibus procedunt ambæ Theologiæ, ſunt etiam diuerſæ ſpeciei.

His ſuppoſitis dicendum eſt, aſſenſum concluſionum prioris Theologiæ, nempè procedentis ex propoſitionibus à Deo reuelatis, vt creditis fide diuina non eſſe aſſenſum fidei diuinæ, eſſe tamen ſuperiorem in certitudine aſſenſu fidei humanæ, & opinatiuo, imò & ſcientifico, ſi certitudo ſumatur pro veritate, de quo dicemus dif. 8. ac pro inde eſſe medium inter hos tres aſſenſus, & inter aſſenſum fidei diuinæ, vt eſt abſolutè, & ſtrictè aſſenſus Theologicus: aſſenſum verò poſterioris Theologiæ, procedentem ex propoſitionibus reuelatis, non vt creditis fide diuina, ſed aliquo ex alijs tribus modis prædictis eſſe aſſenſum quendam probabilem, ſine expreſſa tamen formidine elicitum, in primis eſt probabilis; quia nititur fundamento, & motiuo, cui ex ſe non repugnat ſubeſſe falſum: nihilominus, quia fundamentum eſt tale, vt nulla recta ratione poſsit reſpui; ideo aſſenſus ei innitens nequit prudenter elici cum expreſſa formidine, & circa illius veritatem, nequit eſſe opinionū diſſenſio: & ſic aſſenſus poſterioris Theologiæ, non eſt abſolutè, & ſtrictè Theologicus, ſed tantùm reductiuè, & poteſt opinatiuus appellari.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Theologia noſtra ſubalternetur Theologiæ Dei, & Beatorum.

CAiet. q. 1. art. 2. Capreol. q. 1 prologi, art. 1. concl. 2. & alij partem affirmatiuam tuentur, quia quamuis prima principia Theo-

lo-

logiæ noſtræ, ſeu viatorum, non ſint concluſiones Theologiæ Dei, nec viatorum, ſunt tamen Deo, & beatis euidenter notæ, & non viatoribus, ſed tantùm credita fide diuina, quòd videtur ſufficere, vt Theologia noſtra ſubalternetur, ſeu ſubordinetur Theologiæ Dei, & beatorum.

Dur. verò, quæſt. 3. prologi. Vazq. diſp. 6. cap. 2 Arrub. diſp 2. c. 8. & alij partem affirmatiuam tuentur, & meritò; quia ad veram, & propriam ſubalternationem, ad minus requiritur, quòd ſcientia ſubalternata accipiat concluſiones ſubalternantis, vt principia ſibi ad inferendas ſuas concluſiones, & Theologia viatorum non accipit a Theologia Dei, & beatorum concluſiones, vt principia ſibi; quia ſunt eadem principia, quamuis diuerſo modo cognita, quia à Deo, & à Beatis cognoſcuntur euidēter, & à viatoribus obſcurè. imò Theologia viatorū procedit ex principijs; ita primis, vt nulla alia priora ſupponant adhuc in Theologia Dei, & Beatorum; quia eis nullatenus ſubalternatur: dicta autem inferioritas, qua propoſitiones reuelatæ, vt creditæ fide diuina, qua ratione ſunt principia Theologiæ viatorum, ſunt inferiores eiſdem propoſitionibus; vt euidenter notis, qua ratione ſunt principia Theologię beatorum, quamuis ſufficiat ad ſubalternationem impropriam, non tamen ad propriam, vt diximus, lib. 1. de poſter. reſolut. in fine.

Quando autem ex vna propoſitione de fide, & ex altera lumine naturali nota deducitur aliqua concluſio, non eſt ſubalternatio aliqua Theologiæ viatorum ei ſcientiæ, cuius eſt illa propoſitio lumine naturali nota, nec huius ſcientiæ ipſi Theologiæ; quia tunc ea concluſio non eſt purè Theologica, nec eſt purè illius ſcientiæ naturalis, ſed eſt mixta partim pertinens ad Theologiam, ratione præmiſſæ de fide, & partim pertinens ad eam ſcientiam naturalem, ratione præmiſſæ lumine naturali notę.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Theologia noſtra ſit vna ſcientia, ſecundum ſpeciem infimam.

CConueniunt communiter Scholaſtici ſcientiā Theologiam eſſe vnam, ſiue propriam, qualis ſecundum aliquos eſt Theologia, ſiue impropriam, qualem eſſe nos diximus diffic. 3.

Pro huius tamen explicatione, ſupponimus, concluſiones Theo-

logicas(quæ dicuntur Theologia actualis) habentes obiecta materialia ſecundum ſpeciem diſtincta, diſtingui ſecundum ſpeciē, quia actus intellectus, qui non ſunt fidei (quales non ſunt concluſiones Theologicæ)ſpecificantur ex obiectis materialibus, & non ex aliquo formali, quia nullus actus intellectus, excepto actu fidei, habet obiectum formale, etiamſi concluſio habeat pro cauſa efficiente, nō phyſica, ſed rationali ipſas præmiſſas, ea proportione, qua conſulens eſt cauſa efficiens moralis, vt dicimus tract. de fide diſp. 4. difficult. 4. Et eadem proportione, qua, concluſiones Theologicæ circa obiecta materialia ſpecie diſtincta diſtinguuntur ſpecie; etiam habitus per ipſas geniti (qui dicuntur Theologia habitualis) diſtinguuntur ſpecie, quia quilibet actus ſpecie diſtinctus ab alio, generat habitum ſpecie diſtinctum, iuxta ea quæ dicimus tract. de habit. dif. 9.

Hoc ergo ſuppoſito, conſtat, Theologiam actualem ſumptam pro concluſionibus Theologicis, non eſſe in rigore vnam ſecundū ſpeciem infimam, ſed multiplicem: & etiam Theologiā habitualem ſumptam pro habitibus genitis, ex eis concluſionibus, non eſſe in rigore vnam ſecundùm ſpeciem, ſed multiplicem: & Theologiā actualem ſumptam, pro notitia principiorum, & concluſionum ex eis deductarum eſſe minùs vnam, vt patet: & etiam Theologiam habitualem ſumptam pro habitibus dictorum principiorum, & dictarum concluſionum, eſſe minus vnam: & multo minus erit vna, ſumpta ſimul pro notitia principiorum, & concluſionum, & pro habitibus principiorum, & concluſionum, vt etiam patet.

Theologia ergo eſt vna etiam ſumpta ſimul pro omnibus prædictis, non vnitate perfecta, ſeu rigoroſa, ſed vnitate quadam aggregationis (vt aduertit Granad. tractat. 1. diſput. 8.) ea proportione, qua reliquæ ſcientiæ: eſt autem, & dicitur vna vnitate dicta; quia omnia prædicta referuntur in vnum obiectum materiale, nempè Deum.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Theologia noſtra ſit practica, an ſpeculatiua.

SVpponimus ſcientiam habitualem dici practicam, aut ſpeculatiuam, penes ordinem ad notitiam practicam, aut ſpeculatiuam, quàm elicit; ad rationem autem notitiæ practicæ requiritur, quòd habeat pro obiecto praxim, id eſt, operationem, ſeu actionem, & quòd verſetur circa illam modo operabili, id eſt, quòd quantum eſt

ex

ex ſe dirigat, & moueat ad operationem, vt fiat, & non ſiſtat in mera contemplatione veritatis illius.

Hoc ergo ſuppoſito omiſsis varijs modis dicendi circa hanc difficultatem, qui videri poſſunt apud Vazq diſp. 8. dicendum exiſtimamus (vt non pauci docent) Theologiam habitualem acquiſitã, aggregatam ex omnibus habitibus elicientibus cõcluſiones Theologicas eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, ſicut idem intellectus eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus.

Et in primis eſt ſpeculatiua; quia elicit concluſiones ſpeculatiuas, nempè circa myſteriũ Trinitatis, & Incarnationis, & circa plura alia, quæ non ſunt operationes, & etiam circa alia, quæ quanuis ſint operationes, non tamen ſunt praxes; quia non verſantur circa illas modo operabili, id eſt, illas proponendo vt fiant.

Deinde eſt practica, quia etiam elicit concluſiones, quæ verſantur circa operationes modo operabili, id eſt, eas proponendo, vt fiant, verb. grat. circa actus fidei & ſpei, & charitatis erga Deum, & circa alia opera bona.

Ita tamen eſt practica, & ſpeculatiua, vt præcipuè ſit ſpeculatiua, non ſolum à maiori parte, quia elicit plures concluſiones ſpeculatiuas, quàm practicas, ſed etiam quia præcipuum obiectum, & per ordinẽad quod cętera, quæ in Theologia tractantur, pertinere dicũtur ad Theologiam, eſt Deus, qui ſolũ poteſt eſſe, obiectũ ſpeculationis.

Theologia ergo tam habitualis acquiſita, qualis, eſt Theologia viatorum, quàm actualis, quælibet ſuo modo, eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, non tamen idem numero actus, quia ſi ſiſtit in mera cõtemplatione operationis, erit tantùm ſpeculatiuus, & ſi tranſit ad operationem vt fiat, erit tantùm practicus, ac pro inde, nec eadem pars habitus acquiſiti, quia quilibet actus generat diuerſam partem, vt intenſiuam vnitam phyſicè alteri parti, vt quando vnus actus verſatur circa materiam eiuſdem ſpeciei cum materia alterius, aut extenſiuam, & non phyſicè vnitam alteri parti, vt quando vnus actus verſatur circa materiam diuerſæ ſpeciei à materia circa quam alter verſatur, quãuis ipſi actus ſint eiuſdem ſpeciei, ob idem obiectum formale, vt poteſt contingere in actibus fidei diuinæ acquiſitæ ipſis actibus fidei.

Addidimus, *fidei acquiſitæ*; Quia habitus fidei per ſe infuſus, & quicumque alius per ſe infuſus non ſunt extenſi circa obiecta materialia quanuis diſtincta ſecundum ſpeciem; quia iſti non infunduntur ad facilitatem actus, ſed ad ſubſtantiam, & quia ſubſtantia eſt eadem ſecundùm ſpeciem in eorum actibus, quanuis verſantibus circa

ca obiecta materialia ſpecie diſtincta, quia omnes eliciuntur ob idē obiectum formale, ideò eadem entitas habitus per ſe infuſi ſufficit ad omnes, quanvis verſentur circa obiecta materialia, ſecundum ſpeciem diſtincta: habitus verò acquiſiti, quanvis ſupernaturales, quales acquiruntur ipſis actibus ſupernaturalibus, verè extenduntur; quia tantùm concurrunt ad facilitatem ſuorum actuum, & non ad ipſorum ſubſtantiam; & quia in actu circa materiam diuerſæ ſpeciei à materia alterius, eſt diuerſa difficultas, quanvis ipſi actus ſint eiuſdem ſpeciei, ob idem obiectum formale; ideò circa actus eorum habentes materias ſpecie diſtinctas, acquiruntur diuerſę partes habitus non vnitæ, ſeu acquiruntur diuerſi habitus, vt latè dicimus tract. de habitibus à difficultate 9.

Vndè Theologia, quo ad ſua prima principia, nempè quo ad propoſitiones de fide, ſi eſt actualis, ſeu ſumpta pro actu, eſt practica, quo ad aliquos actus, quia fide diuina credimus, quomodo Deus ſit diligendus ſuper omnia, & quomodo exercenda ſint plura alia opera, quæ creduntur actibus practicis, & eſt ſpeculatiua quo ad alios, quia credimus Deum eſſe vnum, & Trinum, & Verbum fuiſſe incarnatum, & alia plura, quæ creduntur actibus ſpeculatiuis; & ſi Theologia, quo ad dicta prima principia eſt habitualis acquiſita, eſt quo ad aliquas partes extenſionis, ſeu quo ad aliquos habitus, practica, & quo ad alios eſt ſpeculatiua, ea proportione, qua actus ipſi fidei quos eliciunt: & ſi eſt habitualis infuſa, eſt ſimul practica, & ſpeculatiua; quia omnes prædicti actus, tam practici, quàm ſpeculatiui eliciuntur ab eodem habitu infuſo, vt dicimus tract. de fide diſp 5. difficult. 1.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Theologia noſtra ſit dignior alijs ſcientijs.

COnueniunt communiter Scholaſtici, Theologiam noſtram eſſe digniorem alijs ſcientijs, & non ſolum quatenus eſt ſpeculatiua, ſed etiam quatenus eſt practica.

Theologia ergo, quatenus ſpeculatiua, eſt dignior alijs ſcientijs; & in primis in nobilitate obiecti; quia eius præcipuum obiectū eſt Deus; quia diſputat de Deo, & de eo oſtendit ea quæ ex principijs fide diuina creditis deducuntur, in quo etiam excedit metaphyſicam, cuius præcipuum obiectū eſt Deus, quia metaphyſica de Deo tantū oſtendit ea quæ lumine naturali poſſunt acquiri. Vnde Theo-

lo-

logia excedit metaphyſicam, ſaltem in pluralitate prædicatorum, quæ Deo attribuit; quia plura ei attribuit, quàm metaphyſica.

Deinde Theologia, vt ſpeculatiua, eſt dignior alijs ſcientijs in certitudine ſumpta pro veritate, ſi de Theologia ſtrictè ſumpta loquamur, quæ procedit ex principijs fide diuina creditis; quia eſt verior, quo ad modum, quia ſcilicet ei magis repugnat falſitas; quia remotè, ſeu mediatè nititur teſtimonio Dei, ob quod creduntur præmiſſæ ſillogiſmi Theologici, teſtimonio autem Dei magis repugnat falſitas, quàm alij motiuo. Et etiam ſumpta certitudine pro determinatione, ſeu firmitate aſſenſus abſq; formidine, certior eſt Theologia, procedens ex præmiſsis creditis fide diuina, ob teſtimonium Dei, euidenter phyſicæ conſtans (quòd ſic conſtare rariſsimè contingit) quam quæcunque alia ſcientia naturalis; quia præmiſſæ ratione teſtimonij Dei euidenter phyſicè conſtantis, magis cogunt intellectum ad determinationem aſſenſus Theologici, quàm præmiſſæ ſcientiæ naturalis: non tamen eſt certior, ſed minus certa, quàm quæcumque vera ſcientia naturalis, quando aſſenſus Theologicus deducitur ex præmiſsis creditis, ob teſtimonium Dei, non conſtans euidenter phyſicè (vt regulariter non conſtat) quia ob incertitudinem phyſicam teſtimonij Dei, minus cogitur intellectus adhærēdum aſſenſui Theologico, quàm euidentia præmiſſarum ſcientiæ naturalis adhærendum ſuis concluſionibus.

Et quòd etiam Theologia, quatenus practica ſit dignior alijs ſcientijs practicis, probatur; quia vt practica agit de omnibus virtutibus, tam de moralibus, de quibus etiam agit Phyloſofia moralis, quàm de Theologicis, pro vt referuntur ad ſuppremam Beatitudinem ſupernaturalem, quæ eſt finis excelētiſsimus omnium ad quos cæteræ ſcientiæ practicæ referunt ſua obiecta.

Et eadem proportione, qua Theologia, vt ſpeculatiua excedit alias ſcientias naturales ſpeculatiuas in veritate, ita etiam, vt practica, ob eandem rationem. Et eadem proportione qua vt ſpeculatiua excedit alias ſcientias naturales, & exceditur ab eis in certitudine etiam, vt practica illas excedit, & exceditur ab eis.

Non negamus ſcientias naturales habere euidentiam, quam non habet Theologia, exceſſus tamen iſte compenſatur; & ſuperatur à Theologia ratione ſui obiecti, & ratione ſuę veritatis, vt iam diximus.

Si verò Theologia latè ſumatur pro aſſenſu procedente ex vna præmiſſa de fide, & ex altera lumine naturali nota, quę mixta eſt, partim pertinens ad Theologiam, & partim ad eam ſcientiam natu-

turalem, magis tamē ad Theologiam ratione præmiſſæ de fide quæ principalior eſt quàm altera, etiam eſt dignior alijs ſcientijs naturalibus, & ratione obiecti quod eſt Deus modo ſupradicto, & quia eſt illis verior quo ad modum, quia ratione præmiſſæ de fide magis ei repugnat falſitas, eſt tamen minus certa, quàm illæ quando præmiſſa de fide non creditur ob teſtimonium Dei euidenter phyſicè cōſtans, quia hæc prę miſſa de fide minus cogit, ſeu determinat intellectum ad aſſentiendum, quàm cogeret altera præmiſſa naturaliter euidens, circa quod videatur quod dicimus, tract. de fide diſput. 4. difficult. 6.

Theologia viatorum, ita digna eſt, & excellens, vt verè ſit ſapientia, non ſolùm generaliter ſumpta; quia eſt ſcientia exactiſsima, in qua non tantùm concluſiones, ſed etiam principia exactiſsimè cognoſcuntur, ſed etiam eſt ſapientia proprijſsimè ſumpta, quatenus ſapientia eſt earum rerum, quæ ſummo honore dignæ ſunt (qualis, vt docet Ariſtoteles eſt metaphyſica) quia etiam Theologia diſputat de Deo, & in hac proprijſsima acceptione Theologia viatorum, eſt ſapientia omnium etiam metaphyſice maxima; quia ita diſputat de Deo, vt de eo oſtendat non tantùm, quæ lumine naturali inueſtigari poſſunt (quòd efficit metaphyſica) ſed etiam plura alia phyſicis, & ſapientibus huius ſęculi ignota, quę ſola Dei reuelatione nota facta ſunt, in quo excedit metaphyſicam.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Theologia Viatorum ſit argumentatiua.

COnueniunt Scholaſtici Theologiam viatorum, ſeu noſtrā eſſe argumentatiuam; quia ex ſuis principiis reuelatis, fide diuina creditis, quæ ſupponit, procedit, & argumentatur ad deducendas, alias veritates, & ad redarguendas, ſeu refellendas falſitates eis veritatibus, ſeu concluſionibus deductis oppoſitas.

Quando verò dicta principia fidei reuelata negantur, confirmanda ſunt ex ſcriptura, aut ex traditione, ſi admittantur, aut ex alijs locis Theologicis (de quibus ſtatim) ſunt perſuadenda: quòd ſi nullus locus Theologicus admittatur, aut ſuperſit quo confirmari, aut perſuaderi poſsint, nihil ſupereſt Theologo; vt Theologo contra infidelem negantem, niſi argumenta ipſius infidelis diſſoluere, quod poteſt euidenter facere, non euidenter poſitiuè; quia ſicut my-

myſterium fidei, vt tale nequit euidenter oſtendi, ita nec falſitas veritati illius oppoſita, bene tamen euidenter negatiuè; quia facile eſt Theologo ita argumentum infidelis penetrare, vt in eo nihil ipſi Theologo appareat, quòd ad aſſentiendum conuincat, & tunc euidens eſt argumentum illud non concludere, quo, illud euidenter negatiuè diſſoluit.

At quando Theologo myſteria fidei negantur ab infideli, qui nullum admittit locum theologicum, quo confirmari, aut perſuaderi poſsint, poterit Theologus, alijs rationibus aliunde emendicatis errores infidelis, oſtendere, & noſtræ fidei credibilitatem, quàm ex multis perſuadere poterit, præſertim, ex ſocietate quàm habet cum lege Euangelica à Deo ſancta, & rationi conſona.

Loci autem Theologici, qui ſunt ſedes quædam; & promptuaria, ex quibus Theologus argumenta deſumit, ſunt in cõmuni duo, alter eſt authoritas, alter ratio naturalis, prior locus, nempè authoritas diuiditur in nouem. Primus eſt authoritas Sacrę Scripturæ. Secundus, eſt authoritas traditionum Chriſti. Tertiùs, authoritas Eccleſiæ. Quartus, authoritas Conciliorum. Quintus, authoritas Romani Pontificis. Sextus, authoritas Patrum. Septimus authoritas Theologorum Scholaſticorum. Octauus, authoritas humana hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Nonus authoritas philoſoforum. Ex his nouem locis, octo priores ſunt proprij Theologo, & ei deſeruiunt, vt ex eis ſumat argumenta ad inferendas concluſiones proprias Theologo, quaſdam, quæ ſalua fide negari non poſſunt, quales ſunt, quę euidẽter deducuntur ex locis infallibilis veritatis, quaſdam verò contingentes, circa quas poteſt eſſe opinionum diſſenſio; quales ſunt, quæ deducuntur, ex principiis de ſumptis ex locis fallibilibus: qui autem loci ſint fallibiles, qui verò infallibiles, diximus tractat. de fide diſput. 11.

Alij verò duo loci nempè ratio naturalis, & authoritas philoſophorum, quanuis ſint adſcriptitij, & aliunde emendicati, maximè tamen iuuant Theologum ad deducendas concluſiones mixtas ex Theologia, & ex altera facultate.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Theologia ſit neceſſaria.

SVpponimus Theologiam complecti, non ſolùm notitiam concluſionum Theologicarum, ſed etiam ſuorum principiorum, quæ

quæ ſunt propoſitiones de fide, ex quibus notitia earum concluſionum deducitur, ſicut quæcunque alia ſcientia complectitur notitiã principiorum, & concluſionum, etiam ſi ſola notitia concluſionum dicatur: *Scire*, ſeu *ſcientia actualis*, & habitus circa eam dicatur, *ſcientia* abſolutè, *& habitualis*, notitia tamen principiorum pertinet ad eam ſcientiam concluſionum, tanquam cauſa; quia ſcire eſt rem per principia cognoſcere, quomodo verò Theologia dicatur ſcientia diximus difficult. 3.

Hoc ſuppoſito, certum eſt, primò neceſſariam eſſe fidem aliquorum principiorum Theologiæ, nempè aliquorum fide diuina creditorum ſingulis hominibus adultis ad vitam æternam conſequendam, vt dicimus, tract. de fide, diſp. 8.

Secundò, certum eſt fidem prædictorum ſufficere ſingulis ad adeptionem vitæ æternę, ſine notitia concluſionum Theologicarum, quòd poſſet facile probari: Et id conſtat in ſimplicibus, qui ſola fide ſaluantur abſque notitia earum concluſionum.

Ex quibus conſtat, Theologiam eſſe ſingulis adultis neceſſariã ad ſalutem, ſed non eſſe neceſſariam ſecundùm ſe totam, ſed tàtùm ſecundùm partem; quia non eſt neceſſaria ratione notitiæ concluſionum, ſed tãtùm ratione notitiæ aliquorum principiorum, quàm Theologia etiam complectitur.

Nihilominus Theologia, quatenus deducit concluſiones ex principijs fidei, ſi non ſingulis, ſaltem vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ eſt neceſſaria ad ſaluationem; quia ad id eſt neceſſaria, pura, & ſincera fides aliquorum reuelatorum, in Eccleſia autem non poſſet fides conſeruari pura, & ſincera, ſine Theologia, quæ optimè ratiocinationibus ex principijs fidei eam defendat ab erroribus, quibus paulatim turbaretur, & obſcuraretur.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Theologia Scholaſtica, ſit vtilis in Eccleſia.

NOmine Theologiæ Scholaſticæ eandem intellegimus, quæ fuit à tempore Apoſtolorũ, ſed redactam ad methodum diſputandi, & examinandi quæſtiones, qualem in ſcholis habemus à tempore Petri Lombardi.

Hoc ſuppoſito, certum eſt Theologiam hanc Scholaſticam, ita methodice diſpoſitam, non fuiſſe in Eccleſia neceſſariam ad ſalutẽ,

nec

nec singulis, nec toti Ecclesiæ, vt ex se patet, & ex potentia ipsa docuit: solum ergo est controuersia, an sit vtilis.

Circa quam conueniunt scholastici, Theologiam hanc quanuis hæretici eam insimulent, & exibilent, esse maximè vtilem in Ecclesia Primò quia optimis ratiocinationibus ex principijs & regulis fidei, eā puram, & sinceram, facilè, & acutè cōseruat. Secundò, quia id, quod ex principijs fidei nō deducitur euidenter; sed tantùm probabiliter, non vt fidei dogma, sed tantùm, vt probabile tradit. Tertiò, quia ita ordinatè mysteria fidei, & conclusiones ex illis deductas disponit, vt facilè addiscantur, & memoriæ retineantur, quæ tria sunt maximè vtilia Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Scriptura Sacra debeat vti metaphoris.

Disputationi huic de Theologia annectimus disputationem de Scriptura Sacra; quia auctoritas Sacrę Scripturæ est præcipuus locus Theologicus, & ex quo Theologia maximè dependet.

Circa difficultatem, supponimus duplicem esse metaphoram, vnam propriè, & strictè sumptam, quæ est translatio vocis à significatione rei, quàm primo, & propriè significabat ad etiam immediatè significandam aliam, ob similitudinem cum ea re, quam propriè significabat, qua ratione oculus significat mentem, & risus significat virorem prati: altera est metaphora impropriè, & latè sumpta, quæ etiā trāslatio vocis à significatione rei, quàm primo significabat, ad etiam significandam aliam, quæ verè, & propriè gaudet ea voce, non vt in se est, sed vt à nobis concepta instar illius, quàm vox illa, primò significabat; quia sicut eam concipimus instar alterius, ita etiam eam voce illius alterius vocamus, qua metaphora, sapientia, etiam significat scientiam diuinam: Vnde in his posterioribus nominibus, metaphora impropria, tantùm est, quo ad modum significandi, non quo ad rem significatam.

Hoc supposito, dicendum est, quòd quanuis fuerit necessarium in Sacra Scriptura vti metaphora impropriè, & latè sumpta, nō tamen metaphora propriè, & strictè sumpta, seu parabola, & similitudine. Et in primis fuit necessarium vti metaphora latè sumpta, quia sine ea non possumus de Deo loqui, sicut nec ipsum vt in se est concipere, nisi instar rerum creatarum. Deinde non est necessarium in

Sacra

Sacra ſcriptura vti metaphora propriè, & ſtrictè ſumpta; quia ſunt voces, quæ propriè quo ad rem ſignificatam ſignificant res diuinas, ergo Sacra ſcriptura eis vocibus vti potuit ad loquendum de eis rebus, & ad diuina myſteria explicanda.

Nihilominus, quamuis non fuerit neceſſarium in Sacra ſcriptura vti metaphora ſtrictè ſumpta, ſeu parabola, & ſimilitudine, fuit tamen aliquando vtile ea metaphora vti, quia cum ob noſtrum naturalem modum concipiendi ex rebus corporeis ducamur ad concipienda ſpiritualia, vocibus primo ſignificantibus res corporeas trāſlatis, ad etiam ſignificandas ſpirituales ob ſimilitudinem harum cū corporeis, facilius, & clariùs percipimus res ipſas ſpirituales, & myſteria fidei, addidimus aliquando, id fuiſſe vtilè, quia id non percommodè fieri.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm Sacra ſcriptura ſub vna & eadem littera litteralem ſimul, & ſpiritualem ſenſum contineat.

QVanuis Porphirius à Chriſtianiſsimo apoſtata impudenter irrideat multiplices Sacræ ſcripturæ interpretationes: nec minus impudenter Lutherus, & Eraſmus loquantur. Apud Catholicos tamen indubitatum eſt, in eodem ſcripturæ loco, non ſolum litteralē, ſed etiam ſpiritualem ſenſum aliquando deliteſcere, & vtrumque ex intentione Spiritus ſancti, qui eſt principalis Auctor Scripturæ ſacræ.

Veritas hæc conſtat in multis locis, (de quibus poſteà) quæ Chriſtus & Apoſtoli explicarunt in ſenſu ſpirituali, ſeu myſtico, in quibus etiam ſenſum litteralem reperiri, vt notum ſupponimus: & ſuppoſito, quòd etiam ſub eis Verbis ſenſus ſpiritualis lateat, ſeu contineatur, facilè probatur, eſſe etiam ab Spiritu ſancto intentum, ſicut & litteralem. Et in primis à priori probatur, quia Spiritus ſanctus eſt principalis Auctor Sacræ ſcripturæ, ergo quicumque ſenſus, qui ſub ea lateat, ab eo intenditur. Deinde id probatur ab abſurdo, & quaſi à poſteriori: quia aliàs eis teſtimonijs, in eo ſenſu ſpirituali adductis â Chriſto, & ab Apoſtolis, nihil poſſet efficaciter probari.

DIFFICVLTAS XIIII.

Quis sit sensus litteralis.

INcipimus à sensu litterali, (qui etiam dicitur historicus) quia est primarius, & quasi fundamentū spiritualis, (qui etiam dicitur mysticus) vt posteà dicemus.

Circa difficultatem conueniunt Theologi, sensum litteralem, seu historicum eum esse, quem voces ex intentione auctoris proximè significāt. Ponitur in hac definitione illa particula, *proximè*, qua denotamus sensum litteralē immediatè significari per voces, in quo differt ab spirituali, qui immediatè significatur per res vocibus significatas, & consequenter mediatè significatur per voces.

Et quia voces, non solum significant immediatè rem, quam propriè significant, sed etiam, quā significant metaphoricè, quanuis vox prius fuerit imposita ad significandam rem, quam propriè significat, & deinde fuerit translata, & extensa, & imposita ad significandam aliam, vel priori similem, vel conceptam instar illius; ideò cōtra Lyram existimamus, sensum metaphoricum esse litteralem, & non spiritualem, quia per voces immediatè, & proximè significatur.

Addidimus, in definitione sensus litteralis, etiam illas particulas *ex intentione Auctoris*; quia quando contingit voces æquiuocas esse, seu posse plures sensus litterales habere; ille tunc erit sensus litteralis earum, quem Auctor earum, seu eas proferens exprimere voluit.

DIFFICVLTAS XV.

Quis sit sensus litteralis Parabolarum.

SVpponimus in parabolis duas esse partes, alteram rei, quæ affertur in similitudinem; alteram, quæ priorem partē applicat, & hęc posterior aliquando exprimitur, & aliquando tantùm subintelligitur.

Hoc suppositō, existimamus sensum litteralem prioris partis parabolæ esse rem ipsam adductam in similitudinē, seu in exemplū; quia hæc res ex intentione Spiritus sancti significatur immediatè: sensum verò litteralem posterioris partis parabolæ, esse eam rem, ad quam parabola applicatur, quia hæc res ex intētione Spiritus sancti, immediatè significatur per eam posteriorem partem: eadem tamen res

res litteraliter ſignificata per poſteriorem partem, ſignificatur ſpiritualiter per priorem partem, quia reconcita eſt in re per eam priorẽ partem ſignificata. v. g. in Parabola Matth. 13. vbi Regnum cœlorum comparatur fermento, quòd acceptum mulier abſcõdit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum, ſenſu litterali priori 5. par. ſignificatur factum mulieris, quæ ex fermento, & ex farina præparat maſſam, vt fiat panis: Verbum autem Euangelij, & efficacitas illius, ſignificatur litteraliter per poſteriorem partem, ſeu per applicationem; ſpiritualiter autem per priorem partem. Et in longa illa parabola quam accipit Salomon in canticis Canticorum, ſenſus litteralis illius parabolæ, ſeu prioris partis, eſt res, quaſi geſta inter ſponſum & ſponſam ſub perſonis Paſtorum: ſenſus verò litteralis applicationis, ſeu poſterioris partis ſubintellectę, eſt ſuauitas amoris inter Deum & animam, & inter Chriſtum, & Eccleſiam: & eadem amoris ſuauitas ſpiritualiter ſignificatur per dulcia Verba amoris, quaſi prolata ab eis Paſtoribus introductis.

Obſeruandum tamen eſt hiſtoriam, parabolæ non eſſe ita accipiẽdam, quòd re ipſa acciderit, vt narratur, ſed quòd ſaltẽ eo modo potuerit accidere; imò aliquando adducitur in parabolam res fabuloſa, & impoſsibilis, qualis eſt Iudicum 9. *Ierunt ligna vt vngerent ſibi Regem*, quocumque tamen modo adducatur parabola, ſenſus litteralis illius verus eſt, etiam ſi res illa non euenerit, nec potuerit euenire, quia id quod in parabolam adducitur, non ſemper refertur, tãquam id quod re vera euenit, ſed vel quaſi potuerit euenire, vel ſaltẽ clarioris inſtructionis cauſa ſupponitur & fingitur, vt poſsibilis ex conuentione, (Hiſpanè demos caſo) vt inſtar illius facti morale aliquid melius exprimatur, in quo verè nullum eſt mendacium.

DIFFICVLTAS XVI.

Quis, & quo ſupplex ſit ſenſus ſpiritualis.

CIrca prius cõueniunt cõmuniter Theologi, ſenſũ ſpiritualẽ eſſe eũ, qui ſub rebus per voces ſignificatis, quaſi ſub vmbra & figura cõcluſus eſt. & ideò dicitur myſticus, id eſt, arcanus, ſeu recõditus ſub rebus, & etiã dicitur ſpiritualis, quia latet ſub rebus, ſicut ſpiritus ſub corpore, v. g. in illis verbis, Oſeæ 11. *Ex Egypto vocaui filiũ meũ* ad litterã loquitur Spiritus ſanctus de populo Iſrael, quem eduxit ex Egypto, vt ex antecedentibus, & ſubſequentibus deducitur: myſticè autẽ, ſeu ſpiritualiter intelligitur de Chriſto figurato per populũ Iſrael, quẽ etiã poſteà reuocauit ex Egypto.

Circa

Circa posterius, etiam cõueniunt communiter Theologi, sensum spiritualẽ esse triplicem, nempè Tropologicum, seu moralẽ, qui ad mores refertur, & Allegoricũ, qui ad mysteria nostrę fidei pertinet, & Anagogicum, qui pertinet ad ea, quę sunt æternę Beatitudinis; hi tres spirituales, & vnus litteralis, duobus sequẽtibus versibus cõtinentur.

Litteragesta docet: quid credas allegoria,
Moralis quid agas: quo tendas anagogia.

Horum quatuor sensuum habemus exemplum in ciuitate Ierusalem, quę literaliter significat ciuitatem illam terrenam, in qua passus est Christus, & tropologicè significat animam, allegoricè Ecclesiam, & anagogicè cœlestem patriam. Et eorum quatuor sensuum, seorsim plura sunt exempla in Sacra Scriptura, nunc sufficiat illud Pauli ad Galat. 4. vbi dicitur: *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera*: Vbi sensus literalis manifestus est, sub quibus Verbis, etiam triplex sensus spiritualis latet, subiungit enim Paulus: *Quæ sunt per allegoriam dicta, hæc enim sunt duo testamenta*: Ecce vbi allegoricè, sub duobus filijs figurantur duo testamenta. Deinde subiungitur: *Illa verò, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra*, vbi sub vna ex illis matribus anagogicè significatur nostra Beatitudo, seu patria cœlestis: vlteriùs addit Paulus: *sed quomodo tunc*, is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita etiam nunc: quòd ad sensum moralem pertinet.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm sensus litteralis sit nobilior spirituali, an è contra.

Circa quam existimamus sensum litteralem esse nobiliorem sensu spirituali, si rationem formalem sensus consideremus, & non rem ipsam significatam, nec intentionem Spiritus sancti; quia significatio proxima, seu immediata vocum est præcipua ergo significatum proximum, in ratione significatur, seu sensus proximus in ratione sensus, est mobilior; sensus autem litteralis est proximus, seu immediatus, & non spiritualis, vt dicimus diffic. 4. Quòd si rem ipsam significatam attendamus, seu significatũ, & sensum, non formaliter, sed materialiter significatum, seu sensus spiritualis materialiter, vt plurimum, est nobilior, & consequenter magis intentus, ab

Spiritu Sancto, quanuis aliquando contingat sensum spiritualem, etiam materialiter esse minus nobilem, quàm litteralem.

Ex dictis constat eum in explicanda Sacra Scriptura, rectè procedere, qui prius sensum litteralem, vt pote primarium, & fundamētū spiritualis, & postea, vbi commodè fieri potest, spiritualem elicit; ita tamen, vt non sibi certo persuadeat esse intentum ab Spiritu Sācto, nisi qui, aut ab aliquo sacro scriptore, aut communi Patrū consensu probatus fuerit.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm sub eadem littera, aliquando plures sensus litterales contineantur.

SVpponimus contra Lyram, in omni loco Scripturæ, esse sensum litteralem, saltem metaphoricum; quia impossibile est, quin per propositiones significetur, aliquid immediatè, in quo consistit sensum earum esse literalem.

Hoc suppositio, conueniunt communiter Theologi contra Medinam, & Adamum, aliquando sub eadem littera, seu sub eadem propositione vocali, seu litterali, plures sensus literales, ex a quo cōtineri, ex intentione Spiritus Sancti; quia aliquando cōtextui Scripturæ rectè quadrant plures sensus litterales: ergo maximè credibile est, Spiritum Sanctum, qui fuit Auctor Sacræ Scripturæ, eos sensus intē disse: imò & Scriptorem Sacrum, quando id scripsit, eos plures intelexisse, & intendisse; quia credendum non est, Spiritum Sanctum, qui fuit Sacræ Scripturæ principalis Auctor, vsum fuisse Scriptore rationali, tamquam instrumento irrationali, & purè ammannuensi, non percipiente, quòd Scriptura sua immediatè significabatur: quanuis suspicari possimus, non semper percepisse sensum spiritualem.

Vnde difficile existimamus aliud extremum, quòd docuit Augustinus 12 Confessor. cap. 30. & 31. dicens, omnia, & singula vera, quæ quisque posset, sub vna littera intelligere, ad sensum litteralem pertinere; quia difficile apparet Spiritum Sanctum, tot, & tam varia Scriptori sacro reuelasse, & ad ea simul significanda impulisse.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm non ſolum litteraliter, & ſpiritualiter, ſed etiam àccommodaticiè ſoleat Sacra Scriptura tractari.

SVpponimus vti Scriptura per accõmodationem, nihil aliud eſſe, quàm aliqua verba illius, per extenſionem quamdam, ad eam rẽ applicare, quam ſacer Scriptor, non intellexerit, nec litteraliter, nec ſpiritualiter.

Hoc ſuppoſito, cõueniũt Theologi, Scriptores Sacros, & Eccleſiã, & Sãctos Patres aliquãdo, vti Scriptura antiquiore, eã accõmodando ad ſignificandam aliam rem, quæ, per eam Scripturam antiquiorem, nullatenus ſignificabatur, ita ſæpiſsimè Sancti PP. in ſuis Concionibus, & Eccleſia in Officio B. Virginis, & aliorum Sanctorum, & aliquando Scriptores Sacri, verbi gratia, Ioannes Apocaly. 11. qui accommodat quædam verba, Zachariæ 4. ad duos viros prædicaturos tempore AntiChriſti, quos eſſe Enoc, & Eliam multi PP. affirmant.

DIFFICVLTAS XX.

Quo modo ex prædictis Scriptura Sacra debeat tractari, vt efficax ſit ad veritates fidei comprobandas.

COnueniunt DD. Scripturam Sacram in ſenſu litterali, eſſe locum Theologicum infallibilem, ex quo Theologus efficaciſsima depromit argumenta, ad dogmata fidei comprobanda; quia ſenſus litteralis manifeſtus eſt, & ab Spiritu Sancto intentus. Et quoties de ſenſu ſpirituali conſtat; quia eum Chriſtus, aut aliquis ſacer ſcriptor elicuit: ita efficaciter deſeruire poteſt, ad id, ſicut litteralis, cum etiam ſit ab Spiritu Santo intentus; ſenſus verò accommodaticius regulariter eſt inutilis Theologo, vt ex eo argumenta eruat; quia regulariter non eſt ab Spiritu Sancto intentus ſed rariſsimè.

(.§.)

TRACTATVS

DE ATTRIBVTIS DEI.

NOMINE Attributi intelligimus, vt communiter Theologi, id quod est intrinsicè in Deo à nobis cõceptum, vt passio, seu proprietas essentiæ diuinæ, v.g. existentia, misericordia, iustitia; scientia, volũtas, immensitas, immutabilitas, incomprehensibilitas, omnipotentia, & alia, ex quibus aliqua sunt expressè, & formaliter positiua, vt iustitia, & alia sunt expressè, & formaliter negatiua dicentia; expressè, & formaliter, negationẽ alicuius imperfectionis, vt immutabilitas, quæ fundatur in aliquo positiuo existente intrinsicè in Deo, aut aliud comitatur: omnia autem attributa, sunt infinitè perfecta, aut formaliter, vt affirmatiua, aut fundamentaliter, vt negatiua; in quo autem essentia diuina (cui attributa, quasi proprietates conueniunt) sita sit formaliter, dicimus tract. 2. de Scientia Dei, disp. 1. difficul. 6.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deum esse, seu existere sit per se notum.

DEum esse in rerum natura, seu existere (quanuis nonnulli moribus perditissimi negauerint, qui ideo dicti sunt Athei, vel Atheistæ, id est, sine Deo) est certissimum de fide, vt constat Exod. 3. *Ego sum qui sum: qui est, misit me ad vos*: ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est.* Imò ad fidẽ necessario supponitur Deũ esse; quia fides innititur testimonio Dei dicentis, nullus autem testificatur, seu dicit, nisi qui est, seu existit.

Est tamen difficultas, an Deum esse, seu existere, sit per se notum.

Circa hanc difficultatem, certũ est, hanc propositionẽ *Deus est*, esse per se notam (id est ex suorum, terminorum apprehensione, absque me-

aliquo) videnti Deum, vt est in se: imò videntem Deum, vt in se est, nullam formare propositionem mentalē huius significati *Deus est*, sed vnico tantū simplici, seu indiuisibili cōceptu formali, seu vnico tātū intuitu ferri in Deū, & in eius existentiam, tanquā in vnicum simplicem, & indiuisibilem conceptum obiectiuum.

Est ergo difficultas, an Deum esse, seu significatum, per hanc propositionē *Deus est*, sit etiā, per se notū non videntibus Deum, vt est in se, sed tantū per speculū, & in enigmatè eum cognoscentibus.

Circa quam etiam est certum, quòd quanuis significatum dictæ propositionis sit in se simplex, seu indiuisibile, viator tamen, qui ta le significatum non concipit pro vt est in se, plures de eo significato format conceptus obiectiuos, vnum *Dei*, quasi subiecti, & alterum *existentiæ*, quasi formæ conuenientis Deo, & quasi prædicati, ac proinde conficit propositionem, qua componit, seu affirmat *Deum esse*.

Est ergo difficultas, an dicta propositio obiectiua, seu significatum dictæ propositionis, sit nobis viatoribus per se nota, qui Deum existentem non cognoscimus, vt est in se, seu quòd idem est, an nobis viatoribus: ita dicta propositio obiectiua sit nota, vt ex se, seu ex suorum terminorum apprehensione, ei assentiamur, absq; assensu præmissarum, seu absque notitia alicuius medij connectētis præ dicatum cum subiecto.

Ægidius in 1. d. 3. q. 2. Argentina q. 1. ar. 3. Albertus 1. p. Summæ q. 17. Nicolaus de Lyra in c. 5 Exodi, Abulensis, in idem cap. 5. q. 2. partem affirmatiuam tuentur. Cui fauere videntur nonnnulli P P. quos refert Vazq. disp. 16. c. 1. Et ratione videtur probari; quia nullus, perceptis, seu apprehensis terminis huius propositionis *Deus est*, eam negauit, nisi aliquis insipiens, & nō exterius, sed tantū in corde suo, iuxta illud Ps. 53. *Dixit insipiēs in corde suo, nō est Deus*: ergo dicta propositio *Deus est*, est per se nota.

S. T. verò q. 2. ar. 1. & ibid. Cai. Zum. Mol. Ban. Val. Vazq. & Scot. in 1. d. q. 2. Greg. q. 1. ar. 2. Dur. d. 3. q. 3. & communit. Theologi partem negatiuam tradunt, & merito; quia quòd sit aliquod primum principium omnium rerum, & omnino independens ex se ipso, habens suum esse, & à quo reliqua omnia ducunt originem, & dependēt (quòd nomine *Dei* intelligimus, & significamus) nōdum nobis apparet, verum, vt experientia ipsa constat, quo vsque ad id ducamur, aut testimonio diuino, aut testimonio aliquo creato, aut discursu aliquo desumpto ex creaturis, quas fieri videmus: ergo dicta propositio *Deus est*, non est nobis viatoribus per se, seu ex suis terminis nota.

Patres autem, qui faucre videntur aduerſarijs tantum intendunt nos, ita facile in notitiam ſaltem probabilem dictæ propoſitionis deuenire, vt videatur per ſe, ſeu ex ſuis terminis nota: & ob hanc facilitatem deueniendi in notitiam illius, raro negabitur præſertim à cordato, etiam ſi pro paruo aliquo tempore poſsit ſuſpendi aſſenſus in illam: Imò, & inuencibiliter ignorari, præſertim à rudibus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deum eſſe ſit demonſtrabile.

QVia ex dictis conſtat, *Deum eſſe, ſeu exiſtere*, non eſſe nobis viatoribus per ſe notum, ideo examinandum eſt, vnde, & quomodo id poſsit cognoſci.

Id autem poſſe, & de facto cognoſci fide diuina, conſtat ex difficultate præcedente: & etiam id poſſe, & de facto cognoſci fide humana, ex teſtimonio hominum habita, negari non poteſt. Id quoque ſumma, & firma probabilitate ex hac rerum vniuerſitate, & machina à poſteriori poſſe, & de facto perſuaderi: ita certum eſt, vt nullus ſanç mentis, niſi moribus perditiſsimus negare audeat ad huc in corde ſuo.

Eſt tamen difficultas, an id poſsit euidenter demonſtrari.

Circa quam ſupponimus, id non poſſe demõſtrari à priori; quia nihil eſt, quòd ſit cauſa, nec quaſi cauſa exiſtentiæ Dei.

Punctum ergo difficultatis in eo eſt, an id poſsit ſaltem à poſteriori demonſtrari.

Non defuerunt, qui vt refert S. Th. 1. contra gentes, c. 12. exiſtimauerint nullo modo poſſe demonſtrari Deum eſſe. Quòd ex ſcholaſticis etiã ſenſit Alliacenſis in q. 3. ar. 2. lit. X. Id autẽ probat; quia non poteſt demonſtrari *Deum eſſe vnum*, ergo, nec *Deum eſſe*; quia Deus nihil aliud eſt, quàm vnum quoddam ens, omnino infinitum ſupra omnia entia.

Sanct. Thom. verò q. 1. ar. 2. & ibidem Cai. & plures alij Thomiſtæ, Vazq. diſp. 20. c. 3. Suarez lib. 1. c. 1. Arrubal diſp. 9. & communiter Theologi docent *Deũ eſſe*, poſſe demõſtrari à poſteriori ratione naturali, deſũpta ex creaturis, quæ producũtur, & fiũt; quia omniũ earũ multitudo, quãuis infinita, tandẽ debet ad aliquod principiũ, ſeu ad aliquã cauſam omniũ earũ reduci, quæ ſit à ſe, & non ab alio, vt ex ſe patet: hæc autem cauſa, quæ eſt cauſa omnium creaturarum,

rũ,& eſt ens à ſe,eſt Deus;ergo *Deum eſſe* demonſtrari poteſt ex creaturis,quę ab ipſo producuntur,& fiunt. Et quia creaturæ ſunt effectus Dei,& conſequenter poſteriores ipſo Deo,ideo demonſtratio qua demonſtrari poteſt *Deum eſſe*,eſt demõſtratio à poſteriori,vt pote ab effectu,qui eſt poſterior ſua cauſa. Demõſtrationẽ,qua demõſtramus *Deum eſſe*,non impedire aſſenſum fidei, quo credamus *Deũ eſſe*,diximus tract.de fide,diſp.2.dif.10.

Ad rationem ergo Alliacenſis,negamus non poſſe demonſtrari Deum eſſe vnum,vt videbimus diſp.de Vnitate Dei. Et quamuis non poſſet demonſtrari Deum eſſe vnum, poſſet demonſtrari Deũ eſſe in rerum natura;quia vnitas & exiſtentia Dei ſunt diuerſa prædicata,& exiſtentia Dei eſt facilior cognitu,quàm vnitas.

Exiſtentiam autem Dei,qua eſt ſeu exiſtit in rerum natura,eſſe re ipſa indiſtinctam ab eſſentia ipſius Dei,negari non poteſt ob ſummam Dei ſimplicitatem. Imò in creaturis exiſtentiam non diſtingui re ipſa ab eſſentia,diximus tractat.de Incarnation.diſp.12.dif.2. Exiſtentiam tamen Dei,ratione ratiocinata,diſtingui ab eſſentia negari non poteſt;quia eſſentiam diuinam, & exiſtentiam diuinam concipimus inſtar eſſentiæ creatę,& exiſtentiæ creatæ: has autem, vt diuinctas concipimus,eſſentiam videlicet,vt eſſentiam,ſeu vt eſſe non concepta actualitate,& exiſtentiam concipimus,vt actualitatem eſſentię,qua eſſentia eſt actu in rerũ natura, de quo diximus in dicta dif.2.& id amplius conſtabit ex dicendis diſp.12.

DISPVTATIO II.

De ſimplicitate Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus ſit corporeus.

NON Defuerunt hæretici adeo ſtolidi, qui Deum eſſe corporeum affirmarunt,& ideo dicti ſunt Antropomorphitæ quaſi Deum inſtar hominis figurantes,& ab Audio,ſeu Audæo monacho huius erroris magiſtro,dicti ſunt Audiani ſeu Odiani,quos vocabulo eluxato, Auguſtin hæreſi 50 vocat Vadianos; hæretici iſti ducti ſunt ad id aſſerendum,in primis illo Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, quo ſignificari videtur in

Deo ẽsse aliquid cui homo aſsimiletur, quod non videtur esse aliud, quàm figura corporea. Secundò, ducti sunt illis locis Scripturæ, in quibus Deo tribuuntur membra corporalia, Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me*, & Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*. Tertiò, ducti sunt locis Scripturæ, in quibus Deo tribuuntur actus, seu operationes propriè corporis, nempè stare, & sedere.

Vera tamen, & Catholica doctrina, quæ communi omnium fidelium sensu, & traditione probata est, docet Deum esse incorporeum, seu spiritualem: Et est expressa in Scriptura, Ioann. 4. Spiritus est Deus, & 1. ad Timoth. 1. Vbi Deus dicitur inuisibilis. Et definita est in Concil. Lateranen. sub Innoc. III. & refertur in cap. firmiter de Summ. Trini. & fide Cathol. dum dicitur: *Deum esse omnino simplicem*.

Et ratione naturali potest demonstrari; quia si Deus esset corporeus, nõ posset, non esse compositus, aut ex potentia, & actu tamquam ex partibus essentialibus, aut saltem ex partibus integrantibus, siue homogeneis, siue etherogeneis; quia esset extensus: Deus autem nequit esse compositus; quia esset posterior suis componentibus, & ab eis dependens, ac proinde non esset Deus; quia Deus est ens omnium primum, & ab omnibus independens.

Loca autem Scripturæ, quibus hæretici ducti sunt, eis non fauent; quia vt Patres omnes interpretantur, Genes. 1. Homo dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei, non secundùm corpus, sed secundum animam, & non ad imaginem strictè, sed latè, & impropriè sumptam pro exemplari; quia homo ad imitationem Dei factus est liber, & præditus intellectu, & voluntate, & habens dominium in reliquas creaturas, vt indicatur loco Geneſis, dum dicitur, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus: & loca Scripturæ in quibus Deo tribuuntur membra corporalia, & operationes corporis, etiam intelliguntur impropriè, & metaphoricè, sicut quando dicitur Leo (quo significatur fortitudo Dei) quia per manus significatur, seu intelligitur potentia Dei, *& per oculos, & aures*. Significatur intellectus Dei, attendens, & per *sedere*, significatur immutabilitas Dei in suis decretis, & per *stare*, significatur potestas ipsius, ad complendam suam voluntatem.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus sit in aliquo genere, seu prædicamento cum rebus creatis.

COnueniunt Theologi, Deum in nullo prædicamento accidentiũ collocari: quia Deus est substantia, & non accidens; imò in eo nullum accidens reperitur, vt dicemus difficul. sequente.

Controuersia ergo solum est, an Deus, qui est vera substantia completa, & perfectissima pertineat ad prędicamentum substantiæ.

Holcot in 1. quæst. 6. Ariminensis in 1. d. 8. quęst. 3. Marsil. quæst. 12. art. 2. & Baconius d. 9. quæst. 1. partem affirmatiuam tuentur, quibus fauere videtur August. 5. de Trinit. cap. 8. dum ait, substantiam, & relationem de Deo propriè enunciari. Et ratione probatur; quia Deo; quanuis re ipsa sit summe simplex, non repugnat compositio ex genere, & ex differentia; ergo non repugnat collocari in genere, seu prædicamento substantiæ; consequentia patet, antecedens autẽ probatur, quia compositio ex genere, & ex differentia, vtpote non realis, sed rationis, non derogat simplicitati reali Dei.

Sanct. Thom. verò & Caietan. quæst. 3. art. 5. Vazquez disput. 22. cap. 3. Arrubal disput. 10. cap. 10. Granad. tract. 2. d sput. 4. & communiter Theologi partem negatiuam merito tradunt, quam nos cap. de substantia, quæst. 2. tradidimus.

Omissis autem variis rationibus, quibus hæc nostra sententia probari solet, hic vnica ratione probatur, quia nulla potest dari ratio substantiæ cõmunis vniuocè Deo, & substantiæ creatę; ergo nequeunt sub vno generalissimo substãtiæ cõceptu collocari: consequentia patet, antecedens autem probatur, quia substantia diuina, ita excedit substantias creatas, vt in comparatione ad ipsas, potius dicatur supersubstantia, nec conceptus obiectiuus, quem de substantia habemus, attingit rationem substantiæ diuinæ; ergo substantia diuina, seu Deus nequit collocari in eodem prædicamento, quia illis nulla datur communis vniuocè; ac proinde, nec generica, quia genus est vniuocum ad suas species: ex quo constat Deum non posse componi adhuc per rationem, ex ratione aliqua generica in qua vniuoce cum creaturis, & ex ratione differentiali.

August. autem pro aduersarijs adductus tantum docet, quòd substantia & relatio verè & propriè conueniunt Deo, non tamẽ docet conuenire vniuoce cũ substantia, & relatione creatis, quòd erat

neces-

necessarium vt substãtia,& relatio diuina pertinerent ad idẽ prædicamentum,seu generalissimum substantię,& relationis cum substantia,& relatione creatis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in Deo sint aliqua accidentia.

QVanuis ex difficultate prima,constet Deum non esse substantialiter compositum,ex eo tamen non constat in Deo non reperiri accidentia; quia hoc nihil derogat eius simplicitati substantiali.

Nihilominus Theologi conueniunt,in Deo nulla esse accidẽtia intrinseca:quòd definitum videtur â Leone I.in Epist.93. ad Turibium c.5. & in Conc.Remensi,dũ in eo definitur Deum esse suam sapientiam,& suam deitatem;quia si aliquid Dei esset ipsi accidẽs intrinsecum,maximè sapientia.

Et id solet varijs rationibus probari, ex quibus quanuis Patri Vazq.ar.5.ea visa sit optima,nempè,quod Deus cum sit primum, & independens ens,nulla egeat peregrina, & accidentaria forma: nos tamen ea ratione non conuincimur; quia materia prima recipit formam cuius non egere existimamus;& quotidie plura accidẽtia recipiuntur in subiectis creatis, quorum nullatenus egent, imo eis sunt nociua,vt calor in aqua.

Illa ergo ratione conuincimur,& à nobis demonstratur,Deum in se nulla habere accidentia realia,ipsi intrinsicè inhęrentia; quia scilicet substantia Dei est infinitè perfecta,vt dicemus disp. 4. ergo nequit habere accidentia realia;quia eis realiter perficeretur,cum sint perfectiones reales,quanuis tantum accidentales.

Diximus in Deo,nulla esse accidentia intrinseca; quia negari nõ potest ei attribui plures denominationes extrinsecas,vt esse creatorẽ,&iustificatorẽ,quæ nõ sunt in Deo accidentia ipsi intrinseca, seu inhęrentia,sed sunt denominationes ipsi extrinsecę conuenientes ab ipsis actibus externis creandi,& iustificãdi ipsum extrinsecè denominantibus creatorem,& iustificatorem.

Et quanuis actus interni,quibus Deus decreuit aliquid, sint in Deo,non tamen sunt accidentia, sed ipsa substantia Dei: sunt tamen liberi non quo ad substantiam,sed tantum quo ad terminationem,seu applicationem quo ad obiecta,ita vt Deus decernens efficere Petrum,sit necessariò decernens absolutè libere vero, seu

pro

pro libertate Dei verſetur, ſeu extendatur, ſeu terminetur ad effectionem Petri, vt dicimus tract. 3 de volun. Dei, diſp. 3. dif. 2.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Deus ſit omnino ſimplex.

SVpponimus ſimplicitatem opponi compoſitioni, ſicut vnitas opponitur multitudini; ſimplex enim dicitur, quòd non eſt compoſitum, ſicut vnum dicitur, quòd non eſt multa, ſeu multiplex.

Hoc ſuppoſito conueniunt Theologi, Deum, re ipſa eſſe omnino ſimplicem, ſeu nullatenus compoſitum, quòd definitum eſt in Concil. Lateranenſi ſub Innoc. III. & refertur in cap. *firmiter* de ſum. Trinit. dum dicitur, qnòd *Deus ſit vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.*

Et ratione probatur primo; quia Deus eſt ens primum, & omnino independens; ergo nullatenus eſt compoſitus, ſed omnino ſimplex, aliàs extrema Deum componentia eſſent priora ipſo Deo, & ab eis dependeret; quia omne compoſitum ſupponit ſua componentia, & ab eis dependet. Secundò probatur; quia ad compoſitionem realem, prærequiritur diſtinctio realis extremorum componentium: quia compoſitio ſola eſt in vnione extremorum: vnio autem realis, nequit eſſe niſi inter, quæ ſunt re ipſa diſtincta, ſed in Deo non eſt diſtinctio realis, niſi inter ipſas perſonalitates diuinas, vt dicimus tract. de Trini. diſp 2. ex quibus nulla poteſt fieri compoſitio realis; quia inter ſe nullatenus vniuntur realiter, vt patet, nec vniuntur realiter media eſſentia; quia cum hac non vniuntur realiter; quia realiter identificantur cum ipſa; ergo in Deo nulla eſt realis compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas realis. Ex quo conſtat, Trinitatem, ſeu pluralitatem perſonarum, non obſtare ſimplicitati Dei: imò nec vnitati Dei, ſed tantum vnitati perſonæ; quia quãuis perſonalitates ſint tres, & ideo ſint tres perſonæ, Deus tamen eſt vnus, quia Deitas à qua eſt Deus, eſt tantum vna.

Sed quanuis Deus re ipſa, ſeu à parte rei, ſit omnino ſimplex, & nullatenus re ipſa compoſitus, ratione tamen noſtra eſt compoſitus, ſeu conſtitutus ex Deitate, quaſi ex materia, & ex perſonalitate, quaſi ex forma, qui a Deitate dicitur Deus, & à perſonalitate dicitur perſona: & etiam eſt compoſitus, ſeu conſtitutus ex perſona, quaſi ex materia, ſeu ſubiecto, & ex quolibet attributo, verbi gratia, ex ſapientia, quaſi ex forma, qui ſic conſtitutus dicitur ſapiens:

eſt

est autem dictis modis ratione nostra compositus; quia Deitas, & personalitas, ratione nostra, distinguuntur, vt dicimus tract. de Trinit. disp. 2. & quælibet Diuina persona à quolibet attributo, vt dicimus disput. difficil.

Et quanuis non sit re ipsa compositus, potest tamen, vt personalitas est re ipsa componere, & de facto personalitas Verbi diuini, est realiter componens, cum humanitate Christi compositum, quòd ab humanitate dicitur homo, & ab ipsa personalitate Verbi, dicitur persona, & est stricte componens, vt dicimus tract. de Incarn. dis. 2. diffic. 3.

DISPVTATIO III.

De perfectione Dei.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm Deus sit Perfectus.

DEum esse Perfectum in suo esse, nullus sanæ mentis negare potest, quia perfectum, vt ait Aristot. 5. metaph. est cui nihil deest, subintellige, ad complementum sui esse, Deo autem, vtpote enti omnino necessario, & independenti ab omni alio, nihil deficit, nec deficere potest, vt sit Deus; ergo est perfectus: & esse omnium creaturarum perfectissimum, & excellentissimum negari non potest, quia est ens à se, seu increatum, & independens ab omnibus alijs rebus, & omnes aliæ sunt creatæ, & dependentes ab ipso: & Deum esse infinitè perfectum, dicimus disput. 5.

Ex eo autem, quòd in Deo non sint formaliter perfectiones creatæ, non sit Deum, non esse perfectum, quia Deo non sunt necessariæ, vt Deus sit ens summum, & independens: imò si Deus eas formaliter haberet, vt sunt in se, Deus esset monstrum, quia esset homo, & lapis, & reliquæ creaturæ.

Quanuis ergo Deus nullam perfectionem creatam habeat formaliter in se, quia formaliter est ens increatum, eas tamen habet in se ipso aliquo modo, iuxta illud ad Roman. 11. in ipso sunt omnia: imò eas dupliciter habet, primò eminēter, seu virtualiter, quia creaturæ sunt in Deo, tanquam in causa efficiente principali, quia Deus est causa efficiens principalis omnium creaturarum, habēs virtutem eminentē, seu superiorem ad eas omnes producēdas, & secundò omnes creaturæ sunt in Deo obiectiuè, seu repræsentatiuè, tanquam in in-

intelligente, seu repræsentante media intellectione, quia Deus sua intellectione eas omnes intelligit, & repræsentat, vt sunt in se.

DISPVTATIO IIII.

De bonitate Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus sit bonus, & quibus modis.

CIrca prius conueniunt omnes, Deum esse bonum, quòd satis repetitur in scriptura: & ex dicendis satis constabit.

Circa posterius, quibus, scilicet, modis, Deus sit bonus, superest difficultas.

Pro cuius maiori explicatione supponimus, bonum esse duplex, alterũ absolutum, seu in se ipso, alterum relatum, seu alteri: Bonũ absolutũ, (quòd idem est ac perfectum) dicitur, cui nihil deest ad suũ esse, quia res dicitur absolutè, seu in se ipsa bona, seu perfecta, quæ in suo esse est integra, seu cui nihil deest ad suũ esse, sicut è cõtra: res dicitur absolutè, vel omnino, quia corrupta est, vel secum quid, quia ei deficit aliquid ipsi debitum: vnde bonitas absoluta, seu perfectio rei, est integritas ipsius, quę est re ipsa, aut ratione nostra concipitur, vt perfectio, complens, seu integrans rem ipsam, sicut malitia bonitati oppositæ, est corruptio rei, aut defectus aliquis illius.

Bonitas autem absoluta rei, est quincuplex, alia essentialis, qua videlicet res in suo esse essentiali, est integra, seu perfecta, vt qua natura humana est essentialiter bona, seu perfecta, ex eo quòd cõstat corpore, & anima vnitis: alia est personalis, seu suppositalis, qua scilicet natura substantialis personatur, seu suppositatur, & subsistit: alia est integralis, qua scilicet natura corporea est integraliter bona, cõstans omnibus suis membris: alia est accidentaria, qua natura est accidentaliter bona, constans suis potentijs, & operationibus, & alijs accidẽtibus sibi debitis: imò etiam erit accidentaliter bona bonitate super addita, quando etiã constat accidentibus sibi consonis, & perficientibus, quanuis non debitis: alia est bonitas moralis, qua natura rationalis est moraliter bona: & eadem proportione totidem quinque modis in rebus reperitur malitia, excepto defectus accidentis consoni non debiti naturæ, quia non dicitur malitia, etsi ei deficiat accidens consonum, quando non est debitum.

Ex

Ex dictis quinque bonitatibus absolutis, sola bonitas essentialis est passio entis, quia ea sola conuenit omni enti, & soli & semper, & ob id dici solet bonitas transcendentalis; eò enim ipso, quòd aliquid est ens, est essentialiter perfectum entitate requisita, vt sit ens: & hæc bonitas essẽtialis, est realiter indistincta ab ipso ente vt patet, ab eo tamen ratione distinguitur, quia concipitur quasi affectio afficiẽs ipsum ens, cui est bonitas, ac proinde ratione nostra est posterior ipso ente, quia concipitur vt affectio ipsius entis, tanquam subiecti.

Bonum relatum, dicitur illud, quòd est alteri rei conueniens, sicut res dicitur relatè mala, quæ est alteri rei disconueniẽs. Bonum autẽ, hoc est duplex, vnum naturale, seu physicum, quòd est alteri rei naturaliter, seu physicè conueniens, vt sanitas homini: alterum est morale, quòd scilicet est moraliter conueniens naturæ rationali, vt rationalis est, vt actio honesta, & sanctitas: vndè boni as, seu ratio formalis boni relati, sita est in relatione cõueniẽtiæ, sicut è contrario, malitia ei oppositа, sita est in relatione disconuenientiæ.

Obseruandum tamen est primò, neutram ex his duabus bonitatibus relatiuis esse passionem entis, quia neutra conuenit simpliciter omni enti, quia nulla res, præter Deum, est omnibus alijs conueniens; imò nulla est magis conueniens, quàm disconueniens, aut saltem non conueniens, quia si aliquibus conuenit, alijs disconuenit, aut saltem non conuenit.

Obseruandum est secundò, res relatè bonas, posse esse bonas, aut proximè, seu primario, quando, videlicet, ratione sui sunt alteri cõuenientes, quales sunt formæ accidentariæ, respectu subiecti cui inhærent, aut remotè, seu secundariè, quãdo. scilicet, sunt conuenientes alteri, non ratione sui; sed ratione effectus conuenientis, quẽ causant, aut vtroque modo, quando scilicet rationi sui, & rationi sui effectus sunt alteri conuenientes.

His ergo præsuppositis, certum est Deum esse bonum absolutè, tã in esse physico, seu naturali, quàm in esse morali, & omni eo modo, quo creaturæ sunt bonę, qui non admittit imperfectionem; quòd vt ostendamus, discurrere oportet per omnes modos bonitatis, quibus creaturæ dicuntur bonæ.

Et in primis, Deus est bonus physicè bonitate absoluta, non solum essentiali, sed etiã personali, & etiam nihil ei deest bonitati quasi accidentalis, quia ita in se ipso est integer & perfectus, vt nihil Deo desit ex his, quæ ad essentiam, & ad personas, & ad attributa, (quæ à nobis concipiuntur, quasi accidentia), & ad emanationes, & ad alias operationes ipsius pertinent: non tamen est bonus bonitate physica integrali, quia hæc bonitas supponit imperfectionem partiũ

in-

integrantium, quæ Deo conuenire non potest: non tamen est malus integraliter, malitia bonitati integrali oppositæ, etiam si ea bonitate careat, quia non est Deo debita.

Deinde Deus est physicè bonus bonitate relatiua, non solum remotè, seu secundario, causando, videlicet, in creaturis effectus aliquos, eis conuenientes, sed etiam proximè, seu primario, quia Deus etiam ratione sui, & immediatè est creaturis conueniens: & in primis est sic conueniens omnibus creaturis, etiã inanimatis, quia immediatè & ratione sui producit, & conseruat totũ esse earum, quòd non est ipsis conueniens, quia est indistinctum ab ipsis: deinde immediatè, & ratione sui, est alijs modis conueniens creaturis rationalibus, seu intellectualibus, quia Deus cognitus, est immediatè, & ratione sui beatitudo obiectiua earum, quem mentaliter apprehendere, seu possidere desideramus, & de eo possessõ immediatè delectamur.

Vlterius, Deus est bonus bonitate relatiua in esse moris, non solum bonitate actuali, reperta in operibus suis à dextra, quia in omnibus eis est rectus, & bonus, sed etiam quasi habituali, quæ est sua naturalis restituendo, & propensio in opus rectum, seu bonum.

Tandem, Deus est bonus bonitate sanctitatis, consistente in perfecta adhæsione, & adæquatione ad se ipsum, sicut etiam sui ipsius visione, est & dicitur beatus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus sit summè bonus.

COnueniunt primò Theologi, Deum esse summè bonum bonitate essentiali, seu trascendentali, (imò infinitè, vt dicemus disp. 5.) quia Deus est omnium entium perfectissimũ, vtpote causa æquiuoca principalis omnium: ergo est omnium bonorum perfectissimũ & summum, quia bonitas essentialis, seu trascendentalis rei, est entitas ipsius, ac proinde quælibet res tantùm habet bonitatis, seu perfectionis transcendentali, quantum habet entitatis.

Conueniunt secundò, Deum esse summè (imò infinitè) bonum bonitate absoluta personali, & bonitate quasi accidentali, & bonitate morali tam aptitudinali, quàm bonitate sanctitatis, quia Deus qualibet earum, in suo genere est re ipsa summè, (imò infinitè) bonus, quia qualibet est bonus rationibus, quæ sunt formali-

tes

ter in ipso, in Deo autem nihil est formaliter, quòd non sit summum, imò & infinitum: omittimus bonitatem moralem actualem, quia hæc, quamuis sit infinita in actionibus Dei ad extra, prout sunt à Deo, non est formaliter realis, sed tantum extrinseca denominatio, orta ex ipsis actionibus, tanquam ex fundamentis.

Ita tamen Deus est summè, & infinitè bonus bonitate absoluta actuali, vt ipse solus sit talis essentialiter, seu per suam essentiam, quia ipsi & soli ex vi suæ naturæ, seu essentiæ, & non aliunde, conuenit esse summè, & infinitè bonum, & omnino indeffectibiliter: creaturæ verò tantùm sunt bonæ accidentaliter, & per participationem, accidentaliter quidem, quia eis potuit bonitas per corruptionem deficere, & potuerunt eam non habere, quia potuerunt non produci: per participationem verò, quia creaturæ accipiunt omnem suam bonitatem ab alio, saltem à Deo distinctæ essentiæ, & naturę, Filius verò, & Spiritus sanctus, quamuis accipiant omnem suam bonitatem, Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & à Filio nō dicuntur eā habere ab alio, quia eā habēt Filios â Patre eiusdem naturæ, & essentiæ cum ipso, & Spiritus sanctus á Patre, & Filio eiusdem naturæ cum ipso Spiritu sancto, & quamuis ab entitate Dei, vt est essentia, ratione nostra distinguantur, & excludantur existentia, & reliqua attributa, quibus Deus etiam dicitur absolutè bonus, etiam eis dicitur bonus per essentiam, seu essentialiter, quia ea omnia sunt realiter de essentia Dei, id est, de entitate, & substantia Dei, quia Deo repugnat non esse realiter bonum, existentem, sapientem, infinitum in essendo, & sic de reliquis.

Conueniunt tertiò, Deum esse summè, (imò & infinitè) bonum bonitate relatiua primariè, seu proximè, quia vt summum, (imò & infinitum) producit, & conseruat creaturas, quia producit, & conseruat creaturas sine subiecto, aut si in subiecto, id tamen efficit producendo, & conseruando ipsum subiectum etiam primum, quòd nequit fieri, sine summa (imò & infinita) virtute: & etiam est summum (imò & infinitum) bonum bonitate relatiua primariè, seu proximè omnium creaturarum rationalium, quia est summum (imò & infinitum) obiectum eas obiectiuè beatificans: vt tamen Deus sit summè bonus bonitate relatiua secundariè, seu remotè creaturarum, necessarium est, quòd in eis producat effectum aliquem eis summe conuenientem, quem re vera, imò & infinitè conuenientem potest producere.

DIS-

DISPVTATIO V.

De infinitate Dei.

NVnc non quærimus de infinitate durationis, quæ dicitur æternitas, nec de infinitate ad exiſtendum in rebus, quę dicitur, immenſitas, nec de infinitate cognoſcibilitatis paſsiuæ, quæ dicitur, incomprehenſibilitas; quia de his poſteà dicemus, ſed de infinitate in eſſendo, ſeu in entitate, quę dicitur infinitas ſimpliciter: poſtquam enim egimus de perfectione, ſeu bonitate abſoluta Dei, quæ eſt ſua entitas concepta, vt ipſum perficiens quærimus de infinitate ipſius.

Conueniunt Catholici contra Vorſtium Caluiniſtam, Deum eſſe infinitum in magnitudine perfectionis, ſeu in eſſendo, quod exprimunt Patres, vt conſtat ex ſcriptura, ex illo Pſalm. 144. *Magnitudinis eius non eſt finis*, & ex illo, Baruch 3. *Magnus eſt, & non habet finem*, & expreſsè definitum eſt in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate.

Tota autem controuerſia eſt in explicando, in quo conſiſtat hæc infinitas perfectionis, ſeu in eſſendo.

Omiſsis autem varijs modis eam explicandi, qui videri poſſunt, apud Vazquez diſput. 25. & apud Suarez lib. 2. cap. 1. in eo exiſtimamus conſiſtere infinitatem perfectionis Dei, quòd entitas Dei ſit tantæ perfectionis, vt nulla alia entitas, quantumuis ſit perfectior, & perfectior ſine fine, poſsit ei æquari, quia eo ipſo entitas Dei eſt infinita ſimpliciter, ſeu abſque termino, ſeu fine aliquo in ſua perfectione, quia nulla alia entitas, quantumuis perfectior, & perfectior ſine fine, poteſt diuinam in perfectione attingere: ex eo ergo, quòd Deus ſit ſummum, & maximum ens (quod demonſtratur ex eo quòd ſit ens à ſe) demonſtratur eſſe ens infinitè ſimpliciter perfectum, quia ſi eſt ſummum, & maximum ens, nullum aliud, quantumuis creſcat in perfectione ſine fine, poteſt ei æquari; in quo conſiſtit infinitas ſimpliciter perfectionis in eſſendo.

Vnde etiam attributa Dei, & perſonalitates diuinæ, re ipſa ſunt infinita ſimpliciter in eſſendo, quia re ipſa ſunt omnino idem ac Deus, ſeu entitas diuina, formaliter tamen, vt ratione diſtincta ab eſſentia, ſunt entia infinitè perfecta, non ſimpliciter, ſeu omnino, vt patet, ſed quodlibet in ſuo genere, v. g. ſapientia in genere ſapientię, intellectus in genere intellectus, & Paternitas in genere Paternitatis: & in primis, ſapientia in ſuo genere eſt infinita, quia

scilicet nulla alia sapientia, quantumuis perfectior, & perfectior, sine fine potest ei æquari, quia sapientia Dei est summa, & maxima: est autem summa, & maxima, vel quia est à se, vel quia est entis à se intellectiui, summi, & maximi, & sic de intellectu: & Paternitas etiam in suo genere est infinita, quia scilicet nulla alia Paternitas quantumuis perfectior, & perfectior sine fine, potest ei æquari, quia Paternitas Dei, est summa, & maxima, vel quia est entis generantis summi, & maximi.

Ex dictis constat, Deum non posse efficere ens aliquod simpliciter infinitum in essendo, quia eo ipso, quòd fieret à Deo, non esset ens à se, sed à Deo: Omittimus nũc explicare, an Deus possit efficere infinitum in actu, secundum magnitudinem quantitatis, & secundum multitudinem, quia non pertinent ad explicandam infinitatem Dei: posse tamen fieri à Deo diximus, tertio physicorum in fine.

DISPVTATIO SEXTA.

De immensitate Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus intimè existat in omnibus rebus.

CIrca hanc rem errauit Vorstius pag. 235. dicens, Deum secundum suam substantiam esse tantùm in cœlo, quòd etiam tradit Augustin. Eugubinus in illa verba, Psalm. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es*, quòd indicari videtur, Psalm. 113. illis verbis: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, & Psalm. 122. illis verbis: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.*

Veritas tamen Catholica est, Deum esse in omnibus rebus, & locis intimè, id est, in omni entitate rerum, seu intra viscera earum, quòd non leuiter significatur dum Deus, dicitur immensus in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & in Symbolo Athanasij, & Baruch 3. & idem significatur, Psalm. 138. illis verbis: *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades*, & Hieremiæ 23. *Cœlum & terram, ego impleo*, & 3. Reg. 8. *Cœlum & cœli cœlorum, te capere non possunt*, in quem sensum Patres prædicta, & alia testimonia interpretati sunt, qui videri possunt apud Vazquez disput. 27. & apud Suarez lib. 2. cap. 2. & apud Arrubal disp. 11.

Præ-

Prædictam veritatem nonnulli ſcholaſtica probant ratione deſumpta ex operatione Dei, quia omnes res creatas efficit, & conſeruat, quia mouens, & motum, debent eſſe ſimul coniuncta: hæc tamen ratio nobis non probatur, quia etiam creatura habens limitatam virtutem illi effectui, quem efficit, eſt intimè præſens, nec antè, nec poſt effectionem illius etiam, ſi ob virtutis ſuæ limitationem ante effectionem prærequirat contiguitatem, ſeu propinquitatem cum ſubiecto circa quòd operatur & efficit, & non cum effectu ipſo: ergo Deus qui non eſt limitatæ virtutis, multo minus egebit præſentia intima in re, quam efficit: imò vt eam efficiat nequit talis præſentia prærequiri, quia hæc nequit eſſe in Deo in ea re, niſi poſt effectionem illius, quia quouſque ſit, nequit Deus eſſe ei præſens, imò nec contiguus: & quanuis cauſa creata, vt conſeruet rem, quam efficit, prærequirat dictam contiguitatem cum re ipſa, aut cum ſubiecto illius, non tamen intimam præſentiam: imò hanc nulla creatura poteſt in alia creatura habere: ergo Deus, vt conſeruet creaturas, quas fecit, non eget intima præſentia in illis, ſed ad ſummum eſſet neceſſaria dicta contiguitas: imò hæc non eſt Deo neceſſaria ob infinitatem ſuę virtutis.

Ratio ergo immediata, & quaſi à priori intimæ exiſtentiæ Dei in creaturis, eſt immenſitas ipſius, qua nequit non fieri ſubſtantialiter, & intimè præſens omnibus rebus ſemel exiſtentibus in rerum natura, ſiue exiſtant in loco, vt corpora, ſiue non vt ſpiritus: & quia immenſitas Dei eſt infinita, ſicut quodlibet aliud attributum, nequit Deus rebus etiam omnibus concludi, & definiri; ſed manet ita maior, & ſuperior, vt poſſit alias & alias res ſine fine, ſi exiſtant, replere, ſeu in alijs, & in alijs ſine fine intimè, ſeu intra eas exiſtere: & ob id Deus in ſcriptura dicitur, non capi locis finitis, excelſiorquè cœlo, & inferno profundior, & non quia extra hæc omnia, etiã intimè exiſtat in ſpatio imaginario, quia in eo non exiſtit, vt dicemus difficultate ſequente.

Pſalm. autem 113. & 122. vbi cœlum dicitur eſſe Domino, & in eo habitare (quòd Vorſtius pro ſuo errore adducit) nõ id eo dicitur, quia Deus tantùm ſit in cœlo, & non in terra; ſed quia cœlum deſeruit ipſi quaſi aula Regia, in qua eius maieſtas, & gloria beatis reſplendet, ſicut terra deſeruit hominibus, tanquam aula Regia, in qua eorum gloria, & maieſtas reſplendet, & ob id terra dicitur data filijs hominum, nempè, quaſi aula Regia.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus realiter existat præsens in spatio imaginario, quòd est extra cœlum.

MAior in 1. dist. 37 quæst. 1. Caiet. in illud Ioan. 12. *Ego lux veni in mundum*, Molin. 1. par. quæst 8 art. 1. disp. 3. Valentia par. 2. Suarez disp. 30. sect. 7. docent, Deum existere realiter præsentem in spatio imaginario, quòd est extra cœlum, seu extra mundum, & extitisse in omni spatio imaginario, quòd erat ante creationē mundi, quod significant plures Patres, & significari videtur in scriptura, 3. Reg. cap. 8. dum dicitur: *Cœli cœlorum te capere non possunt*, & Iob 11. dum Deus dicitur excelsior cœlo, & profundior inferno: ergo Deus est extra cœlum, & mundum, cum mūdus, & cœlum nequeant eum capere, & sit excelsior cœlo, & inferno profundior.

Et ratione videtur probari; primò, quia si Deus produceret aliquod corpus extra mundum, (vt potuit, sicut in principio produxit totum mundum in spatio vacuo, seu imaginario) corpus illud productum, esset præsens in eo spatio imaginario, quanuis tale spatium sit nihil, & posset moueri ad aliam partem illius spatij vacui, seu imaginarij: ergo Deus non minus poterit existere in spatio imaginario. Secundò probatur, quia si Deus non esset in spatio vacuo, seu imaginario, & corpus aliquod moueretur ad tale spatium, vt verè poteit, Deus fieret præsens ei spatio cui anteà non esset præsens iuxta oppositam entiam: ergo Deus mutaretur, quia esset realiter, vbi anteà non erat, & relinqueret spatium, in quo anteà erat simul cū corpore, quòd motum fuit, & reliquit spatium illud. Tertiò probatur, quia non minus potest Deus per suam immensitatem, respectu spatij, quàm per æternitatem respectu temporis, quia immensitas nō est minus infinita, quàm æternitas, sed Deus sua æternitate fuit in tempore imaginario ante tempus reale, quia fuit ante creationem mundi, antequam tantum erat tempus imaginarium, quia tempus reale cœpit à creatione mundi: ergo Deus sua immensitate, etiam est in spatio vacuo, seu imaginario.

Bonauentura verò in 1. dist. 37. 1. par. dist. art. 2. quæst. 2. Richar. art. 1. quæst. 2. Scotus quæst. vnica, Dur. quæst. 1. & 2. Capreolus quæst. vnica, art. 2. Vazq. disp. 29. Arrub. disp. 11. cap. 6. Beccanus cap. 6. quæst. 2 & Mæratus disp. 3. sect. 1. docent, & merito Deum non esse realiter præsentem in spatio imaginario, seu vacuo extra mundum, quia spatium illud realiter est nihil, in nihilo autem Deus nequit realiter

liter præsens existere; ergo Deus extra mundum, seu extra cœlũ, tantum est præsens, seu existens in se ipso, sicut erat ante creationẽ mũdi, quia tunc verè existebat Deus, & erat præsens in se ipso, & non in aliquo alio, etiam si imaginatione nostra concipiatur esse in eo præsentem.

Dum autem in scriptura, & à Patribus, modum loquendi scripturæ sequentibus, dicitur Deum non posse capi à cœlis, & esse eis excelsiorem, non significatur Deum, non tantùm esse in mundo, tanquam in spatio, sed etiam esse extra in alio, tanquam in spatio, quia verè non est in alio, tanquam in spatio sed tantùm est in se ipso, sed tantùm significatur Deum, non esse definitum, & quasi alligatũ huic mundo, vt loco, vel spatio ipsi Deo adæquato, quòd verissimum est, quia immensitas Dei, vtpote infinita, tanta est, vt possit esse in maiori, & in maiori mundo, & in infinitis, si à Deo fiant.

Et ad primam rationem respondemus, quòd si Deus extra hunc mundum produceret aliquod corpus, non produceret illud in spatio imaginario, quia hoc est nihil, & in nihilo nihil est, nec producitur realiter (etiam si in eo spatio esset nostro modo concipiendi) produceret tamen illud realiter præsens, non alicui, sed in se ipso, *vbi* seu præsentia, qua in se ipso esset præsens absolutè, & qua esset realiter in loco, si ipsi corpori adiungatur superficies aliqua alterius corporis, qua contineatur, & produceret illud distans, aut propinquum distantia, aut propinquitate in ordine, ad puncta per nostram imaginationem fixa, tantam, aut tantam, quam nos metimur ex ordine ad dicta puncta, & ratione dictæ præsentiæ, & etiam distantię, aut propinquitatis ei corpori conuenirent aduerbia loci, nempè esse hic, aut illic, quanuis non esset in loco defectu ipsius loci, quando scilicet non esset superficies aliqua illud continens, qualis deficeret, aut posset deficere corpori extra mundum producto: spiritui autem ratione sui nequeunt prædicta conuenire, nempè præsentia localis, propinquitas, & distantia. Ratio autem disparitatis inter corpus, & spiritum est, quia corpus, ratione suæ quantitatis, habet aptitudinem, vt possit continuari cum alio corpore ob quòd est capax præsentiæ localis, & etiam habet, quòd inter ipsum, & inter alterum corpus, aut inter punctum fixum po sit interponi aliud corpus tantæ, aut tantę magnitudinis, ob quod est capax distantiæ, & propinquitatis, spiritus verò non habet quantitatem, imò nec positionem in quantitate, sicut habet punctum, quia spiritus tantum est indiuisibilis spiritualiter, absque positione aliqua ipsius in aliquo, & ideò spiritui ratione sui non conuenit, præsentia bene tamen corpori quanto, imò ipsi puncto quantitatis ratione positio-

nis, quam habet in ipsa quantitate, conuenit indiuisibile præsentiæ, continuans præsentiam diuisibilem ipsius quantitatis, imò & quòd inter ipsum punctum quantitatis, & inter punctum imaginatione fixum, possit interponi corpus tantæ, aut tantæ magnitudinis, ratione cuius ei conueniat propinquitas & distantia, ea proportione, qua quantitati: nihilominus spiritui possunt prædicta conuenire ratione corporis, cui vnitur, aut coniungitur. Vnde spiritus, quanuis possit secundario moueri ad motum corporis, cui vnitur, aut coniungitur, non tamen primario, seu ratione sui: benè tamen corpus, etiam extra mundum, etiam si non acquireret locum deficiente altero corpore, cuius superficie contineatur, seu circunscribatur: quia mutaret præsentiam; seu vbi, ratione cuius esset intrinsicè præsens, aut in se ipso, aut superficiei illud circundanti, si hæc esset: quia in ea distantia, aut propinquitate, ad puncta fixa, in qua esset, haberet ordinem, non prędicamentalem, sed trascendentalem vbi, seu præsentiæ localis ad superficiem positam, aut ponibilem, qua corpus illud circunscriberetur, siue hanc, siue illam, quia præsentia eadem est etiam numericè, siue superficies circunscribens sit, hæc siue illa, si sit, aut si futura sit in eadem distantia ad puncta per imaginationem fixa, de quo latè diximus quarto physicorum, cap. 5. quæst. 3. ¶ Ad primam ergo rationem aduersariorum constat, quòd nec corpus productum extra mundum esset realiter in spatio imaginario; (& multò minus Deus) corpus tamen illud esset in se ipso prędens, & comparatione ad puncta fixa, etiam esset distans, aut propinquum; Deus tamen, quanuis esset in se ipso præsens sua substantiali immensitate, seu præsentia infinita, non tamen esset distans, nec propinquus comparatione ad puncta fixa, quia non est quantus, & spiritus creatus ratione sui, nec esset præsens adhuc in se ipso, quia non præsentia substantiali, qualis est Deus: nec accidentali, nec esset distans, nec propinquus comparatione ad puncta ob rationem prædictam.

Ad secundam rationem respondemus, concedendo, Deum non esse realiter in spatio imaginario, si tamen corpus aliquod ad illud moueretur, vt potest, quia extra mundum, potest esse præsens præsentiâ, ad quam terminatur motus localis: Deus etiam diceretur moueri, & esse vbi anteà non erat, non ratione sui, sed tantum ratione illius corporis, quòd mouetur, & mutat præsentiam, diceretur autem Deus moueri, & esse vbi anteà non erat, non mutatione, & præsentia, ipsi Deo intrinseca, sed tantùm extrinseca denominatione, seu respectu extrinsecè desumpto ex mutatione intrinseca,

ſeca,& prę sẽtia intrinſeca illius corporis,quòd moueretur,cui Deus eſt ſua immenſitate præſens:ſicut Deus etiam ſola extrinſeca denominatione, abſque intrinſeca mutatione ſui dicitur deſinere eſſe præſens rei,quæ corrumpitur:& incipit eſſe prę ſens rei,quæ de nouo producitur.

Ad tertiam rationem reſpondemus, concedendo,Deum non minus poſſe per ſuam immenſitatem eſſe præſentem, quàm eſſe durantem per ſuam æternitatem: ſed ſicut Deus ſua æternitate fuit, & durauit ante tempus reale, non verò durauit tempore imaginario, nec fuit in eo cùm tempus imaginarium ſit nihil, ita etiã Deus ſua immenſitate fuit præſens in ſe ipſo, & non ipſi ſpatio imaginario, nec fuit in eo, cum ſpatium imaginarium ſit nihil.

DIFFICVLTAS III.

Quot & quibus modis Deus dicatur exiſtere in creaturis.

COnueniunt Theologi, Deum eſſe in omnibus creaturis actu exiſtentibus tribus modis, nempè per eſſentiam præſentiam,& potentiam:diſſentiunt tamen in declarandis eis modis exiſtendi.

Omiſsis autem nonnullis declarationibus, quæ cõmuniter diſplicent,& videri poſsunt apud Vazq. diſp. 30. cap. 1. eos declarandos exiſtimamus,vt communi er ſcholaſtici declarant.

In primis ergo Deus dicitur eſse per eſsen iã in omnibus creaturis ratione ſuæ immenſitatis, quia, ſcilicet, ſua eſsentia, ſeu ſubſtãtia habet eſse, vbi ſubſtantiale infinitum, ſeu immenſum, ratione cuius eſt intimè ſubſtantialiter præſens, & coniuncta cuicumque rei creatæ: dicitur *intimè*, quia ita eſt præſens rei, vt ſit intra viſcera illius, ſeu in omni ipſa.

Deinde Deus dicitur eſse in omnibus creaturis per præſentiam, quia omnes ſiunt, & conſeruantur ipſo, videnre ſcientia viſionis, ſeu eas omnes, habente in ſuo proſpectu media dicta viſione.

Tandem, Deus dicitur eſse in omnibus creaturis per potentiam, quia ſua potentia in omnibus operatur, eas omnes producendo, & conſeruando, & de eis omnibus pro libito diſponendo.

Addimus in quo Theologi conueniunt, Deum ſpecialiter etiam reperiri in creatura rationali, ſeu intellectuali alijs duobus

medijs, nempè per gratiam, & per vnionem hypoſtaticam: per gratiã quidẽ, quia per gratiã diligit creaturã in qua eſt gratia, vt ſibi charã, amans autẽ ex eo, quòd amat verè eſt in re amata; quanuis nõ niſi affectu, qui poteſt inter abſentes reperiri, vnde ſi aliàs Deus non eſset in re amata per eſsentiã ratione ſuæ immẽſitatis, non eſset ratione amoris intimè in creatura amata: per vnionẽ verò hypoſtaticam eſt intimè in humanitate Chriſti per ſuam eſsentiã ipſam humanitatẽ perſonando: vnde Deus, quanuis ſua immenſitate non exiſteret intimè per eſsentiam in humanitate, eſset intimè per eſsentiam in ea ratione vnionis hypoſtaticæ.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm Deus ſit vbique.

SVpponimus ex dictis dif. 2. ſubſtantiæ ſpirituali, adhuc diuinæ ex ſe, & ratione ſui non conuenire præſentiam localem, nec diſtantiam, nec propinquitatem (& conſequenter, neque eſse in loco) benè tamen ratione corporis quanti, cui coniungitur, & ob id ſecundariè eſse in loco, in quo eſt corpus, cui eſt coniuncta.

Hoc ſuppoſito, conueniunt Theologi, Deum de facto eſse vbique, quanuis non primariè, & ratione ſui, ſed ſecundariè, & ratione omnium corporum, quia Deus, vt conſtat ex dictis, ſecundum ſuam ſubſtantiam, exiſtit intimè præſens in omnibus corporibus habentibus præſentiam localem, ſeu vbi, ſiue occupent locum, vt contingit corporibus, quæ ſunt intra mundum, ſiue non occupent, vt contingeret corpori exiſtenti extra mundum: ergo ſecundariè, & ratione eorum eſt vbique.

Eſſe tamen vbique in eo ſenſu eſt proprium Dei, vt nulli rei creatæ id naturaliter conueniat, quanuis ſupernaturaliter poſsit, vbique conſtitui; in caſu verò, in quo vnum tantùm corpus exiſteret in rerum natura, etiam ſi tale corpus naturaliter haberet eſſe vbi, aut eſſet in loco extra quem nullus alius eſſet locus, non diceretur propriè, & in rigore eſſe in omni loco, nec vbique nec Deus ratione illius, quia ſignum *omne* cum ſit vniuerſale nequit propriè, & in rigore coniungi termino ſingulari.

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De immutabilitate Dei.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm Deus ſit omnino immutabilis.

DE Fide eſt, Deum eſſe omnino immutabilem, quòd eſt expreſſum in Scriptura Pſalm. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe eſt, & anni tui non deficient.* Iacob. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio,* & id definitum eſt in Conc. Later. 2. & refertur in c. *firmiter* de ſum. Trinit.

Et ratione probatur; quia Deus eſt immutabilis phyſicè, & eſt immutabilis in decreto, ſeu propoſito ſuæ voluntatis; ergo eſt omnino immutabilis conſequentia patet; quia præter has duas immutabilitates, nulla alia ſupereſt; antecedens autem probatur; quia in primis Deus non eſt phyſicè mutabilis; quia non eſt mutabilis ſubſtantialiter, ſeu in ſua ſubſtantia; quia Deus ita eſt, vt repugnet non eſſe; & in hoc ſenſu, 1. ad Timoth. 3. Deus dicitur *immortalis*, quòd Deo conuenit ex eo, quòd ſit increatus, ſeu à nullo alio in ſuo eſſe dependens: deinde Deus non eſt mutabilis phyſicè accidentaliter, accidente intrinſeco ipſi Deo; quia eſt incapax illius, ac proinde nullum poteſt ei aduenire, nec in eo eſſe aliquod, quod poſsit ab eo ſeparari: & de hac poſteriore immutabilitate phyſica accidentali, Sermo eſt Iacob. 1. dum de Deo dicitur: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*; quæ immutabilitas Deo conuenit ratione ſuæ ſummæ ſimplicitatis. Vtraque autem prædicta immutabilitas, eſt propria Deo, ſicut attributum increati, ex quo prior immutabilitas oritur, & ſicut attributum ſummæ ſimplicitatis, ex quo poſterior.

Tandem Deus eſt immutabilis in decreto, ſeu propoſito ſuæ voluntatis, quia quod ſemel facere decreuit, nunquam retractat, & in eo ſenſu Numer. 23. de Deo dicitur, quòd non ſit quaſi homo, vt mutetur: hæc autem immutabilitas non conuenit Deo, ex ſua phyſica immutabilitate; quia decretum variari poſſet, variatione ſolius extrinſicè denominationis, ſed ex ſua infinita conſtantia morali, ſuppoſita certitudine ſuæ conſiderationis, & ſcientiæ, vt dicimus tract. de volun. Dei, diſp. 1. dif. 3.

DIS-

DISPVTATIO OCTAVA.

De æternitate Dei.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm sit proprium Dei esse æternum.

SVpponimus, Deum esse æternum, quod est de fide, & passim habetur in Scriptura, & etiam habetur in Symbolo Athanasij, & in c. *firmiter* de summa Trinitate, vt tamen id ratione probetur nonnulla obseruanda sunt.

Primò, obseruandum est æternitatem immutabilitatem, & existẽtiam Dei inter se, & à diuina essentia ad summum, ratione, seu conceptione nostra distingui sicut reliqua attributa: & quanuis difficile sit explicatu quo modo diuersò, hæc tria à nobis concipiantur, sic existimamus concipi: quòd entitas diuina concepta, quasi actus quo Deus actu est in rerum natura, sit, & dicatur existentia: & concepta, vt stabilitas expers omnis mutationis physicę, & moralis, sit & dicatur immutabilitas: & concepta, vt perseuerantia, seu permanentia in esse, vel vt duratio, & quasi ætas Dei, sit & dicatur æternitas.

Secũdò, obseruandum est æternitatem à Boetio lib. 5. de consolatione, prosa 6. quem scholastici communiter sequuntur, definiri quod sit, *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*, dicitur possessio vitæ, id est, sessio, perseuerantia, seu duratio in viuendo, seu in essendo: deinde dicitur, *interminabilis*, id est, carens omni termino, principio videlicet, & fine; ita vt neutro possit terminari: rursùs dicitur, *tota simul*; quia in ea nulla successio inueniri potest: tandem dicitur perfecta; quia ei nihil actualitatis, & perfectionis deficit.

Vnde æternitas est duratio interminabilis, tota simul, & perfecta; quæ distinguitur ab æuo strictè sumpto; quia istud est duratio permanens rei creatæ, non habentis terminum à parte post, & ab quo latè sumpto; quia istud est duratio permanens rei, quanuis habeat finem: & etiam distinguitur à tempore, non solùm latè sumpto, pro quauis duratione successiua motus, sed etiam à tempore strictè sumpto, pro duratione successiua motus, vt à nostro intellectu diuisa in partes, nempè in annos, dies, & horas, &c. & tempus sic sumptum

ptum, definitur ab Aristot. 4. physicè, cap. 11. quòd sit numerus motus, id est, partes motus, secundum prius, & posterius, quod si durationi rei creatæ, siue permanenti, siue successiuę contingeret carere principio, & fine, posset etiam appellari æternitas participata, & non solum æuum, aut tempus; quia participaret vestigium æternitatis simpliciter, & perfectæ, non tamen esset æternitas simpliciter; quia quanuis non terminaretur principio, nec fine, posset tamen terminari: de ratione autem æternitatis simpliciter est, quòd sit duratio interminabilis, seu non potens terminari, quod solùm conuenit durationi Dei.

His ergo suppositis, circa præsentem difficultatem conueniunt Theologi esse simpliciter, & strictè æternum, esse proprium Dei, seu ipsi soli conuenire; ita vt nulli rei creatæ conuenire possit; quia soli Deo, & nulli alij conuenire potest duratio, quæ nullo termino possit terminari.

Sed quanuis æternitas Dei sit indiuisibilis, & tota simul absque diuisione, & successione aliqua præteriti, præsentis, & futuri in ipsa: nihilominus nos, qui eam non concipimus, vt est in se, sed instar temporis primi mobilis, quod est successiuum, nostra conceptione diuisum in præteritum, præsens, & futurum, Deo & eius actibus internis conceptione nostra, attribuimus præteritum, præsens, & futurum, & Sacra Scriptura, quæ sua scripta nostro modo concipiendi aliquando accommodat durationi Dei, & suorum actuum internorum, etiam tribuit durationi Dei, & suorum actuum internorum, præteritum, præsens, & futurum, Psalm. 109. *Ante luciferum genui te*, Apocal. 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*, & ad Hæbreos 13. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*, quæ de Christo vt Deo dicuntur: dictam ergo temporum diuersitatem, nos viatores tribuimus durationi Dei, & suorum actuum internorum nõ conceptæ, vt in se est; qui vt sic est duratio, absq; successione, sed conceptæ instar durationis nostri temporis, seu primi mobilis.

Ex eo vero, quòd æternitas Dei sit duratio, sine principio, & sine fine, & ex eo, quòd sit indiuisibilis, seu tota simul, habet quod tota coexistat durationi creatæ, præteritæ, præsenti, & futuræ, non ipsis simul; quia non existunt simul; sed illis diuisim: nempè, cuilibet quãdo existit præteritæ, videlicet, quando extitit, & præsenti quando existit, seu est præsens, & futuræ, etiam quando existet.

DIS-

DISPVTATIO NONA.

De vnitate Dei.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm Deus sit vnus.

ITA Expressum est in Scriptura, Deutheronom. 6. & 33. Isaiæ 45. & 1. ad Corinth. 8. Quòd Deus, sit vnus Deus, & non multiplex Deus, vt inter eos, qui Scripturæ credunt, sit extra controuersiam.

Id quoque ratione naturali potest demonstrari; quia si Deus, de cuius ratione est, quòd sit primum principium omnino independēs, & quòd ab eo reliqua omnia depēdeant, esset multiplex, alij præter vnum essent superflui, & ab eis non dependerēt; quia ab vno suppleretur sufficienter dependentia omnium rerum.

Ita tamen, Deus est vnus Deus, quòd sit vnissimus, seu maximè vnus, sicut & summè, & maximè simplex; quia omnia, quæ sunt in Deo, sunt omnino idem cum Deitate; vnitati autem maximè Dei, non obstat pluralitas personarum; quia hæc nullam realem induit distinctionem, inter personalitates ex vna parte, & inter Deitatem ex altera, nec compositionem ex eis, sicut nec obstat summæ simplicitati Dei, vt diximus disp. 2.

Omittimus agere hìc de veritate Dei; quia de ea agimus, tract. de Scientia Dei, disp. 7.

DISPVTATIO DECIMA.

De incomprehensibilitate Dei.

OCcasione attributi incomprehensibilitatis Dei, agimus de visione, seu intuitione Dei, qua ipsum, prout in se est, videmus, de qua nonnulla diximus Tractatu de Beatitudine, disput. 2. & Tractat. de Incarnation. disput. 8. quæ hic breuiter attingemus.

(.§.)

DIFFI-

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm intellectus creatus possit clarè, seu intuitivè videre Deum prout est in se.

CIrca hanc rem, vt refert Armacanus lib. 14. quæst. contra Armenos, cap. 1. errarunt Armeni, & quidam Græci recentiores, existimantes, Deum, vt est in se, non videri, nec posse videri ab intellectu creato, & ita beatos non videre Deum, vt est in se, & immediatè: sed tantum videre lucem quamdam, & fulgorem à Deo manantem, & in huius fulgoris visione consistere beatitudinem, quibus fauere videntur, Chrysostomus Homil. 14. in Ioannem, Euthymius, & Theophylactus in illud Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, & alij Patres, quos referunt Vazquez disp. 37. Soarez lib. 2. de Attributis. Arrubal disp. 3 cap. 7. Beccanus cap. 9. quęstio 1. Herice disp. 36. Mœratius disp. 5. sect. 2. Grana. tract. 4. disp. 3. Ruiz de scientia Dei, disp. 6. sect. 7. & Alarc. disp. 1.

Et id significari videtur in Scriptura, Exod. 33. *Videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Et Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Et 1. ad Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili*, & cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et 1. Petr. 1. *Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Si ergo desiderant prospicere Deum: ergo eum non prospiciunt, & si non prospiciunt, ideo erit, quia non possunt?

Et ratione videtur probari: quia inter potentiam, & inter eius obiectum debet esse proportio: sed inter intellectum creatum, & inter Deum nulla est proportio; quia intellectus creatus, est finitus, & Deus est infinitus: ergo intellectus creatus, nequit attingere Deum immediatè, seu vt est in se. Et confirmatur, quia Deus nō minus excedit intellectum, quàm Angelus oculum corporeum, sed oculus corporeus nequit, adhuc de potentia Dei absoluta, videre Angelum: ergo nec intellectus creatus videre Deum.

Veritas tamen Catholica est, Deum in se ipso, seu vt est in se, nō solum videri posse ab intellectu creato, tàm humano, quàm Angelico: sed etiam de facto videri ab intellectu beatorum. Veritatem hanc tradunt prædicti, & reliqui Scholastici, & expressa videtur in Scriptura Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Et 1. Ioann. 3. *Scimus quoniam cùm apparuerit similes*

ei

ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Et 1. ad Corin. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Subintellige à Deo me immediatè cognoscente cognitione intuitiua.

Eadem veritas definita est in Concil. Florentino, in litteris vnionis, & in Francofordiensi in fine Epistolæ ad Episcopos Hispaniæ, & in Tridentino, sess. 25. in decreto de inuocatione sanctorum, & à Benedicto XI. vel 12. in Extrauagante: *Benedictus Deus.* Eamdem veritatem tradunt plurimi Patres, quos referunt Vazq. Arrub. Herice, Granadus, & alij.

Patres verò relati, qui fauere videtur errori Armenorum (quod nonnulli scholastici eis adscribūt) communiter benignè explicantur, ita, vt quando significāt, Deū vt est in se non posse videri intellectu creato, adhuc Angelico, loquantur, aut de visione comprehēsiua, aut de visione solis viribus naturalibus elicienda, aut de visione corporali, aut de visione in hac vita mortali à puris hominibus eliciēda lege ordinaria: quorum explicatio nobis nō displicet, præsertim, si Chrysost. & Theod. ab hac explicatione excipiantur.

Loca etiam Scripturæ in fauorem dicti erroris adducta in aliquo sensu ex dictis explicantur, & rectè; quia in Exod. 33. *Faciem autem meam videre non poteris*, tantum significatur lege ordinaria non posse in hac vita mortali Deum videri, præsertim visione corporea de qua ibi videtur esse sermo, & hac visione, neque de potentia Dei absoluta. Et in eo loco 1. Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Tantum significatur, neminem hominum ab exordio mundi, vsque ad Aduentum Filij Dei vidisse Deum, nisi ipsum hominem Christum. Et in eis locis 1. ad Timoth. 1. vbi Deus dicitur inuisibilis, & cap. 6. vbi dicitur: *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: Tantum significatur, Deum lege ordinaria non esse videndum, nec posse videri ab homine in hac vita mortali: & in eo 1. Petri 1. *Spiritu Sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere*, eo verbo, *desiderant*, non significatur desiderium in rigore, quòd tantùm versatur circa bonum absens, seu nō possessum: sed ingēs gaudium Angelorum, quo perfruūtur Spiritu Sancto, vt nō tam gaudium vt præsens, & iam habitum, quàm gaudium, vt perseueraturum, quo vt sic perfruentur Spiritu Sancto pro tota æternitate.

Ad rationem verò pro Armenis adductam, & ad eius confirmationem respondemus, quod etiam si inter Deum, & inter intellectum creatum non sit proportio, quoad perfectiones; quia quoad perfectionem Deus infinitè excedit intellectum creatum, & infinitè

tè magis, quàm Angelus excedit oculum corporeum: est tamen inter Deum, & intel intellectum creatum proportio obiecti, & potētiæ, qualis non reperitur inter Angelum, & inter oculum corporeum; quia Deus est intelligibilis, & intellectus creatus est intellectiuus etiam Dei; quia eum etiam naturaliter cognoscituras abstractiuè; Angelus verò nullatenus est corporaliter visibilis. Et quia vt potentia possit attingere aliquid, vt obiectum, requisita sit, & sufficiat inter potentiam, & obiectum, proportio in ratione obiecti, & potentiæ, & non sit requisita, nec sufficiat proportio, quoad perfectionem, ideo Deus potest cognosci ab intellectu creato, quin Angelus nequeat videri ab oculo corporeo, etiam si Deus nequeat videri ab intellectu creato, absque eleuatione intellectus à Deo facta; quia visio Dei excedit vires intellectus creati, vt dicemus diffic. 5.

Sed quanuis creaturæ rationali, seu intellectuali sit possibilis visio Dei, vt est in se; non tamen potest ratione naturali demonstrari, esse possibilem; quia nulla est causa naturalis visionis Dei, ex qua, vt ex medio possit à priori naturaliter demōstrari; nec est aliquis effectus naturalis illius, ex quo possit à posteriori naturaliter demonstrari. Quòd amplius non extendimus; quia de eo ex proposito egimus Tractatu de Beatitudine, disp. 2. dif. 20. & in eadem disp. diffi. 21. Etiam diximus, in creatura rationali, seu intellectuali esse appetitum innatum obedientialem, seu inclinationem, & capacitatem obedientialem ad visionem Dei, & non appetitum naturalem innatum: & dif. 22. etiā ostēdimus, in creatura rationali posse esse appetitū naturalē elicitum, qui consistit in desiderio illius, & dupliciter naturalē ad visionē Dei, nempe, & prout opponitur supernaturali, elicitum ob bonitatem aliquam naturalem vtilis: & etiam naturalem, prout opponitur libero. Quia desiderium videndi Deum, quod vertatur circa ipsum Deum, vt videndum, seu circa visionem Dei, secūdum se apprehensam, est necessarium, non quoad exercitium; quia creatura rationalis potest, ab eo desiderio pro sua libertate cessare; sed necessarium quoad specificationem; quia Deus vt videndus, seu visio Dei secundum se apprehensa, non potest à voluntate fugi, seu odio haberi; quia in visione Dei secundum se apprehensa nulla reperitur, nec apparet malitia, ratione cuius visio possit fugi, seu odio haberi.

(.§.)

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm aliquis in hac vita mortali viderit Deum.

SVpponimus primò, in quo Theologi conueniunt, animam Christi in vita mortali suæ humanitatis vidisse Deum, quod significatur Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Et Ioa. 8. *Ego quæ vidi apud Patrem, loquor.* De quo nos diximus tract. de Incarn. disp. 8. dif. 3.

Supponimus secundò in quo etiam Theologi conueniunt, nullum purum hominem pro toto tempore vitæ mortalis, imò nec pro multo Deum vidisse; quia ex vna parte in sacra Scriptura generaliter significatur, nullum in hac vita vidisse Deum, illis verbis Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*: & addēdo illa verba *vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, ita omni homini negauit visionem Dei; vt tantùm exceperit Christum. Et illis verbis, 1. ad Timo. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et illis Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Et ex altera parte nullum adest firmum fundamentum, ad excipiendum à dictis verbis Scripturæ aliquem purum hominem.

His suppositis, superst difficultas: an pro aliquo instanti, aut pro aliquo breui tempore vitę mortalium, aliquis purus homo viderit Deum?

Plures Theologi partem affirmatiuam amplectuntur; diuisi tamen sunt in assignandis personis, quibus hoc priuilegium concessum fuerit; quia Sanctus Thomas 1. 2. ar. 11. ad secundum. Et non pauci Thomistæ existimant, id fuisse concessum Moysi, & Paulo, quod tradit Augustin. 12. de Genesi ad litteram cap. 27. & Epist. 112. cap. 12. Et in primis de Moyse, id significari videtur Numer. 12. illis verbis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquar ei, & palā & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.*

Deinde de Paulo, id etiam significari videtur, illis verbis eiusdem Pauli, quibus 2. ad Corin. 12. de se ipso ait: *Raptus est in paradisum & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Et alij id tribuunt Adamo, dum ei Dominus immisit soporem in paradiso, quod significare videntur, Augustin. de Genesi ad litterā, c. vlt. & Bernar. serm. 2. Septuagesimæ.

Alij id tribuunt Iacob, quòd significari videtur, Genesis

32. dum ipſe ait: *Vidi Dominum facie ad faciem.*

Alij id tribuunt Beatiſsimæ Virgini, ob inſignem dignitatem Matris Chriſti Domini.

Et alij id tribuunt S. Bened. ducti quibuſdam verbis, Gregor. II. Dialog. cap. 35.

Imo Auguſt. 9. Conf. cap. 10. id ſibi tribuit, & ſuæ Matri quando erant ad oſtia Tiberina.

Salmer. verò tom. 2. tract. 31. veritate 7. Toletus, annot. 54. in c. 1. Ioann. Maldon. ibi verſ. 18. Molin. ar. 11. diſp. 2. Vazq diſp. 55. & 56. Trigoſ. 1. p. q. 7. ar. 3. Beccan. c. 9. q. 7. & Granad. Tract. 7. diſp. 1. parte negatiuam tuentur, nempè nullum purum hominem, in hac vita Deum vidiſſe, quæ nobis probatur, & placet ob rationem adductam, pro 2. ſuppoſitione, qua ſuppoſuimus, nullum purum hominẽ, pro toto tempore ſuæ vitę mortalis, nec pro multo vidiſſe Deum; quia eadem ratione probatur, nec pro breui tempore, nec pro inſtãte aliquo Deum vidiſſe; quia ſcilicet ex vna parte in Sacra Scriptura generaliter, & abſolutè, & abſq; vlla limitatione ſignificatur, nullũ in hac vita vidiſſe Deum, vt conſtat ex verbis Ioannis 1. & 1. ad Timoth. 6. & Exod. 33. vbi ſupra relatis, & ex altera parte nullum adeſt firmum fundamentum, ad excipiendum aliquem à dictis verbis Scripturæ, ita generaliter, & abſquè vlla limitatione prolatis. Hæc poſterior pars, nempè nullum eſſe firmum fundamentum ad eam exceptionem, conſtabit ſatisfaciendo fundamẽtis adductis, & quæ adduci poſſunt pro parte affirmatiua.

Et in primis, quòd Auguſtinus faueat parti affirmatiuæ, quo ad Moyſem, non ſufficit; quia Auguſtino, quo ad hoc aduerſantur plures, & inſignes Patres, nempè Euariſtus Papa Epiſt. 1. decretali poſt medium, quanuis non definiendo, ſed ſupponendo partem negatiuam, dum definit, naturam Patris, & Filij eſſe lucem inacceſsibilem. Dionyſius Areopag. de cœleſti hierar. c. 4. Irinçus lib. 4. c. 37. Chryſoſt. hom. 14. in Ioan. Gregor. 18. Moral. c. 28. & alij Patres, quos referunt Vazq. & Granadus vbi ſupra, & Suar. libr. 2. de Attributis, cap. 3.

Prædictis autem verbis Num. 12. *Palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*: Non ſignificatur, Moyſem vidiſſe Deum, vt eſt in ſe, ſed vidiſſe Deum, ſibi apparentem in figura humana, aut quaſi Angelica, in qua non apparebat alijs: *Palam*, ſcilicet, *& non per ænigmata, & figuras Dominum videt*: Sed tantum imaginariè, per ſomnia, videlicet, & per imagines in phantaſia impreſſas & id ſignificatur Exod. 33. dum dicitur: *Loquebatur Dominus ad Moyſem, facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*; quia his verbis: *Si-*

cut solet loqui homo ad amicum suum: Satis denotatur eis verbis antecedentibus *facie ad faciem* non significari visionem Dei, vt est in se: sed tantùm visionem corpoream Dei apparentis, quasi homo, & simili visione, & non intuitiua.

Iacob vidisse Deum significatur, Genes. 32. illis verbis: *Vidi Dominum facie ad faciem*, primæ autem ad Corin. 13. *Videmus nunc, per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. His verbis, *facie ad faciem*, significatur visio intuitiua Dei: & similem visionem petiuit Moyses à Domino, Exod. 33. eis verbis: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*: quia eam ostensionem, seu visionem ei negauit Dominus, sequentibus verbis: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet*, & tamē visione corporea sæpè Deum videbat: particula ergo *facie ad faciem*, est ambigua aliquando significans visionē intuitiuam Dei; aliquando verò, visionem corpoream.

Nec verbis illis Pauli 2. ad Corin. 12. *Raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, cogimur ad affirmandum, Paulum tunc vidisse Deum; quia nomine raptus intelligi potest, aut eleuatio Pauli ad cœlum, ad audiendam humanitatem Christi, vbi audiuit secreta cœlestia, aut potest intelligi extasis, qua Paulus euectus est, ad cognoscenda secreta cœlestia, non visione, sed reuelatione, vt denotatur eo verbo: *Audiuit*; quia non propriè dicitur audiri, quòd videtur; sed quòd dicitur, seu reuelatur, & ita postea subditur: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me.*

Augustin. verò, & Bernand. vbi supra, non significant, Adamum in eo sopore vidisse Deum, vt est in se; sed tantū mirabili extasi fuisse eleuatum ad intelligenda mysteria.

Et illis verbis, Gene. 32. *Vidi Dominum, facie ad faciem*, non significari, Iacob vidisse Deum, vt est in se, sed visione corporea versante circa Deum apparētem, vt homo, aut quasi Angelus supra diximus.

Et quidē, si Deus alicui puro homini, visionem sui in hac vita communicasset, eam non negaret Matri suę; eam tamē ipsi communicasse, nullo firmo fundamēto affirmari potest, præsertim postquam, Ioan. in suo Euang. c. 1. id vt singulare encomium, attribuit Christo dum dixit: *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Nec Greg. 2. dialog. ca. 35. tribuit S. Benedicto visionē Dei, sed tantum eximiam quandam reuelationē, vt aduertit S. Thom. 2. 2. q. 180. ar. 5. ad 3.

Au-

Augustinus verò lib.illo 9.confessionum ca.10. (vt ait Vazq.) disp.56.aut captus dulcedine visionum corporæ Dei apparentis visibiliter vt hominem, existimauit, se Deum, vt in se est vidisse, vel vt extasim, quàm habuit, extolleret, eam comparauit æternæ fœlicitati.

Et sanè si nulli puro homini, ex supra relatis Deus visionem sui, communicauit adhuc Matri suæ, quomodo credendum est, eam Sanct. Benedicto, & Augustino, & Matri ipsius communicasse: & quamuis alijs supra relatis eam communicasset, difficilius creditu esset, his tribus vltimis eam communicasse, præsertim: quia in Scriptura Sacra, non solum dicitur, Deus eam non communicasse, vt dicitur Ioann.1.illis verbis: *Deum nemo vidit vnquam.* Et primæ ad Corinth.6.illis verbis: *Quem nullus hominum vidit*: Sed etiam dicitur, eam non communicaturum in posterum; quia Exodi 33. dicitur: *Non videbit me homo, & viuet.* Et primę ad Corinth. 6. verbis iam relatis additur: *Sed nec videre potest*: Quibus ad minus denotatur, nullum hominem in hac vita, visurum esse Deum, non defectu potentiæ actiuæ principalis in Deo, & obedientialis in homine, sed defectu decreti Dei; quia scilicet decreuit id non efficere.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm sit possibilis species impressa ad eliciendam visionem Dei.

SVpponimus, duplicem esse speciē: alteram impressam, quæ cum intellectu cōcurrit actiuè, ad intellectionē: & alteram expressam, quæ est terminus productus, per intellectionem.

Hoc supposito, difficultas est: an sit possibilis species impressa Dei ad videndum ipsum, vt est in se? Hēric. Quodlib.3.q.1. Durand. in 4. d.49.q.2. Marsil. in 3.q.10.ar.2. Caiet. Zum. & Bann. q.12.ar.2. Arrubal disp.16.c.4. & Granadus Tract.4.disp.5.sect.3. docent, non esse possibilem speciem impressam Dei, ad eliciendam visionem ipsius, vt est in se. Quod etiam videtur docuisse Sanctus Thomas in eo art 2.

Probari autē videtur. Primò, quia (vt ait Dionys 1.de diuin.nomin.) Per similitudines inferioris ordinis, nequeunt superiora cognosci, præsertim cognitione clara, per speciem enim corpoream, nequit cognosci, quod est incorporeum: ergo per speciē creatam,

& similitudinem limitatam nequit cognosci præsertim visione clara, quod est increatum, & illimitatum, qualis est Deus. Secùdò; quia omnis species impressa obiecti deseruiēs ad visionem claram illius, debet esse eiusdem rationis, & naturæ cum obiecto, per eam repræsentato: sed nulla species potest esse eiusdem naturæ cum Deo: Ergo non est possibilis species impressa Dei deseruiens visioni claræ ipsius Dei.

Scotus verò in 4 d. 49. q. 11. Molina q. 12. ar. 2. disp. 1. Valentia q. 12. puncto 2. Vazquius disp. 38. Soar. lib. 2. cap. 13. Herice disp. 40. cap. 8. Beccanus cap. 9. q. 2. Mœratius disp. 8 sect. 2. & plures alij docent, speciem impressam Dei, vt est in se, seu ad videndum Deum, vt est in se, esse possibilem in intellectu creato. Et merito; quia talis species nullatenus repugnat, seu non implicat contradictionem: ergo verè potest à Deo produci, seu imprimi. Consequentia patet: antecedens verò probatur.

Primò à simili: deinde satisfaciendo rationibus aduersariorum. In primùm ergo probatur à simili; quia in intellectu creato non repugnat species expressa Dei, quæ est terminus visionis Dei, vt est in se ipsum, vt est in se expressè repræsentans: ergo multo minus repugnabit species impressa Deum non expressè, sed implicitè, seu virtualiter ipsum repræsentans, seu quæ sit virtus, seu principium efficiens speciale iuuans intellectum creatum, ad productionem expressam ipsius Dei; quia minus, & remotius attingit Deum, vt obiectū, quàm species expressa. Quòd autem non repugnet species expressa Dei, vt est in se negari non potest; & quia eam admittunt Patres, præsertim August. 15. de Trinit. cap. 16. & Anselm. in Monologio, c. 31. & quia in intellectione, qualis est visio Dei, est aliqua vera actio, ac proinde vera productio alicuius termini, & non alterius termini, quàm imaginis, seu speciei expressæ rei intellectæ, vt dicemus difficul. 12.

Quòd si respondeas: quòd quanuis non repugnet species expressa Dei; repugnat tamen species impressa; quia hæc exit ab obiecto naturaliter, seu in quantum est, & non voluntariè, vt patet in omnibus alijs speciebus impressis exeuntibus ab obiectis creatis, nihil autem creatum potest à Deo exire naturaliter, sed voluntariè, seu liberè concurrendo cum intellectu creato, sicut cum omnibus alijs causis. Ac proinde, quanuis nō repugnet species expressa Dei; repugnat tamē impressa illius; quia repugnat Deum necessariò producere aliquid creatum.

Responsio tamen hæc non satisfacit; quia etiā si obiecta creata nequeunt producere species impressas sui, nisi, vt obiecta, & natu-

ra-

raliter; quia ad earum productiones nō habēt aliam virtutem, niſi vt obiecta, Deus autem vt pote prima, & vniuerſalis cauſa efficiēs omnium creaturarum, poteſt non ſolum concurrere cum omnibus cauſis ad omnes effectus creatos, ſed etiā ſe ſolo poteſt producere quē cumq; effectū, excepta actione vitali, quā nō poteſt ſe ſolo; quia hęc eſſentialiter reſpicit principiū internum vitale, qualis nō eſt Deus reſpectu talis actionis: ſed tātū poteſt eam attingere ad eam cōcurrēdo cū viuente: & quia productio ſpeciei impreſſæ nō eſt actio vitalis, ideo quāuis repugnat Deo eam naturaliter, & vt obiectū producere; nō tamen repugnat eam ſe ſolo, vt prima, & vniuerſalis cauſa producere, ſicut per quemcumq; effectum, nō reſpiciētem eſſentialiter actionem vitalem, vt productionem ipſius effectus.

Deinde idem antecedēs probatur ſoluēdo, & ſatisfaciēdo rationibus aduerſariorum. Ad priorem ergo reſpondemus, negādo per ſpecies inferioris ordinis nō poſſe videri ſuperiora; quia vt iā vidimus, per ſpeciē expreſſam productā ab intellectu creato, quæ eſt creata, & limitata, repręſentatur Deus, vt eſt in ſe, & per productionē talis ſpeciei expreſſæ videtur Deus, vt eſt in ſe, & per ſpeciem expreſſam ſubſtātiæ creatæ repræſentatur expreſſè ſubſtātia, & per productionē talis ſpeciei expreſſæ videtur ſubſtātia, & tamē, nec talis ſpecies, nec eius productio eſt ſubſtantia, ſed accidēs: ſi ergo ſpecies expreſſa, & eius productio poteſt eſſe inferioris rationis & naturæ, quàm obiectum: cur etiam ſpecies impreſſa non poteſt eſſe inferioris ordinis, & rationis, & naturæ quàm obiectum?

Et ad poſteriorē rationem negamus, ſpeciē impreſſam obiecti deſeruientem ad viſionem claram, illius debere eſſe eiuſdem rationis, & naturæ cum eo obiecto; quia vt iam diximus, ſpecies impreſſa deſeruiēs ad viſionem ſubſtātiæ, nō eſt ſubſtātia, ſed tātū accidēs, ſicut etiam ſpecies expreſſa ſubſtātię, nō eſt ſubſtātia, ſed accidēs: & ſpecies, tàm impreſſa, quàm expreſſa coloris, nō eſt color, quod præſertim eſt verum de ſpecie impreſſa, quæ non repræſentat expreſſè obiectum, ſed tantùm implicitè, & virtualiter ex eo, quod eſt virtus, & cauſa ſpeciei expreſſæ repræſentantis, expreſſè obiectum, & non quæcunq; cauſa, ſed propria, & ſpecialis illius determinans intellectum ad productionem ſpeciei expreſſæ illius obiecti.

Dionyſius autem vbi ſuprà, vt aduertit Vazquez cap. 4. num. 20. requirens in ſimilitudine rei naturam, eiuſdem rationis, cum ipſa re, tantum loquitur de ſimilitudine, quę prius viſa ducit, vt quod in cognitionem rei, vt eſt in ſe; quia ad talem ſimilitudinem id requiritur. Et talem ſimilitudinem, & talem ſpeciem expreſſam Dei negauit S. Th. in eo ar. 2. poſſe à Deo produci; non verò ſpeciē impreſ-

ſam ipſius Dei, qualem producit intellectus creatus. Quòd latè prò ſequitur Vazq. diſp. 39.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm de facto detur ſpecies impreſſa ad videndum Deum.

INter Doctores exiſtimantes, poſsibilē eſſe ſpeciem impreſſam ad eliciendam viſionem Dei, quòd nos difficultate præcedēti affirmauimus, controuerſia eſt: an de facto detur à Deo?

Alexand. Alenſis 1. p. q. 7. Paludanus in 4. d. 49. q. 1. Soar. lib. 2. c. 12. Beccanus c. 9. q. 2. Heric. diſp. 42. c. 3. & Mēratius diſp. 9. ſect. 1. docent, Deum de facto à beatis videri, abſq; prēquia ſpecie impreſſa, ipſo Deo, ſeu eſſentia diuina ſupplente, tanquam obiecto vicē talis ſpeciei. Probari autem videtur; quia Deus poteſt, vt obiectum cōnaturaliter cōcurrere ad viſionem ſui: ergo ad eam nō admittēda ſpecies impreſſa Dei: patet conſequentia; quia ſpecies impreſſa, tātùm admittitur ad intellectionem, tanquam vicaria obiecti, quando obiectum nequit per ſe ipſum concurrere; quia ex obiecto, & potentia paritur notitia. antecedens autem nempè, quòd Deus poſsit, vt obiectum naturaliter concurrere ad viſionem ſui, probatur; quia nihil ad id deficit Deo, cūm ſit ſpiritualis, & intimè præſens intellectui beati, ſicut cuicūq; alij rei; quia ſi ad videnda obiecta creata eſt neceſſaria ſpecies impreſſa eorum, eſt vel, quia obiectum eſt materiale, & nō cōformē intellectui, qui eſt ſpiritualis, & ideo indiget ſpecie impreſſa ſpirituali, quæ ſit ſemen obiecti: vel quia ſi obiectum eſt ſpirituale, non tamē eſt intimè præſens intellectui creato; Deus autem, nec eſt materialis, nec eſt abſens, ab intellectu creato, ſed ei intimè præſens, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.

Aureolus verò, apud Capreolum in 4. diſtin. 49. q. 5. ar. 2. Ægidius lib. 8. par. 2. q. 3. ar. 3. Vazq. diſp. 43. cap. 7. Lorca 1. 2. diſp. 30. & Alarcon diſp. 3. cap. 3. docent de facto à Deo dari ſpeciem impreſſam ſui, ad viſionem ſui, vt eſt in ſe: & meritò, quia vitio connaturalius, & congruentius ordini naturali rerum, & modo communi operandi fit media ſpecie impreſſa Dei, quàm ipſo Deo, ſeu eſſentia Dei ſuppliente vicem ſpeciei impreſſæ: ergo admittēdum eſt, ita de facto fieri. conſequentia nequit, congruenti fundamento negari, antecedens autem probatur; quia connaturalius, & congruentius eſt ordinario, & communi modo operandi, quòd Deus efficiat aliquid me-

media, aliqua forma creata, tanquam causa secunda. quando id sic fieri potest, quàm se ipso supplente vicem causæ secundæ, id potē-tis efficere. Sed Deus media specie impressa, sui id potest efficere supposita possibilitate speciei impressæ, quàm nos difficultate præcedenti diximus esse possibilem, vt patet: ergo connaturalis, & con gruētius est. quòd visio Dei fiat media specie impressa ipsius Dei, quàm medio ipso supplente vicem illius.

Addimus, quòd Deus nequit tanquam obiectum, vt est distinctus à se ipso, vt prima causa immediatè, & per se ipsum concurrere efficienter ad visionem sui, sed tantùm, tanquam prima causa; quia Deus nihil efficit extra se ipsum, nisi quia vult liberè; quia nihil creatum fit à Deo, nisi liberè, quòd autem fit à Deo: quia vult liberè, non fit ab ipso, nisi vt à causa prima, & non ab obiecto; quia obiectum, vt tale non concurrit media volitione: sed immediatè, & naturaliter, vt contingit omnibus obiectis creatis.

Vnde quòd Deus sit spiritualis, & intimè præsens, & per essentiam intellectui creato non sufficit, vt à Deo proueniat visio immediatè, tanquam ab obiecto, absque medio decreto libero Dei.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm intellectus creatus possit propria virtute naturaliter videre Deum.

CIRCA Hanc rem error fuit quorumdam (quos Chrysostomus Homil. 5. de Incomprehensibili Dei natura, & Epiphanius hæresi 76. vocant Anomæos) asserentium, Deum etiam in hac vita posse ab intellectu nostro proprijs viribus clarè videri Eumdem errorem, postea tenuerunt Beguardi, & Beguinæ, vt refertur in Clementina ad nostrum de hæreticis, vbi quintus error eorum sic refertur. *Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad eum videndū, & eo beatè fruendum.*

Ab hoc errore non multum distat Durand. in 4. d. 49. q. 2. dum ait, intellectum nostrū ablato impedimēto sensuum posse, absq; aliquo supernaturali auxilio Deum clarè videre.

Error iste damnatus est à Clem. V. in Conc. Vienēsi, & refertur in dicta Clementina, & reijcitur ex illo 1. ad Timoth. dum de Deo dicitur: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quàm nullus hominum vidit,*

ſed nec videre poteſt Circa quem locum Anſel. ſic ait: *Deus inacceſſibilis eſt viribus noſtris, acceditur autem ad eum muneribus ſuis.* Et Aug. to. 2 Ep. 112. c. 14 ſic ait: *Si quæris quomodo dictus ſit inuiſibilis, ſi videri poteſt. Reſpõdeo, inuiſibilem eſſe natura, videri autem, cùm vult, ſicut vult.* Idem ſignificant Cyril. Alexan. lib. 5. in Iſaiam to. 5. in fine, in illud Iſaiæ 64 *Oculus non vidit, Deus abſq; te quæ præparaſti expectantibus te*, dum ait: *Inſpectabilis quidẽ eſt natura diuinitas*. Et Hieron. in eumdẽ locũ, dũ ait: *Deum nequaquam ſermonibus explicari, nec oculis* (ſubintellige mẽtis) contemplabilem eſſe. Et Epiphan. hæreſi 70. dum ait: *Inuiſibilis natura, & incomprehenſibilis gloria*. Et Ambroſ. lib. 1. in Luc. in illud Ioa. 1. *Deum nemo vidit vnquam*, dum ait, intelligẽdum etiam eſſe de Angelis; quia non poſſent proprijs viribus naturalibus Deum intueri.

Et ratione probatur; quia viſio Dei eſt ſupernaturalis; quia attingit Deum, vt eſt in ſe, qui vt ſic eſt omnino ſupernaturalis, & nõ eſt minus ſupernaturalis, quã actus fidei diuinæ, vt patet, quia attingit Deum, vt eſt in ſe, & nõ actus fidei diuinæ: ſed actus, ſeu aſſenſus fidei diuinæ; quia eſt ſupernaturalis, nequit ad intellectũ proprijs viribus naturalibus elici, abſq; habitu fidei infuſo eleuante, & adiuuante intellectum, ad eum aſſenſum fidei, vt diximus Tract. de fide, diſp. 5. & in quo Theologi communiter cõueniunt: ergo nec viſio Dei poteſt elici ab intellectu creato, proprijs viribus, abſq; lumine aliquo intellectum eleuante.

Sed obijciunt Anomæi: Deus eſt ſimpliciſsimus: ergo aut omnino ignoratur, aut omnino cognoſcitur, ab intellectu creato: ſed Deus nõ omnino ignoratur; quia aliquomodo cognoſcitur, ab intellectu creato, & proprijs viribus, vt patet: ergo ab eo proprijs viribus omnino cognoſcitur: ergo videtur, ſeu cognoſcitur, vt eſt in ſe.

Reſpondemus, rẽ ſimplicem, aut omnino ignorari, aut omnino cognoſci, quando nequit cognoſci, niſi intuitiuè: quando verò cognoſci poteſt abſtractiuè (qualiter Deus poteſt cognoſci, aut ex ſuis effectibus, aut fide humana) tunc res ſimplex poteſt aliquo modo cognoſci, & aliquo modo ignorari: ac proinde quanuis Deus poſsit ab intellectu creato proprijs viribus aliquo modo cognoſci; non tamen omnino, & prout in ſe eſt.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

Quid ſit lumen illud gloriæ neceſſarium intellectui creato ad videndum Deum?

EX dictis conſtat, ad videndum Deum eſſe neceſſarium intellectui creato lumen gloriæ, eleuans intellectum ad id, vt cõtra Beguardos, & Beguinas definitum eſt in Concilio Vienenſi, & habetur in Clementina ad noſtrum de Hæreticis. Superſt ergo difficultas: quid ſit hoc lumen: an ſcilicet ſit habitus, vel quid aliud?

Conueniunt communiter Theologi, lumen illud gloriæ eſſe qualitatem, ſeu habitum â Deo infuſum, quia eo habitu permanente, & præuio infuſſo intellectui, ipſe intellectus modo regulari, ſeu ordinario per modum cauſæ ſecundæ videt Deum, quia ſolo auxilio, ſeu concurſu actuali adiutus, vt poteſt (de quo difficultate 8.) non videret modo regulari Deum, ſed modo valdè extraordinario, quòd abſque peculiari neceſsitate, quæ non apparet, non eſt admittendum.

Addimus: quòd quanuis lumen iſtud gloriæ ſit habitus, id tamen non eſt definitum in Concilio Viennenſi quia definitioni ipſius, qua definitur, naturam intellectualem indigere lumine gloriæ, ipſam naturam eleuante ad videndum Deum, ſatisfit tam habitu, quàm auxilio actuali, ſeu concurſu ſpeciali quolibet, ſeorſim, quia etiam eo auxilio ſeu concurſu dici poteſt, intellectum eleuari ad videndum Deum, & tale auxilium etiam dici poteſt, lumen gloriæ, quia eo euehitur, & illuſtratur intellectus ad concipiendum Deum, quanuis non præuiè re ipſa ad conſpectum ipſum, quia auxilium illud, ſeu concurſus eſt re ipſa indiſtinctus ab ipſa viſione, ſed tantum comitanter, aut potiùs identicè. Hæc ergo duo munera luminis gloriæ, nempè eleuare intellectum, & eſſe ei lumen, propriè etiam conueniunt dicto auxilio, ſeu concurſui ſpeciali Dei, etiam ſi proprius, & clarius conueniant, & attribuantur habitui, quàm auxilio.

DIFFICVLTAS VII.

In quem vſum, ſeu munus ſit neceſſarium lumen gloriæ intellectui ad videndum Deum?

SVpponimus, intellectum Beati efficienter concurrere ad viſionẽ Dei, quia viſio Dei vtpote actio vitalis, nequit non procedere efficienter ab ipſo intellectu. Hoc

Hoc supposito superest difficultas: Quomodo lumen gloriæ sit intellectui necessarium, vt intellectus efficienter concurrat ad visionem? Marsilius in 3 quæst. 10. art. 2. 1. par. concl. 1. & Maior in 3. distin. 14. quæst. 2. dub. 2. existimant, lumen gloriæ solum seruire intellectui tanquam dispositionem, vt recipiat visionem Dei, quam existimant à solo Deo produci, quia sicut forma naturalis indiget dispositione aliqua naturali vt recipiatur in subiecto, ita etiam forma supernaturalis, qualis est visio Dei, indiget dispositione supernaturali, vt in intellectu recipiatur, nulla autem alia dispositio videtur esse, nisi lumẽ gloriæ. ergo.

Hic tamen modus dicendi communiter, & nobis displicet, quia forma supernaturalis non requirit in subiecto aliam naturalem, vt in eo recipiatur, vt patet, nec aliam supernaturalem, quia hęc requireret aliam, & hæc aliam, & sic in infinitum. Sicut nec gratia iustificans, quæ est forma supernaturalis requirit ex natura rei dispositionem aliquam, vt recipiatur; imò nec, vt conferatur, vt patet in pueris, qui baptizantur, nec in adultis requirit aliquam, vt recipiatur in anima, sed vt animæ conferatur à Deo; imò nec hanc requirit ex natura rei, vt conferatur, sed ex ordinatione, & mera voluntate Dei, nec forma naturalis accidentalis requirit aliam dispositionem, vt recipiatur, etiam si eam requirat forma substantialis.

Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 4 art. 1. Sotus quęst. 2. art. 4. & communiter Thomistæ docent, lumẽ gloriæ esse necessarium intellectui ad visionem Dei, & vt eum eleuet, & cum eo efficienter concurrat ad ipsam visionem (quòd nobis non displicet) & etiam esse necessarium, vt recipiat essentiam diuinam, seu vt ipsi vniatur, tanquam obiecto, & loco speciei impressæ, vt tãquam obiectum, & quasi species impressa concurrat proximè cum intellectu ad visionem ipsius Dei.

Hoc tamen posterius nobis non probatur primo, quia vt iam diximus, diffic. 4. Essentia diuina, seu Deus nequit, vt obiectum immediatè concurrere efficienter ad visionem sui, sed tantum media specie impressa sui à Deo, vt à prima causa impressa, seu infusa. Secũdo, quia essentia diuina nequit intellectui vniri tanquam, quid ei inhęrens, seu informans, vt patet, sed tantum tanquam quid ei assistẽs. Ad hoc autem nulla dispositio est necessaria quia Deus, seu essentia diuina ex se ipsa, absque aliquo alio cuicumque rei intimè assistit per essentiam, & per præsentiam, & per potentiam.

Sanct. Thom. ergo quæst. 12. art. 5. Vazquez disp. 43. cap. 6. Suarez lib. 2. cap. 5. Beccanus cap. 9. quæst. 3. Granadus disput. 6. sect. 3. Mæratius disp. 13. sect. 1. Alarcon disp. 3 cap. 5. & communiter Theologi docent, lumen gloriæ deseruire intellectui ad visionem Dei, tan-

quam

quam comprincipium efficiens, confortans, & excitans, seu eleuans ipsum intellectum ad eam eliciendam, & cum ipso intellectu efficiēter concurrens. Et meritò, quia ex vna parte visio Dei est actio supernaturalis non minus quàm actus Fidei diuinæ: ergo intellectus, qui est ordinis naturalis indiget aliqua forma supernaturali ipsum eleuāte, vt visionem Dei eliciat: ergo lumen glorię, quòd ad eam visionem Deus infundit, & non constat, aliam formam ad id infundere, est virtus à Deo intellectui infusa, vt eum confortet, & eleuet, & cū eo efficienter concurrat ad visionem Dei, sicut Deus infundit intellectui habitum supernaturalem fidei, vt eum confortet, & eleuet, & cum eo efficienter concurrat ad actum Fidei diuinæ.

Inter Auctores tamen huius nostræ sententiæ controuersia est: an lumen gloriæ non solū se teneat ex parte potentię intellectus eū cōfortans, & eleuās, & cū eo efficienter concurrens ad visionē Dei: sed an etiā habeat rationē speciei intelligibilis, seu impressæ Dei etiā se tenēs ex parte Dei, tanquā obiecti: an verò non habeat rationē speciei impressæ se tenens ex parte obiecti. Ac proinde: an præter ipsum lumē gloriæ se tenēs ex parte intellectus modo dicto etiā infundatur à Deo aliud se tenēs ex parte obiecti, quod dicitur species impressa, quia generaliter notitia, seu cognitio paritur ab obiecto, quasi à viro media specie impressa quasi semine obiecti: & à potentia cognoscitiua, quasi à fœmina.

Circa hanc controuersiam Suarez, Beccanus, Mæratius, Granadus, & alij, qui docent essentiam diuinam se ipsa concurrere efficiēter, tanquam obiectum ad visionem sui, absque specie impressa sui, consequenter docent, lumen gloriæ tantum se tenere ex parte intellectus ipsum eleuans & adiuuans efficienter ad visionem, eo modo, quo habitus fidei se tenet ad actum fidei, & nō se tenere ex parte obiecti, sicut nec habitus fidei ad actum fidei.

Vazquez verò, & Alarcon vbi suprà, & Lorca 1.2. disp. 30. dicēt, & meritò, lumen gloriæ, quòd diximus, esse necessarium intellectui ad visionem Dei, etiam se tenere ex parte obiecti tanquam speciem impressam illius, ac proinde verè esse ipsam speciē impressam Dei, vt obiecti quod indicat S. Tho. q. 12. ar. 2. & lib 3. cōtra gētes, c. 54. dū lumen gloriæ appellat similitudinē Dei ex parte potentiæ visiuæ.

Et in primis de facto ad visionem Dei dari intellectui speciem impressam ipsius Dei, diximus diffic. 4 & etiam dari lumen gloriæ, diximus difficultate 5. Deinde hanc speciem impressam, & hoc lumen gloriæ esse vnam, & eandem entitatem, & habere eadem munera, & officia, probatur, quia generaliter species impressa obiecti concurrit efficienter cum intellectu ad intellectionē obiecti, quia

quia vt iam diximus, in quo Aristoteles, & Philosophi, & Theologi consentiunt, notitia seu cognito, tam sensitiua, quàm intellectiua paritur efficienter ex obiecto, & ex potentia, & ex obiecto saltem mediante specie impressa sui, tãquam semine sui: ergo species impressa Dei concurrit efficienter cum intellectu eum adiuuans ad visionem Dei, cuius est species, quòd verè efficit lumen gloriæ, & concurrit determinando efficienter intellectum, vt Deum videat, quòd etiam conuenit lumini gloriæ, & lumen gloriæ non habet aliud munus, nec species impressa Dei: ergo lumen gloriæ est ipsa species impressa Dei, & species impressa Dei est ipsum lumen gloriæ.

Vnde lumen gloriæ se tenet non solum ex parte Dei, vt obiecti tãquam species impressa illius, & quasi semen illius determinans efficienter intellectum ad visionem Dei efficienter concurrendo cum ipso ad eam visionem, seu partum, & productionem speciei expressæ Dei, sed etiam se tenet ex parte intellectus, non tanquam virtus emissa ab ipso intellectu, aut ab alio loco ipsius, sicut emittitur species impressa ab obiecto, aut ab alio loco illius, sed quia ipsum eleuat, & cum eo efficienter concurrit ad visionem Dei, quòd etiam efficit habitus infusus Fidei diuinæ, cum intellectu ad assensum supernaturalem Fidei diuinæ, & habitus infusus charitatis cum voluntate ad actum supernaturalem charitatis Dei. Dicta autem species impressa Dei dicitur lumen, quia virtualiter manifestat intellectui Deũ, quia ea specie tanquam virtute, seu principio efficiente proprio, & partiali intellectus videt Deum, seu virtualiter illuminatur ad vidẽdum Deum: & dicitur gloriæ, quia virtualiter manifestat Deum, qui est nostra gloria obiectiua.

Obseruandum etiam est, dictam entitatem, quæ est species impressa Dei vt obiecti, esse lumen gloriæ concurrens cum intellectu ad videndum Deum, concurrere cum intellectu ad visionem Dei, non vt instrumentum, sed vt causam principalem, quia est concausa, seu comprincipium cum intellectu ad visionem, eleuans ipsum intellectum, qui est instrumentum ipsius luminis ad illam: si ergo lumen gloriæ eleuat intellectum, vt ex Concilio Vienensi diximus, difficult 6. non erit instrumentum, sed causa principal s, & erit altioris speciei, quàm expressa species Dei producenda ab intellectu, & ab ipso lumine, vtpote à causa principali.

De quo etiam diximus tract.de Incarnatione, præsertim, disp.8.diffic.21.

(§§)

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm intellectus noſter à Deo adiutus poſsit abſque lumine gloriæ videre Deum?

FErrara 3. contra gentes, cap. 54. Sotus in 4. diſt. 49. art. 4. Capreolus quæſt. 4 art. 3. Caiet. & Bañez quæſt. 12. art. 5. Aluarez lib. 7. de auxilijs, diſput. 67. & Gonçalez diſput. 27. ſection 3. partem negatiuam tuentur. Primò, quia intellectus, abſque lumine gloriæ, nequit eſſe cauſa principalis viſionis, quia abſque eo eſt improportionatus ad viſionem Dei: ergo ſi à Deo adiutus, abſq; lumine gloriæ videret Deum, tantum eſſet inſtrumẽtum Dei ſupplentis vicem luminis gloriæ: ergo non ſolũ intellectus diceretur ea viſione videre Deum, ſed etiam Deus videre ſe ipſum, & potius quã intellectus, quia actio potius denominat cauſam principalem, quã inſtrumentũ; abſurdũ autẽ eſt dicere, quòd Deus viſione creata ſe ipſum videat: ergo & quod abſque lumine gloriæ poſsit iuuare intellectũ ad viſionem ſui. Secũdò, quia Deus nequit ſupplere munus cauſæ formalis, quia nequit eſſe cauſa formalis, Deus enim ſe ipſo, abſque albedine nequit efficere album: ſed lumen gloriæ eſt neceſſarium, tanquam cauſa formalis ad viſionem, quia non ſolum concurrit efficienter ad viſionem, ſed etiã tanquam cauſa formalis informando, videlicet intellectum, aut eſſentiam animæ, ſeu ei inherendo, & manifeſtando intellectui ipſi obiectum, quòd fit à lumine, vt à cauſa formali.

Paludanus verò, Argentina, & Maior in 4. diſt. 49. Vazq. diſp. 46. Suar. lib. 2. cap. 16. Beccanus cap. 9. q. 4. Granad. diſput. 6. ſect. 4. & Alarcon diſp 3. cap. 4. partem affirmatiuam tradunt, & merito, quia in eo nulla apparet repugnantia, ſeu implicatio contradictionis: ergo id non eſt potentiæ Dei denegandũ, conſequentia patet, antecedens autem probatur, quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Deus ſuo cõcurſu efficiente poſsit efficere, ſeu concurrere cũ intellectu ad viſionẽ, ad quã lumẽ gloriæ efficienter, nõvitaliter cõcurrit.

Ad priorem ergo rationem aduerſariorum reſpondemus, concedendo, intellectum abſque lumine gloriæ non eſſe cauſam principalem viſionis Dei; ſed tantùm eſſe inſtrumentum Dei concurrentis cũ illo (imò etiam informatum lumine gloriæ non eſſe cauſam principalem, ſed tantum inſtrumentum ipſius luminis, à quo concurrendo cum illo efficienter eleuatur) quod autem Deus ſit cauſa principalis viſionis, & intellectus ſit inſtrumentum, non ſufficit, vt Deus dicatur,

ca

ea visionē videre, nec vt intellectus non dicatur videre, quia nō omnes actiones suis partialibus rationibus denominant omnia principia ipsarum (etiam si ratione communi actionis omnia sua principia denominent agentia) quia actiones vitales, vt vitales non denominant nisi principia à quibus vitaliter procedunt, imò generatio exterior, v.g. hominis generantis non denominat Deum generantem, quanuis sit principalior causa illius, quā homo producens, quia productio hominis generantis, tantùm est, & dicitur generatio quatenus est origo viuentis à viuente à principio coniunctō in similitudinem naturę, quod tantū conuenit productioni actiuæ hominis, prout prouenit ab homine, & non prout prouenit à Deo: Quia ergo visio Dei est actio vitalis, non denominat Deum videntem, quanuis sit causa principalis illius: sed tantum denominat nostrum intellectum, quanuis sit instrumentum illius, quia visio tantum procedit vitaliter à nostro intellectu, & non à Deo.

Et ad posteriorem concedimus, Deum non posse supplere munus causæ formalis ad effectum formalem, cum nequeat esse causa formalis: & etiam concedimus, lumen tanquam causam formalē informādo intellectum, aut essentiam animæ, esse necessarium intellectui ad visionem, quia absque informatione, seu inhærentia sui in intellectu aut in essentia animæ nequit cū intellectu concurrere efficienter ad visionem. Quia tamen ea informatio nō est necessaria immediatè, & ratione sui ad visionem, sed tantùm mediatè ratione dicti concursus, quo lumen concurrit efficienter cum intellectu ad visionem, & Deus potest absque inhærentia aliqua, sola sua intima præsentia intellectui concurrere efficienter cum eo ad visionē non minus; imò melius, quàm lumen: Idcò Deus potest supplere defectum luminis, & absque eo concurrere cum intellectu ad visionem.

Id autem, quod ab aduersarijs additur in hac posteriori ratione, nempè prerequisitum esse intellectui ad visionē Dei, quod ei formaliter manifestetur obiectū, nempè Deus, falsum est, quia sufficit, quòd ei manifestetur virtualiter, quòd verè fit à lumine gloriæ concurrēdo efficienter cum intellectu ad productionem speciei expressæ Dei, quæ est imago expressa ipsius Dei, qua intellectus formaliter, & expressè illuminatur, & ei manifestatur ipse Deus: id au ē potest Deus non minus, imò melius efficere, quia melius potest concurrere efficienter ad productionem dictæ speciei expressæ.

Sed quānis Deus possit cū intellectu nostro, absque lumine gloriæ concurrere efficienter ad visionē sui, vt dictum est, non tamen potest se solo absque intellectu ipso efficienter concurrente efficere visionē in intellectu nostro, vt contra Valent. 1. p. disp. 1. q. 3. p. 4. aduertit Vaz-

Vazquez 1.2.disp.9. Montesinus disput.3.quæst.5. Lorca disput. 6. & nos diximus tractatu de Beatitudine, disp.1.difficultate 8. quia visio Dei non minus, quàm intellectio cuiuscumq; alterius obiecti essentialiter est actio vitalis, dicens essentialem ordinem ad viuens, vt ad proprium principium vitaliter efficiens, quia visio essentialiter est aduertentia ipsius videntis: ergo ei repugnat à solo Deo fieri, absque influxu efficiente intellectus nostri.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm visio Dei sit connaturalis intellectui illustrato lumine gloriæ.

SVpponimus, visionem Dei non esse connaturalem intellectui creato secundum se considerato, sed esse ei supernaturalē, vtpote nulli substantiæ intellectuali creatæ debitā, & esse connaturalē lumini gloriæ secundū se considerato, quia tā visio, quā lumē ipsum sunt ordinis supernaturalis. Superest tamen difficultas: An visio Dei sit connaturalis intellectui, vt illustrato lumine gloriæ?

Caiet. q.12.art.5. Vazq disp.44.cap.2. Granad. disp.3. & Mæratius disp.14 docent, visionem Dei esse connaturalem intellectui sic illustrato, quia vt illustratus lumine gloriæ habet vires supernaturales ad visionem, quia habet lumen, quod est supernaturale, & est virtus supernaturalis ad visionem: ergo visio Dei non est supernaturalis, sed connaturalis in ellectui sic illustrato.

Sotus verò in 4. distin. 49 quæst. 2. art. 4. & Suarez cap. 17. docent, visionem Dei non esse connaturalem intellectui, quamuis illustrato lumine gloriæ. Et meritò, quia virtus naturalis intellectus, etiam lumine gloriæ illustrati qua concurrit ad visionem, est eadem omnino, ac quando intellectus non est aliquo supernaturali illustratus, & semper est obedientialis ad visionem, quia cum ipso non crescit, nec fit maior physicè, quia lumen non eleuat intellectum formaliter efficiendo virtutem physicam illius maiorem: sed tantum eleuat illam efficienter, efficiendo, videlicet, quòd concurrat concursu ipsi intellectui superiore proportionato tamen ipsi lumini: id autem efficit lumen non aliter, quàm ob quamdam affinitatem ex natura rei inter ipsum, & intellectum comitando intellectum ad visionem, ad quam intellectus est lumini subiectus, & obediens.

Ad rationē ergo aduersariorū respondemus, intellectum illustratū lu-

lumine gloriæ habere, tanquam ſubiectum vires ſupernaturales ad viſionem, quia tanquam ſubiectum habet lumen, quod eſt virtus ſupernaturalis ad viſionem, non tamen habere illas, tanquam agens, & ſibi proprias, quia illæ vires, ſeu ea virtus, nō eſt propria intellectus, ſed luminis, & intellectus, non concurrit ea virtute ad viſionem, ſed ſua virtute intellectiua comitata à virtute luminis cōcurrentis cum ipſo intellectu, & ſic eleuantis ipſum, & non efficiendo virtutem intellectus maiorem, ſed eum comittando ad actionem ipſi ſupernaturalem.

Viſio ergo Dei, non ſolum, non eſt connaturalis, ſed ſupernaturalis intellectui, vt ſubiecto, ſeu vt viſio eſt paſsio, quanuis ſit illuſtratus ipſo lumine, quia recipitur in intellectu nō adiuto à lumine gloriæ ad receptionem ipſius viſionis. Sed etiam non eſt connaturalis, ſed ſupernaturalis ipſi intellectui, vt agenti, quanuis illuſtrato lumine gloriæ ob rationem dictam, quia ſcilicet virtus propria intellectus non creſcit formaliter lumine gloriæ, nec formaliter eleuatur, ſed tantum efficienter ex eo quod lumen, cui intellectus, tanquam inſtrumentum obedit ad videndum Deum, efficit, quòd ſecum concurrat ad viſionem eodem ſupernaturali concurſu.

Si tamen viſio Dei comparetur non tantùm ad intellectum directè, & indirectè, ſeu connotatiuè ad lumgen gloriæ, qua ratione hucuſque loquuti ſumus, ſed directè ad vtrumque, nempè ad compoſitum, ſeu mixtum ex intellectu, & ex lumine, non eſt dicenda ſimpliciter connaturalis ipſi cōpoſito, nec ſimpliciter ſupernaturalis, ſed ſub diſtinctione, nempè ſupernaturalis intellectui, & cōnaturalis ipſi lumini, quia quanuis ex intellectu, & ex lumine fiat vnum compoſitum phyſicum, non tamen fit vnum agens, ſed ſunt duo agētia, & duo principia, quanuis ſubordinata, & ita reſpectu vnius, nempè reſpectu intellectus, viſio dicenda eſt ſupernaturalis, & ſupernaturaliter fieri, & reſpectu alterius, nempè reſpectu luminis, dicenda eſt connaturalis, & connaturaliter fieri

Obſeruandum tamen eſt, quòd quanuis viſio Dei non ſit connaturalis intellectui, quanuis illuſtrato luminæ gloriæ, vt iam diximus; eſt tamen ei ſic illuſtrato naturalis, ſumpto naturali prout eſt idem, quòd neceſſarium, & diſtinctum à libero, vt Suarez aduertit, quia ex vna parte intellectui illuſtrato lumine gloriæ, nihil deficit advidendū Deum, vt conſtat ex dictis: & ex altera parte, intellectus non eſt potentia libera, nec ſubiectus cauſæ ſecundę liberæ quoad eum actum: ergo intellectus lumine gloriæ illuſtratus neceſſario videt Deum, quia non poteſt non videre illum, conſequentia patet, antecedens autem quoad priorem partem, nempè, quòd intellectui ſic illuſtrato ni-

nihil deficiat ad videndum Deum, cõstat ex dictis, & quoad posteriorem partem, nempè, quòd intellectus non sit potentia libera, etiam patet, & quòd non sit subiectus causę secundæ liberæ quoad hunc actum constat, quia quanuis admittamus, quòd sit subiectus voluntati, quòd non est certum, nequit tamen voluntas eum actum impedire, quia nequit imperare, quòd non eliciatur, quia in eo actu, seu exercitio visionis Dei nulla apparet ratio mali, vt patet.

Et ob rationem dictam beatus, quanuis suæ libertati relictus nequit cessare à visione Dei semel habita, vt aduertunt Vazquez 1. 2. disputation. 6. Beccanus cap. 1. quæst. 7. Lorca disput. 30. & nos diximus tractat. de Beatitudine, disput. 2. diffic. 13. & iterum dicemus difficultate 14.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm possit à Deo condi creatura cui sit visio Dei naturalis, seu connaturalis, & non supernaturalis?

MAior in 4. dist. 49. quęst. 4. Molina quæst. 12. art. 5. disput. 2. Beccanus cap. 9 quæst. 5. Herice 1. par. tract. 4. diffic. 48. cap. 4. Petrus Hurtado in Physicis, disp. 7. sect. 1. parti affirmatiuæ faueut, & eam esse probabilem docet Alarcon disput. 2. cap. 8. Probari autem potest, quia visio Dei est finitæ, & limitatæ perfectionis; ergo poterit à Deo fieri substantia creata adeò perfecta, cui ea visio sit connaturalis, & non excedens virtutem naturalem illius creaturæ, & cui etiam lumé gloriæ, quòd etiã est finitæ perfectionis, sit connaturale.

S. Thom. verò, quæst. 12. art. 5. ad tertium Vazquez disp. 44 Suarez cap. 9. Granadus tract. 4. disp. 2. Mæratius disp. 15. & communiter Theologi partem negatiuam amplectuntur: & meritò, quia nulla substantia creata, seu creabilis, quanuis intellectiua, nec vllus intellectus creatus, seu creabilis potest esse supernaturalis: ergo visio Dei, quę est supernaturalis, vt diximus difficult. 5. nequit esse connaturalis alicui substantiæ creatæ, nec alicui intellectui creato: sed erit eis supernaturalis: consequentia patet, antecedens autem probatur, & in primis, quòd nulla substãtia creata possit esse supernaturalis, quia nequit esse supernaturalis eo modo, quo Deus est supernaturalis, nẽpè quia est ordinis superioris ad omnes res creatas, seu creabiles, & suprà omnes eas, vtpote ens à se, ab eis omnino independens, & eas omnes ab eo dependentes, & eas omnino infinitè excedens in perfectione, vt patet, nec potest esse supernaturalis, eo modo, quo creatu-

ra poteſt eſſe ſupernaturalis, nempè quia perficit, & actuat ſubſtantiam, ſeu naturam creatam ſuprà naturam ipſius, ſeu ſuprà debitum, ſeu exigentiã illius, & cuiuſcunque alterius ſubſtantiæ creabilis, quia hoc nequit conuenire ſubſtantiæ creatæ, quia hæc, ſi eſt totalis, nequit actuare, ſeu perficere aliud, & ſi eſt partialis, v. g. animæ rationalis, quanuis poſsit actuare, ſeu perficere materiam primam, non tamen ſupra debitum, ſeu exigentiam materiæ primæ, quam informat, ſeu actuat, quia id exigit materia prima; & ob eandem rationẽ nequit eſſe intellectus creatus ſupernaturalis, quia ſcilicet quanuis informet, & actuet ſubſtantiam, cuius eſt intellectus; non tamen ſuprà exigentiam illius, quia intellectus eſt potentia connaturalis naturæ, cuius & propria potentia: ergo nulla poteſt condi à Deo natura, cui, & cuius intellectui viſio beatifica ſit connaturalis, & non ſit ſupernaturalis, ſeu ſuprà naturam, & exigentiam illius, & conſequenter nec condi poteſt lumen gloriæ, quod eſt eiuſdem ordinis cum viſione beatifica; quòd non ſit ſupernaturale omni creaturę, quanuis magis perfectę, quàm ſit viſio, & quam ſit lumen gloriæ, qualis eſt ſubſtantia intellectualis reſpectu eorum: hæc enim, imò & quæcumque alia ſubſtantia perfectior eſt viſione beatifica, & lumine gloriæ, quæ ſunt accidentia inferioris tamen ordinis.

Supernaturalitas ergo, quæ creaturæ conuenire poteſt, tantum poteſt conuenire accidenti, vt lumini gloriæ, & quaſi accidẽti, vt vnioni hypoſtaticæ, quia ſolum accidens, aut quaſi accidens poteſt perficere, & actuare, & non poteſt conuenire cuicumque, ſed tantum ei, quòd, nec in individuo, nec in ſpecie poteſt eſſe debitum ſubſtantiæ creatæ, de quo non nihil diximus tract. de Incarnat. diſp. 2 diffic. 6. & tract. de fide, diſp. 4. difficult. 5.

Ad rationem ergo aduerſariorum concedimus, viſionem beatificam eſſe limitatæ, ſeu finitæ perfectionis, & etiam lumen gloriæ; non tamen poſſe fieri ſubſtantiam, nec intellectum, cui viſio beatifica ſit connaturalis nec cui lumen ſit connaturale, quia quanuis ſubſtantia intellectualis, imò & quælibet alia ſit perfectior viſione beatifica, & quanuis à Deo fieri poſsit intellectus perfectior, & perfectior adhuc ſpecificè ſine fine, ſicut & ſubſtantiam intellectiuam perfectiorem, & perfectiorem ſpecificè ſine fine; nunquam tamen ſubſtãtia à Deo facta nec intellectus poteſt ſua virtute attingere ordinem viſionis, & luminis gloriæ, quia ea ſubſtantia erit naturalis, & etiam is intellectus ob rationem dictam; & viſio erit eis ſupernaturalis, quia nunquam erit debita illis.

(51)

DIF-

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Deus poſsit videri oculis corporeis?

HÆretici exiſtimantes, Deũ eſſe corporeũ à fortiori ſentiunt Deũ poſſe videri oculis corporeis, & de facto ſic videri à Beatis. Imò Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 29. rem hanc tractans eã indeciſſam relinquit, imò in eam inclinare videtur, & indicare videtur, Iob 19. illis verbis: *Et in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Et cap. 42. illis verbis: *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Et etiam videtur ratione probari, quia non eſt impoſsibile, quòd potentia ſpiritualis videat corpus: ergo nec quòd potentia corporalis videat ſpiritum: probatur conſequentia, quia potentia corporalis non magis diſtat ab ſpiritu, quàm potentia ſpiritualis à corpore.

Conueniunt tamen ſcholaſtici, Deum nullatenus poſſe oculis corporeis videri ſaltem viſione corporea, ita S. Thom. quæſt. 12. 1. par. art. 3. Vazquez diſp. 40. Suarez lib. 2. cap. 6. Beccanus quæſt. 6. Granadus tract. 4. diſp. 1. Mæratius diſp. 10. & Alarcon diſput. 1. cap. 5. quod etiam expreſsit Auguſt. epiſt. 6. & etiam Ambroſ. Hieronym. Nazianzen. & Anaſthaſius, vt refert Auguſt. epiſt. 3. vbi idem docuerat; etiam ſi lib. illo 22. cap. 19. de ea re dubitauerit, imò in partem affirmatiuam aliqualiter fuerit propenſus.

Et in primis Deum non videri naturaliter oculo corporeo certiſsimum eſt, quia Deus eſt ſpiritus, & oculus corporeus tantum habet pro obiecto connaturali rem corpoream, vt corporeitas ipſa oculi indicat, & experientia oſtendit.

Deinde Deum non poſſe videri oculo corporeo viſione corporea, nec ſpirituali, adhuc de potentia Dei abſoluta, probatur quia nulla creatura poteſt à Deo eleuari ad id, ad quod non habet aliquã virtutẽ natiuam, ſaltem imperfectam, ſeu inchoatam (qualẽ habet intellectus ad cognitionem ſupernaturalem) quia ad id affirmandũ nullũ adeſt fundamentũ: aliàs dici poſſet, quòd oculus poſſet eleuari ad audiendũ & auditus ad videndũ; imò ad videndum Deum, in oculo autem corporeo non eſt virtus aliqua natiua adhuc imperfecta ad videndum Deum, nec viſione corporea, nec incorporea quia in oculo nullũ apparet veſtigiũ talis virtutis: ergo nõ eſt dicendũ, Deũ poſſe de ſua potẽtia abſoluta oculo corporeo videri, ſicut nec quòd dæmones, nec quòd animæ damnatę phyſicè torqueãtur igne corporeo inferni, ſed alio modo; imò nobis occulto. Et idẽ ob eandẽ rationẽ di-

cendi est de quocūq; oculo corporeo creabili,& producibili Deo.

In eo autem testimonio Iob 19.Iob significat, se post resurrectionē in sua carne suis oculis corporeis visurum humanitatem Christi, aut in die iudicij,iuxta illud 1.ad Corinth.5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi* aut etiam post diem iudicij in æternum. In alio verò testimonio, Iob 42.significat ea,quæ ipse audierat de prouidentia Dei erga homines,ita experientia didicisse esse vera, vt ea quasi ad oculum in se ipso videat cognitione,quasi euidente.

In alijs verò locis,vbi dicitur Deus videri,vel visus fuisse facie ad faciem,sermo est de visione corporali,qua Deus videbatur, aut visus fuit apparens in figura corporea. Et in alijs locis,in quibus Deus dicitur videndus facie ad faciem,sermo est de visione intuitiua intellectus,non de corporali,de quo diximus diffic.2.

Ad rationem verò pro parte affirmatiua respondemus,concedēdo antecedens,& negando consequentiam. Et ad eius probationē respondemus,quòd quanuis in genere entis non magis distet potentia corporalis ab spiritu,quàm potentia spiritualis â corpore;in genere tamen,seu in ratione potentiæ,& obiecti,potentia corporalis magis distat ab spiritu,tanquàm ab obiecto (imò omnino) quam potentia spiritualis à corpore,tanquā ab obiecto,imò hęc nō distat ab illo,nā corpus cadit,tanquam obiectum potentię spiritualis ob eminētiam huius potentiæ,& ideò obiectum corporale,non solum supernaturaliter,sed etiam naturaliter percipitur à potentia spirituali: spiritus verò ob inferioritatem potentiæ corporalis,nequit adhuc supernaturaliter ab ea attingi,tanquam obiectum,in potētia enim spirituali experientia,quasi didicimus virtutē natiuam circa obiectum corporale; & in potentia corporali nihil virtutis experti sumus circa obiectum spirituale.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm in visione Dei sit species expressa Deum repræsentans producta ab intellectu Beati?

CAietanus, Bañez, Zumel,quæst.12 art.2. Nauarre e controuersia 34.& Gonçalez disputat.25.sect.4.docent,in visione Dei nullam à beato produci speciem expressam Dei;sed essentiam diuinam esse essentialiter vnitam intellectui beati instar speciei impressæ, & expressæ ipsius Dei,per quā Deus clarè videtur ab ipso beato. Quod videtur docuisse Sanctus Thom.quæst.12.art.2.vbi negat,esse possibilem aliquam similitudinem creatam Dei.

Et ratione videtur probari, quia nihil creatum potest Deū repræsentare, vt est in se: ergo nequit esse species aliqua expressa Dei, seu Deum, vt est in se repræsentans à vidente Deū producta, consequentia patet: antecedens autem probatur, quia Deus est infinitus, & infinitè distans à creatura: ergo nulla creatura potest Deum prout in se est repræsentare, quia inter rem repræsentantem, & inter rem repræsentatam, est necessaria aliqua proportio & quasi qualitas.

Sotus verò in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 3. Vazquez disput. 38. cap. 2. Suarez cap. 11. Canariensis, & Molina quæst. 12. art. 1. Mocratius disput. 7. Granadus tract. 5. disp. 1. Herice disp. 40. & 42. & Alarcon disput. 1. cap. 6. docent, & meritò in visione Dei produci à beato speciē expressam Dei, qua Deus à beato videtur, vt est in se, quòd satis indicat S. Thomas quæst. 27. art. 1. dum vniuersaliter de omni intelligente docet: *Ex eo, quod intelligat, producere intra se aliquid, quòd sit conceptio rei intellectæ, & verbum illius.* Et id satis significat Augustinus 15. de Trinitate, cap. 16. dum ait: *Quando videbimus eum sicuti est, tunc quidem verbum nostrum, non erit falsum, quia nec mentemur, nec fallemur.* Et id expressisse Anselmum in Monologio, cap. 31. aduertit Vazquez num. 7.

Et ratione probatur, quia quæcumque intellectio, aut est vera actio, aut in ea interuenit actio intellectus, quia intellectum intelligere, vel est eum attendere, & conari, vel in eo interuenit attentio, vt experientia, seu quasi experientia cōstat: sed omnis actio est productio alicuius termini, seu via ad illū, ergo quæcūque intellectio, vel est productio alicuius termini, vel in ea interuenit productio alicuius termini, nō alius termini, quā speciei expressæ repræsentātis obiectū, quòd intelligitur ipsi intellectui; sed visio Dei est vera intellectio Dei, prout est in se: ergo vel est vera productio alicuius termini, vel in visione Dei interuenit productio alicuius termini, & non alius termini quàm speciei expressæ Dei repræsentāntis ipsum intellectui beati: ergo beatus videndo Deū producit aliquā speciem expressam Dei.

S. Thomas autem in eo art. 2. pro aduersarijs adductus, vt diximus difficult. 3. tantum negat esse possibilem similitudinem Dei, quæ prius visa, vt quòd ducat nos in cognitionem Dei perfectè, & prout est in se, & non aliter, quàm prius visa vt quod, non vero speciem impressam, nec expressam, qui quamuis non visæ ducunt nos in cognitionem Dei, impressa tanquam principium efficiens, & expressa, tanquam terminos visionis.

Ad rationem ergo respondemus, negando antecedens, nempè quòd creatum est non posse repræsentare Deū, vt est in se. & ad probationē illius respondemus concedendo, Deū esse infinitū, & infinitè

distare ab omni creatura, negamus tamē, nō posse repręsentari prout est in se à creatura, quia ad repręsentandū nō requiritur in repræsentante proportio, & quasi æqualitas in genere entis cum repræsentato, quia sufficit proportio in genere repræsentationis, seu imaginis, vt patet in specie expressa substantiæ Angeli, ipsam substantiam repręsentante, quamuis ipsa species sit accidens, præsertim quando repræsentatio non est comprehensiua, seu adæquata cognoscibilitati Dei, qualis non est visio in beato, vt dicemus difficultat. 18.

DIFFICVLTAS XIII.

In quo consistat formalis visio Dei.

QVamuis rem hanc generaliter de omni intellectione examinauimus tractatu de Beatitudine, disp. 2. diffic. 9. placuit hic eā specialiter de visione Dei examinare, vtpote attingentem, seu pertinētem ad essentiam visionis Dei, de qua ex professo tractamus.

Vazquez ergo 1. par. disp. 141. cap. 4. & 1. 2. disp 9. cap. 5. Valentia 1. par. disp. 1. quæst. 12. Suarez lib. 2. cap. 11. & Salas tractat. 2. sect. 4. quibus adhærere videtur Mæratius disp. 7. docent, visionem Dei sitam esse formaliter in specie expressa Dei producta pertinente ad prædicamentum qualitatis; & non in productione illius pertinente ad prædicamentū actionis, ac proinde visionem Dei esse tantū actionem Grammaticalem, & non verā, & propriā, quòd generaliter docent de omni intellectione creata cuiuscūque obiecti. Probari autē potest primo ab absurdo, quia si visio Dei formaliter esset productio, seu actio, in primis visio Dei esset productio Dei, cuius est visio. Dein de productio speciei expressæ esset visio ipsius speciei, quæ sunt absurda. Secundò probatur à priori, quia visio Dei, sicut quæcūque alia intellectio, nihil aliud est, quā repræsentatio actualis, & expressa sui obiecti, nēpè Dei, qua beatus habet Deum sibi repræsentatione præsentē: sed hoc conuenit speciei expressæ Dei, quia est imago expressa illius, & non conuenit productioni ipsius speciei, quia hæc productio tantū est assimilatio, seu productio similitudinis, & imaginis obiecti, nempè Dei; ergo visio Dei, sicut quæcumque alia intellectio sita, est formaliter in ipsa specie expressa, & non in productione illius. Et cōfirmatur, quia species expressa Dei, est forma inhærens intellectui, & eum informans: ergo ei tribuit denominationē aliquam formalē; sed nequit aliam denominationē tribuere, nisi actu videtis: sicut species impressa Dei tribuit intellectui denominationē potentis videre: ergo visio Dei formaliter sita est in specie expressa Dei, & nō in productione illius.

Ca-

Canarienſis verò, quæſt. 27. art. 1. diſp. 4. Herice diſp. 40. cap. 3. Mõteſino 1. 2. queſt. 3. art. 2. diffic. 3. quæſt. 5. & alij recentiores docent, & meritò, viſionem Dei ſitam eſſe formaliter in productione ſpeciei expreſſæ Dei, & non in ipſa ſpecie expreſſa producta, quod ſatis ſignificat S. Thom. quæſt. 34. art. 1.

Probatur autem primò, quia intelligere formaliter eſt, ipſum intelligentem attendere, & conari; attendere autem, & conari, nõ cõſiſtunt formaliter in termino actionis, ſed in actione ipſa, vt immediatè fluente ab ipſo attendente, & conante: ſed viſio Dei eſt intellectio Dei, & perfectiſsima: ergo non conſiſtit in ipſo termino producto, qui eſt ſpecies expreſſa Dei, ſed in actione, ſeu productione illius. Et confirmatur, quia in diuinis intellectio notionalis Patris nõ conſiſtit formaliter in ſpecie expreſsa, ſeu in verbo, & Filio, qui eſt termin⁹ product⁹, ſed in productione illius: ergo intellectio, ſeu viſio Dei in creaturis conſiſtit formaliter in productione vitali ipſius ſpeciei expreſsæ, vt vitaliter fluẽte àvidẽte, & nõ in ipſa ſpecie expreſsa.

Secũdo probatur, quia ſolis operationibus humanis meremur, & demeremur, & nõ qualitatibus, quia ſola operatio, & nõ qualitas eſt libera: ſed meremur credendo Deo, & demeremur ipſi diſcredendo, quæ ſunt intellectiones: ergo intellectio eſt vera actio, & non ipſa qualitas producta, ſed viſio Dei eſt intellectio Dei: ergo ſita eſt formaliter in actione, ſeu productione ſpecici expræſsæ Dei, vt vitaliter profluente à Beato, & non in ipſa ſpecie producta.

Et eiſdem rationibus probatur, viſionem Dei in ſola productione ſpeciei expreſſæ formaliter conſiſtere, & non etiam ſimul in ipſa ſpecie expreſſa (vt nonnulli volunt) quia ſcilicet attentio, & conatus in ſola actione formaliter cõſiſtit, & quia intellectio notionalis Patris in ſola productione Verbi cõſiſtit, & non etiã ſimul in verbo ipſo, & quia ſolis operationibus meremur, & demeremur, qualiter ſit intellectione libera, & non etiam qualitate. Intellectio autem neceſſaria (qualis eſt viſio Dei) & non neceſſaria in eodẽ formaliter conſiſtunt.

Ad priorẽ ergo rationẽ ab abſurdo deſumptã, reſpondemus, quòd quamuis viſio, & intellectio ſit productio: nõ tamẽ eſt productio obiecti, ſed tantum termini, qui eſt ſpecies expreſſa, ſeu imago obiecti. Quia viſione, & intellectione, vt productio eſt, tãtũ ſignificatur reſpectus immediatus ad terminum productum, qui eſt ſpecies expreſſa: dicitur tamen viſio, & intellectio obiecti, quia eà vt viſio, & intellectio eſt, tantum ſignificatur reſpectus, quem mediatè, & indirectè, ſeu in obliquo dicit ad obiectum, quia tantũ reſpicit obiectum mediatè, ſeu indirectè, ex eo, quòd ſit productio, & fieri termini, ſeu ſpeciei expreſſæ eſſentialiter, & immediatè reſpicientis obiectum. Viſio ergo, & intellectio eſt productio ſpeciei expreſſę

obiecti, & non est visio, seu intellectio ipsius speciei, & est visio, & intellectio obiecti, & non productio illius; ob diuersos modos, quibus respicit speciem expressam, & obiectum, quia scilicet vt respicit immediatè speciem expressam, dicitur productio, & non visio, nec intellectio, & vt mediatè, & indirectè respicit obiectum, dicitur visio, & intellectio, & non productio.

Et ad posteriorem concedimus, visionem, & intellectionem nihil aliud esse, quàm repræsentationem actualem, & expressam rei, qua res fit videnti, & intelligenti præsens intentionaliter, nō tanquā obiecto prius cognito, vt quòd, sicut fit in imagine materiali: sed tāquam forma, & id fit non ratione speciei expressæ, tanquam formæ, quia species expressa tantùm est imago dicens quando est intellecta, vt quod in intellectionem rei, seu obiecti, cuius est imago, & tantùm est terminus actionis, per quam intentionaliter formaliter pingitur (quo etiam tantummodo ducit imago materialis) sed tantum fit illa repræsentatio actualis ratione effectionis, seu formationis speciei expressæ, cuius effectio, & formatio, est assimilatio, seu pictio, qua intellectus, sibi intentionaliter obiectiuè pingit rē, seu obiectum, quia intellectum intelligere rem est intellectum sibi, & in se efficere imaginem rei, quo facit rem sibi intellectione præsentem, effectione videlicet imaginis, seu speciei expressæ, vt ab intellectu immanenter, & vitaliter fluente tanquam forma, & ipsa specie expressa tanquam termino, ita vt quamuis Deus, absque concursu nostro produceret, aut conseruaret speciem expressam in intellectu nostro (vt potest sicut & carnem, quę per nutritionem vitaliter producit) non diceremur habere præsentem intentionaliter rem, cuius esset imago: sed tantùm diceremur habere imaginem, quæ intellectu, vt quod nos duceret in notitiam illius rei.

Et ad confirmationem respondemus, speciem expressam tribuere intellectui denominationem aliquam, sed non tribuere denominationem actu videntis, aut intelligentis, quia hanc sola tribuit effectio, seu productio ipsius speciei expressæ, vt immanenter, & vitaliter fluens ab intellectu, sed tribuere aliam, quæ caret nomine simplici, nempè terminantis intellectionem (sicut species impressa tribuit intellectui denominationem potentis completè intelligere) ad eum modum, quo albedo, quæ est vt quod disgregatiua visus, etiam tribuit suo subiecto denominationem disgregatiui visus.

DIFFICVLTAS XIV.

Qualis sit visio Dei.

QVia rem hanc examinauimus Tractatu de Beatitudine, disp. 2. diffi. 11. eam breuissimè attingemus referētes, & approbātes, quæ ibi diximus.

Petitur ergo; est difficultas, an visio Dei sit indiuisibilis.

Circa quam conueniunt Theologi, visionē Dei in se ipsa, seu ex parte sui conceptus formalis esse formaliter indiuisibilē, seu simplicem; quia est visio spiritualis, & perfectissima, & intuitiua, ac proinde ex parte sui indiuisibiliter, seu absque diuisione sui attingit, omnem entitatem Dei, vt dicemus difficul. 15. & etiam esse indiuisibilem ex parte sui obiecti, seu conceptus obiectiui, quatenus attingit essentiam, & attributa; quia hæc omnia ea visione attinguntur, vt re ipsa vnum & indistincta; quia re ipsa sunt talia, esse tamē diuisibilē ex parte obiecti, seu conceptus obiectiui, quatenus attingit tres personalitates diuinas; quia hæ, quæ sunt obiecta, seu conceptus obiectiui visionis, sunt tres entitates re ipsa distinctæ, & vt tales obijciūtur, & videntur à beato.

Secundò, est difficultas, an visio Dei sit iudicatiua, seu iudicium.

Circa quam etiam conueniunt Theologi, non solùm esse apprehensiuam, sed etiam esse iudicatiuam; quia quanuis in se, seu formaliter, sit indiuisibilis; quia ipsa vnico simplici iudicio, absque vlla compositione iudicatur de Deo quid sit, nempè esse Deum, & esse omnipotentem, & sapientē, &c. Et ipsa vnico, simplici iudicio, absq; diuisione iudicatur, vnam personam non esse aliam. Est autem simul apprehensiua, & iudicatiua; quia ob sui perfectionem & indiuisibilitatem; ita est apprehensiua Dei, vt etiam sit visio, seu intuitio veritatis Dei; quia non aliter Deus apprehenditur à videte ipsū, quàm eum prout in se est, intuendo & quia visio in se est formaliter indiuisibilis, ita est apprehēsiua, & iudicatiua, vt non sit discursiua; quia discursus includit pluralitatē intellectionum, quarum vna oritur ex alia, aut ex alijs.

Tertiò, est difficultas, an visio Dei sit speculatiua, an practica.

Circa quam, quamuis Scotistæ existiment, esse practicam; quia mouet voluntatem videtis Deum ad praxim, nempè ad amorem Dei, Sanctus Thomas verò 1.2. quæst. 3. art 5. & communiter Theologi docent, esse purè speculatiuam, & nullatenus practicam. Et

nec-

meritò, quia visio Dei saltem, vt visio Dei, tantum versatur circa Deum, qui non est operatio, seu praxis, etiam si ex visione Dei oriatur amor Dei; quia hunc non habet pro obiecto, ad amorē enim obiecti, nō prærequiritur propositio illius; quia sufficit propositio, seu repræsentatio obiecti, vt boni.

Quartò est difficultas: an visio Dei, sit sua natura incorruptibilis.

Conueniunt Theologi esse corruptibilem, seu destruibilē à Deo; est tamen difficultas: an sit corruptibilis à causa aliqua creata?

Circa quam Scotus in 4.d.49.q.6. existimat esse corruptibilem à causa creata, nempè à voluntate videntis Deum; quia ita subdita est voluntati vidētis, vt si hæc relinquatur à Deo, suæ libertati possit ab ea cessare.

Sotus verò in 4 dist. 49. quæst. 9. ar. 4. Vazq. 1. 2. disp. 21. cap. 2. Montesino disp. 7. quæst. 2. & Lorca disp. 27. docent, esse incorruptibilem à causa creata, & meritò; quia non à voluntate ipsius videntis, vt diximus difficul. 9. Nec ab aliqua alia causa creata; quia nulla potest inducere contrarium, nempè dissensum circa Deum, & assensum circa obiectum oppositum; quia euidētia, & intuitio Dei, nequeunt eos actus intellectus admittere: de quo latius diximus in ea disp. 2. dif. 12.

Quintò est difficultas: an visio Dei, sit æqualis in videntibus ipsum.

Supponimus, visionem Dei, in omnibus hominibus esse specificè æqualem: quia in omnibus est eiusdem speciei; quia obiectū omniū earum est idem omnino; & modus in illud tēdendi: imo & principiū efficiēs earum, nempè intellectus humanus, & lumen gloriæ: imò visiones Dei in Angelis, & in hominibus etiam esse specificè æquales (vt contra Maior. in 4.d.49.q.11. conueniunt Theologi) quia obiectum omnium earum est idem, & modus in illud tendendi est eiusdem speciei, & etiam lumē gloriæ, quod est principium earū. Quòd autem intellectus Angeli, & intellectus hominis, sint diuersæ speciei nō sufficit ad distinctionem specificam visionum elicitarū ab ipsis; quia intellectus nō concurrit, vt causa principalis, sed vt instrumentalis eleuata à lumine gloriæ: imò non concurrit, vt causa peculiaris & determinans ad visionē, sed vt causa generalis, ad varios actus & determinabilis à lumine gloriæ.

Nihilominus, quāuis visio non sit specificè inæqualis in omnibus; potest tamen esse, & regulariter est inæqualis, saltem, quo ad duo, nē pē, quo ad intensionem, & quo ad claritatem; quæ in visione Dei verè distinguntur; quia intensior est, quæ maiori attētione, seu conatu fertur in obiectū; clariorverò, quæ clariusfacit apparere obiectū.

Et

Et quia claritas in visione perfectior est, quàm intensio, ideo maioritas, quo ad claritatem, cæteris paribus est maioris æstimationis, quã maioritas quoad intensionem: imo etiam potest esse, & forsam est inæqualis indiuidualiter in omnibus, videntibus Deũ inæqualiter proueniens, ex differentijs indiuidualibus.

Dicta autem, inæqualitas visionum Dei prouenit, ab inæqualitate gratiæ, & meritorũ, tanquam à principio morali, & à lumine gloriæ, tãquam à principio physico efficiente; quia lumen gloriæ est causa, imo principalis, & peculiaris visionis Dei.

Est tamen difficultas: an inæqualitas intellectus, siue specifica, qualis est inter intellectus Angeli, & hominis, siue numerica, etiam conducat physicè ad inęqualitatem visionum Dei?

Circa quam contra Scot. Duran. Caietan. & contra Molin. q. 12. ar. 6. disp. 2. existimamus, vt optimè Sot. in 4. d. 49. q. 3. art. 2. Vazq. disp. 47. Grana disp. 11. sect. 2. Mærat. disp. 16. sect. 3. Beccan. q. 10. Lorca 1. 2. disp. 34. & Sal. disp. 9. sect. 3. & nos diximus tract. de beatitud. disp. 2. dif. 17. inęqualitatem intellectus, adhuc specificam nõ cõducere physicè, ad inæqualitatem visionũ Dei: sed tantũ inæqualitatem luminis gloriæ: ita vt intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, nõ videat perfectius Deũ; quia intellectus, ad nihil visionis Dei cõcurrit, nisi vt perfectus, & eleuatus à lumine gloriæ: ergo non concurrit ad perfectiorem, nisi vt eleuatus à perfectiore lumine.

Ad rationem verò aduersariorum, desumptam ab exemplis, respõdemus in ea diffic. 17.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm videntes Deum videant necessario omnia, quæ sunt formaliter in Deo.

SVpponimus de facto, seu lege ordinaria, videntem Deum videre omnia, quæ sunt formaliter in ipso, nempè essentiam, attributa, & personalitates, vt significatur 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Et deducitur ex Conc. Floren in decreto de purgatorio, dum definitur, animas iustorum receptas in cœlum, intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum, sicuti est.

Hoc suppositio, difficultas est: an de potentia Dei absoluta videns clarè Deum possit videre essentiam, sine attributis, & sine personalitatibus; & è contra, ita vt possit videri aliquid Dei, non visis omnibus existentibus formaliter in Deo?

Pa-

Paludanus in 4. dist 49 quæst. 5. art. 3. Ouandus dist. 49. propositio. 20. Basolius in primo, dist. 1. quæst. 1. Antoninus 3. par. tit. 30. cap. 4. Salas 1. & 2. tom. 1. Tract. 2. disp. 4. sect. 2. Granadus Tract. 5. disp. 5. & 7. & Alarcon disp. 4 cap. 2. docent, videntem Deum posse de potentia Dei absoluta videre essentiam, sine attributis, & sine personis, & vnum attributum, sine alijs, & è contra. Et id exprimit Scotus in 1. dist 1. q. 2. loquēdo de essentia, & personis, quòd scilicèt possit videri essentia, sine personis, & vna persona non visis alijs; & è contra, quia scilicèt essentia ex natura rei distinguitur à personis: & quia eandē distinctionē constituit, inter essentiam, & inter attributa, & inter ipsa attributa inter se, ideo absq; dubio idē sensit quoad hæc quanuis id non expresserit.

Sententia hæc supposita, & admissa dicta distinctione ex natura rei inter dicta prædicata Dei, facilè constat, quoad prædicata, quę non sunt formaliter relationes, & oppositæ, vt paternitas, & filiatio inter se, & relatio spirantis, & relatio spirati inter se; quia hæ quanuis realiter distinctę inter se; ob mutuam tamen correlationem, nequeunt ita videri, quin visa vna, non videatur alia ipsi opposita; quia essentialiter est correlatio ad illam, v. g. paternitas ad filiationem.

Quòd autem, quanuis non admittatur distinctio ex natura rei, inter essentiam, & inter attributa, & inter ipsa attributa inter se, & inter personalitates comparatas cum reliquis prædicatis, quàm plures ex Auctoribus huius sententiæ, non admittunt, nec nos, quanuis omnes admittamus distinctionem realem, inter personalitates ipsas, vt necessarium est admittere, possit nihilominus videri essentia, non visis attributis, nec personalitatibus, & vnum attributum, sine alio, & sine personalitatibus, & è contra.

Probari potest, quia identitas essentiæ cum attributis, & cum personalitatibus, & è contra, non obstat, vt possit videri vnum prædicatum ex his, non visis alijs; ergo id absquè fundamento negabitur: Consequentia patet, antecedens autem, in quo est tota difficultas probatur. Primò ab exemplo; quia visus percipit colorem, vt est in se, & tamen non percipit rationem communem qualitatis, quæ est essentialis colori, nec percipit relationem transcendentalem dependentiæ coloris à Deo, quæ est re ipsa indistincta ab ipso colore: ergo identitas ex natura rei essentiæ, cum attributis, & cum personalitatibus, & è contra, non obstat, vt vnum ex eis possit vt in se est, sine alijs videri. Secundò, probatur idem antecedens: quia essentia diuina est idem ex natura rei cum personalitate Verbi, & tamē personalitas Verbi vnitur humanitati Christi, & eam personat,

seu

ſeu terminat,& non eſſentia diuina: ergo etiam poterit videri perſonalitas Verbi, non viſa eſſentia diuina, conſequentia patet; quia nō minor, imo maior præſciſio fieri poteſt intellectione, quàm vnione phyſica, aut quaſi phyſica, qualis eſt vnio incarnationis.

Henricus verò, Quodlib. 13. q. 1. Sotus in 4. diſt. 49. q. 3. art. 3. Molina q. 12. ar. 8. diſp. 4. Bañez art. 7. dub. 2. Zum q. 2. Vazq. diſp. 48. cap. 2 Suar. lib. 2 cap. 22. & 23. Heric. diſp. 50. Beccanus cap. 9. q. 12. & Mæratius diſp. 17. docent, videntem Deum non poſſe adhuc de potentia Dei abſoluta, non videre omnia, quæ ſunt formaliter in ipſo. Et meritò, quia Deus in ſe ipſo eſt eſſentia diuina, omnino à parte rei, eadem cum attributis, & cum perſonalitatibus, vt diximus. Sed videntes Deum vident ipſum, vt eſt in ſe à parte rei: ergo videntes Deum nequeunt adhuc de potentia Dei abſoluta, non videre eſſentiam, & attributa, perſonalitates. Conſequentia probatur, quia quidquid eſt in Deo, eſt re ipſa, indiſtinctum ab eſſentia diuina: ergo quomodocumquè videant, eo ipſo vident eſſentiam, & videndo eſſentiam eo ipſo, vident quodcumque, ſeu omne, quòd eſt in Deo: quia eſſentia diuina eſt, idem omnino à parte rei cum omni, quòd eſt in Deo, & omne, quòd eſt in Deo, eſt idem cum eſſentia diuina.

Ita tamen viſionem Dei eſſe, ſua natura apprehenſiuam Dei, vt etiam ſit iudicatiua illius diximus diſſ. 14. ac proinde etiam eſſe ſua natura quidditatiuam; quia eſt iudicium certū, & euidēs, & quid ditatis Dei, cùm ſit omnium, quæ ſunt formaliter in Deo.

Ad fundamentum autem aduerſariorum, ab exemplis deſumptum, & in primis ad exēplum viſionis corporeæ coloris, reſpondemus, videntem colorem, videre quidditatem, & omnes rationis coloris, & relationem dependentię illius à Deo, vt ſunt à parte rei, eo modo, quo viſio corporea poteſt, circa ſuum obiectum verſari; nullam tamen rationem, adhuc qualitatis videre, vt abſtractam, qua ratione eſt communis, ſeu vniuerſalis, nec vt ratione, ſeu intellectu diſtinctam ab alijs; quia ſolùm videt colorem, vt eſt à parte rei, & in colore à parte rei, nulla eſt ratio communis, nec diſtincta ab alijs, quòd etiam contingit videnti Deum; quia videt omnes rationes Dei, vt ſunt à parte rei, & nullam videt, vt vniuerſalem, nec vt ratione diſtinctam ab alia; quia à parte rei in Deo, nulla eſt communis, nec diſtincta ab alia, niſi tres perſonalitates inter ſe, realiter diſtinctæ identificaræ tamen cum eſſentia diuina, & cum attributis: exemplum, ergo viſionis corporeæ coloris, non aduerſatur noſtræ ſententiæ: ſed potius eam confirmat; viſio tamen corporea coloris, quanuis ſit quidditatis coloris, non dicitur quidditatiua; quia

non

non eſt iudicatiua; ſed tantum apprehenſiua.

Et ad exemplum vnionis perſonalitatis verbi, cum humanitate Chriſti fatemur, perſonalitatem verbi perſonare, ſeu terminare humanitatē Chriſti, & ei vniri: Eſſentiam tamē diuinam, quāuis à parte rei, eandem cum perſonalitate non perſonare, ſeu terminare eā humanitatem, nec ei vniri, vt diximus Tract de Incarnat. diſput. 3. diffic. 1. vbi huius reddimus rationem: & perſonalitatem verbi, & etiam Spiritus Sancti produci, & non eſſentiam diuinam, & hanc communicari Filio, & Spiritui Sancto, & non perſonalitatē Patris, quanuis hæc ſit eadem à parte rei cum eſſentia diuina, nō tamē poſſe videri perſonalitatem Patris, nec aliàs nō viſa eſſentia, nec è contra, vt diximus in ea dif. 1. vbi reddimus diſparitatē inter terminationē, qua perſonalitas diuina terminat, ſeu perſonat humanitatē, & inter terminationem qua perſonalitas Verbi, tānquā obiectū viſionis terminat ipſam viſionem, ob quam diſparitatē perſonalitas Verbi poteſt terminare humanitatē, nō termināte illam eſſentia diuina, & non poſsit perſonalitas Verbi videri, ſeu terminare viſionē, non viſa, ſeu non terminante eſſentia diuina.

Diſparitas autem inter vtrāq; iſtam terminationem in eo eſt, quod terminatio, ſeu perſonatio, qua perſonalitas Verbi, re ipſa terminat humanitatē, eſt actus, re ipſa cōueniens entitati diuinæ; ipſi tamen à nobis attribuitur, vt à nobis cōceptæ, vt perſonalitati, & non eidē entitati cōceptæ, vt eſſentię; quia huic, vt ſic cōceptæ tantum cōuenit, & attribuitur eſſentiare: entitas enim diuina cōcepta, vt in ſe eſt, vt cōcipitur à beatis, nō cōcipitur, vt perſonalitas, nec vt eſſētia, ſed alio cōceptu indiuiſibili, ob ſui infinitatē æquialēte duobus cōceptibus obiectiuis perſonalitatis, videlicet, & eſſentiæ, qui fiūt à nobis viatoribus: nec in entitate diuina, vt in ſe eſt, & vt in ſe eſt a nobis cōcepta, reperiūtur dicti duo actus, perſonādi videlicet, & eſſentiādi, ſed vnus tātum indiuiſibilis, ob ſui infinitatē æquialēs actui perſonādi, quem attribuimus entitati diuinę cōceptæ, vt perſonalitati, & actui eſſentiādi, quē attribuimus eidē entitati diuinæ cōceptæ, vt eſſentiæ: vnde quāuis ratio perſonalitatis, & ratio eſſentię cōueniant entitati diuinæ re ipſa, nō tamē abſq; cōceptione noſtra, qua eā entitatē in ſe, indiuiſibilem diuidimus in perſonalitatē, & in eſſentiā: & quāuis eidem entitati actus, ſeu eidē actui, re ipſa cōueniat eſſe perſonare, & eſſe eſſentiare, non tamē abſq; ordine ad noſtrā cōceptionem, qua eundem actum indiuiſibilem diuidimus in actum perſonādi, & in actum eſſentiandi: & ob id quanuis perſonalitas, & eſſentia ſint re ipſa, eadem omnino entitas, etiam ſi perſonalitas, re ipſa perſonet, nō tamen eſſentia, & quanuis eſſentia re ipſa eſſentiet, non tamen

men personalitas; quia actus personandi, tantum cõuenit personalitati re ipsa, vt a nobis cõceptus, vt distinctus ab actu essentiãdi, & eõ uenit ipsi re ipsa, vt a nobis cõceptę, vt personalitati, & nõ cõceptæ, vt essentię. Vnde particula illa *re ipsa*, quãdo dicimus, personalitatẽ re ipsa personare, nõ significatur aliquid reale purũ, excludẽs ordinẽ, ad nostram cõceptionem, qua eandem entitatem diuinã diuidimus in personalitatẽ, & in essentiam, & qua eundem actum diuinũ, diuidimus in actum personandi, & in actum essentiandi, & ob hũc ordinem ad conceptionẽ nostram, quanuis personare conueniat, re ipsa personalitati diuinæ, nõ tamẽ essentiæ diuinæ. Quia verò denominatio, qua personalitas diuina, dicitur videri, nõ est prędicatũ, seu actus ipsi personalitati ratione sui cõueniens, sed est quid purè, & omnino a parte rei, absq; ordine ad cõceptionem nostrã, quãuis tãtum extrinsecè ab alio actu ei conueniens, nempè a visione, siue creata, siue increata. Ideo quòd personalitas possit videri visa, aut non visa essentia, non est desumendum ex infinitate entitatis diuinę sed ex ipsa visione, seu ex natura ipsius. Et quia natura visionis, seu intuitionis talis est, vt idem omnino sit, quo repræsentatur personalitas, & essentia, ideo personalitas nequit videri, non visa essentia, quod etiã latè explicuimus in ea diffi. 1.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm videns Deum ex vi visionis illius videat creaturam aliquam.

DIfficultas hæc non procedit de creaturis, secundùm esse eminentiale, quod habent in Deo, in quo, sunt eminenter; quia cùm hoc esse eminentiale creaturarũ, sit ipse Deus, iuxta illud Ioa. 1. *Quòd factum est, in ipso vita erat*: Qui videt Deum eo ipso videt omnes, seu esse eminentiale omnium earum; sed procedit difficultas de creaturis, secundũ esse proprium earum, quod habent formaliter in se ipsis extra Deum.

Circa difficultatẽ, ergo Caietan. Molin Zum. & Ban. q. 12. art. 8. Sot. Capreol. Ferrar Durand. & Basolis, quos referunt & sequuntur, Suar libr. 2. cap. 25. Arrubal, & Heric disp. 51. cap. 1. Granad. Tract. 6. disp. 1. & Mæratius disp. c. 18. docent, videntem Deum ex vi visionis illius videre creaturas, quod docere videtur S. Thomas art. 8. ex quibus Durandus, Capreolus, & Basolis existimant, videre omnes possibiles, & nullam aliquando existẽtẽ videre, nisi peculiari re-

reuelatione: reliqui verò existimant, videre omnes possibiles, nec omnes aliquando existētes, sed aliquas plures, vel pauciores pro maiori, vel minori perfectione visionis Dei.

Quòd autem ex vi visionis Dei Beatus videat creaturas, docere videtur Augustinus 1. de Ciuitate Dei, cap. 7. & 29. & lib. 63. quæstionum, quæst. 26. & 4. de Genesi ad litteram, cap. 22. vbi Augustinus in Angelis, duas distinguit cognitiones creaturarum: alteram matutinam, qua Angeli in verbo Dei cognoscunt creaturas, & alteram vespertinam, qua eas cognoscunt in ipsarum naturis. Augustin. ergo admittit, videtem Deum visione illius, seu in ipso viso, etiam videre creaturas, quod etiam tradidisse videtur, Bernar. lib. 5. de cõsider ad Eugen.

Et ratione probatur; quia in Deo est virtus productiua, creaturarum possibilium, nempè omnipotentia, & in eo etiam est cognitio creaturarum, etiam aliquando existentium, & complacentia in possibilibus, & etiam in aliquando existentibus: ergo videns Deum, qui eo ipso videt Omnipotentiam Dei, erga creaturas possibiles, & cognitionem & complacentiam, etiam circa aliquando existentes, non potest, non videre creaturas possibiles, & etiam aliquando existentes; quia in omnipotentia, & in cognitione, & in complacentia, circa creaturas est in Deo, respectus realis ad illas, quia eas re ipsa potest producere, & eas re ipsa cognoscit, & in eis re ipsa complacet.

Gabr. verò in 3. dist. 14. quæst. vnica, art. 1. Almainus quæst. 1. ar. 1. Maior quæst. 1. Petrus Aliacensis in 1. q. 12. Ocham in 4. q. 13. art. 2. Vazq. disput. 50. Beccanus cap. 9. quæst. 13. & Alarcon disput. 4. cap. 3. docent, & meritò, Beatum videntem Deum, ex vi visionis ipsius, vt obiecti visi, non posse creaturam aliquam, nec possibilem, nec aliquando existentem videre, quod nos diximus de Anima Christi, Tractat. de Incarnation. disput. 8. difficult. 5. & dicimus de ipso Deo, Tractat. de Scientia Dei, disp. 3. diffic. 2. & fauere videtur Sanct. Thomas q. 57. ar. 5. quanuis q. 12. ar. 8. fauere videatur aduersarijs.

Ratio, qua maximè cogimur, ad amplectendam hanc sententiam est; quia in nullo prædicato Dei, adhuc in Omnipotentia Dei, nec in cognitione diuina, nec in complacentia diuina circa creaturas, est respectus, seu ordo realis ad creaturas, nec possibiles, nec aliquando existentes, nec connexio aliqua realis cum illis: Ergo ex eo quod beatus videat Deum, vt est in se, nequit ex visione Dei, vt obiecti duci, & excitari ad cognitionem creaturarum, non solum ad claram, seu intuitiuam earum, sed nec ad abstractiuam. Consequē-

tia

tia probatur; quia ex re viſa nequit, quis excitari ad cognitionem alí quam alterius, quã nec in ſe habet, ſeu continet formaliter, qualiter Deus non habet, ſeu continet creaturas, vt patet, & quam nullatenus re ipſa reſpicit, vt etiam patet: Antecedens autem, nempè Deũ re ipſa, nullam reſpicere creaturam adhuc poſsibilem, ſed eſſe omnino abſolutum à reſpectu reali ad ipſas, probatur; quia Deus eſt ens magis neceſſarium, & magis indefectibile, & magis firmum, quã creaturæ etiam poſsibiles, vt patet; quia quanuis nulla eſſet creatura etiam poſsibilis; Deus tamen verè eſſet, ſeu exiſteret ergo in ipſo nequit eſſe ordo realis ad illas; quia talis ordo, qui in Deo eſſet, ipſe Deus deficeret, ſi nõ eſſent creaturæ, ad quas eſſet ordo, ſeu reſpectus realis, Deus ergo abſq; ordine reali ad creaturas abſolutè, & quãtum eſt ex ſe, eſt factiuus, & cognoſcitiuus, & affectiuus creaturarũ, & etiam eſſet talis, quanuis nulla eſſet creatura, adhuc poſsibilis, ſicut etiam abſolutè, & quantum eſt ex ſe, eſt abſolutè viſiuus creaturarum aliquando exiſtentium, quanuis nulla eſſet futura exiſtens, ſicut potuit non eſſe futura exiſtens. Ex quo patet ad rationem aduerſariorum.

Auguſtinus autem, vbi ſupra ab aduerſarijs adductus, vbi admittit, Angelos beatos cognoſcere creaturas in Verbo, & in ipſarũ naturis, vt aduertunt Vazq. diſp. 51. c. 3. Alar. c. 5. & Beecan. vbi ſupra: nomine cognitionis creaturarum in Verbo (quàm appellat matutinam) intelligit, non cognitionem earum ſecundum proprium eſſe habitam ex vi viſionis Verbi, vt obiecti, ſed cognitionem ipſius eſſe eminentis, & increati earum, quàm habent in Deo, & eſt ipſe Deus: & nomine cognitionis earũ in ipſarũ naturis (quã appellat veſpertinam) intelligit cognitionem, earũ ſecũdũ proprium eſſe, & creatũ earum, & non habitam ex vi viſionis Dei, ſed reuelatione peculiari, media ſpecie impreſſa earum: prędicta autem viſio creaturarum in Verbo, dicitur matutina, quia eſt perfectior, & clarior; cognitio autẽ earum, in ſe ipſis dicitur veſpertina; quia eſt minus perfecta, & minus clara, ſicut in mane eſt maior lux, & maior claritas, quàm in veſpere. Et eodem modo exponendus eſt Bernardus, vt eum exponit Vazquez.

DIFFICVLTAS XVII.

Quas creaturas videant beati videntes Deum.

DIfficultas hæc locũ habet, non ſolum in ſententia aſſerentiũ creaturas videri à beatis ex vi viſionis Dei, vt obiecti ducẽtis in viſionem earum, ſed etiam in noſtra ſententia, qui dicimus, nullã creaturam, adhuc poſsibilem videri ex vi viſionis Dei, vt obiecti modo dicto, quæ quãuis non videantur ex vi viſionis Dei, vt obiecti; poſſũt tamẽ dici, videri à beatis in Verbo: ideſt, Verbo reuelante; quia quãuis earum reuelatio fiat à tota Trinitate, attribuitur tamen Verbo; quia quæ ad cognitionem pertinent, attribuũtur Verbo: quia per cognitionem fuit à Patre productum, ſicut quæ pertinent ad amorem attribuuntur Spiritui Sancto; quia fuit à Patre, & à Filio per amorem productus.

Circa creaturas, ergo purè poſsibiles, ſeu nunquam exiſtentes, contra Duran in 4. d. 49. q. 3. exiſtimantem, quẽlibet beatum videre omnes creaturas purè poſsibiles, & contra Maior. in 3. d. 14. exiſtimantem animam Chriſti eas omnes videre, conueniũt cõmuniter Theologi, nullum beatum adhuc animã Chriſti, cognoſcere omnes creaturas purè poſsibiles, & meritò; quia non ex vi viſionis Dei, vt obiecti; quia vt iam diximus, beati nullam ſic vident, nec videre poſſunt, nec cognitione propria earum, ſeu in ipſismet; quia ad cognitionẽ multitudinis, tam infinities infinitæ, nullum eſt ſufficiens fundamentum: quia nec titulus ſtatus beatifici, adhuc animæ Chriſti, nec aliquis alius id expoſcit.

Negandum tamen non eſt, beatos cognoſcere aliquas ſaltem earum, quæ erant poſsibiles à cauſis creatis, aliquãdo exiſtentibus pertinentibus ad ſtatum ipſorum.

Circa numerum verò rerum purè poſsibilium, quas beati cognoſcunt, nihil poteſt diffiniri, quia nullum adeſt fundamentum ad hoc, animam autem Chriſti, quamuis non cognoſcat omnes, vt diximus Tract. de Incarn. diſp. 8. difficul. 5. cognoſcere tamen infinitas, & infinitas in actu ſpecies, & indiuidu diximus difficult. ſeptim. & 8.

Circa creaturas verò, aliquando exiſtentes conueniunt cõmuniter Theologi, beatos in Verbo modo prædicto videre myſteria quæ in via à fidelibus credũtur, non ſolũ myſterium Trinitatis, quòd viſione ipſa beatifica vidẽt, de quo myſterio loquitur Paul. 1. ad Cor. 13.

dum

dum ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: sed etiam mysteriũ incarnationis, & resurrectionis, & Eucharistiæ, & reliqua pertinentia ad Christum, & ad Beatiss. Virginem, & quæcunq; alia, quæ in hac vita à fidelibus creduntur, etiam quæ ipsi actũ non crediderunt.

Excipimus diem iudicij; quia hunc nullus scit iuxta illud Marci 13 de die illo, & hora nemo scit, nec Angelus in cœlo: illis autem verbis immediatè sequentibus: *Nec filius hominis*, tantùm significatur, animam Christi illum non sciuisse, ad dicendum alijs; non verò illum absolutè ignorasse, vt diximus disput. illa 8. difficul. 6.

Vident autem beati dicta mysteria, etiam in indiuiduo; quia horum visio congruentior est, quàm eorum in communi; nullum tamen est fundamentum, adhuc congruentiæ ad affirmandum, beatos videre omnia indiuidua, v.g. omnia Sacramenta Eucharistiæ in indiuiduo.

Circa reliquas verò creaturas aliquando existentes, conueniunt S. Thom. 1. p. q. 10. ar. 2. Suar. cap. 28. Beccan. cap. 9. q. 13. Merat. disp. 21. Alarcon disp. 4. cap. 4. & communiter Theologi, quemlibet beatum in Verbo videre creaturas, ad suum statum pertinentes, tam supernaturales quàm naturales, & tam liberas, quàm necessarias: quia est valdè consonum, & congruum, vt beato nihil sit ignotum eorum, quæ ad suum statum pertinent, & non solum videre, quæ pertinent ad statum ipsum beatitudinis, vt in eo statu prudẽtissimè procedant, & operentur, sed etiam, quæ pertinent ad statum, quem in via habuerũt, v. g. fundatorem alicuius religionis videre in Verbo, quæ in sua religione fuerunt, & tempore suæ mortis aderãt, & quę postea suæ religioni aduenient, & Regem, quæ in suo regno fuerunt, & quę erant tempore suæ mortis, & quæ postea aduenient, & Patrem familias, quæ ad suam familiam pertinuerũt, & quę tẽpore suæ mortis pertinebant, & quæ postea pertinebũt, & quẽlibet beatum orationes, quæ ad ipsum funduntur a viatoribus, vt possit curam eorum suscipere.

Et beati non solum vident creaturas, aliquando existentes ad suum statum pertinentes, sed etiam totam machinam vniuersi, quo ad species, & etiam quo ad aliqua indiuidua cuiuslibet speciei, in quo etiam Theologi cõmuniter conueniunt; quia id est maximè consentaneum appetitui rationali beati; non verò quo ad omnia indiuidua, vt nonnulli falsò existimant; quia omnium eorum visio nõ adeo rationabiliter desideratur.

Animam autem Christi cognouisse, omnia aliquãdo existẽtia etiã

diem iudicij diximus in ea diffi.6.disp. 8.& Beatissimam Virginem videre omnia, quæ ad omnium statum pertinent, admittendum est, vt aduertunt Granadus Tract.6.disp.1.section.9.& Alarcon disp.4. c.4.quia ea omnia etiam pertinent ad suum statum, cum sit mater omnium.

Omnia autem prædicta vident beati in Verbo, non formaliter ex vi visionis Verbi, sed visione habita, per speciem impressam, à Deo ipsis infussam intuitu visionis ipsius Dei; ea autem vident non semper; quia aliquando ab ea visione liberè desistunt, & quæ post mortẽ ipsorum eueniunt, non vident à primo instanti beatitudinis ipsorũ; quia ad id nullum vrget fundamentum, sed à tempore, vel instanti, in quo eueniunt, & tunc ipsis à Deo infunduntur species eorum, & non antea.

Et quia ad statũ alicuius minus, beati aliquando pertinẽt plura, quã ad statum magis beati, ideo minus beatus aliquando videt plura, quã magis beatus, quamuis hìc perfectiore visionẽ, iuxta perfectiorẽ visionem Dei, intuitu cuius visionis eis tribuitur prædictorum visio.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm visio, qua beatus videt Deum possit esse ita perfecta, vt sit comprehensiua ipsius Dei.

DIfficultas hæc non procedit de comprehẽsione rei, sumpta comprehensione protentione, seu adeptione illius; quia comprehensione sic sumpta, quilibet beatus comprehẽdit Deũ, quia quilibet tenet, seu adipiscitur Deum visione ipsius, quod est de fide, iuxta illud 1.ad Corin.9 *Sic currite, vt comprehendatis*; sed procedit de cõprehensione rei, sumpta pro intellectione penetratiua rei intellectæ.

Cõueniunt Theologi, Deũ à nulla creatura, adhuc ab anima Christi posse visione ipsius, nec penetratiuè comprehendi: intelligunt autẽ adhuc de potentia Dei absoluta, quod de anima Christi dixim. Tract de Incarn disp.8.dif.4.

Sed quamuis in eo conueniant Theologi, variant tamen in explicatione, seu acceptione comprehensionis, qua Deus se ipsum penetratiuè comprehendit, & qua nequit à creatura, adhuc de potentia Dei absoluta, sic comprehendi.

Et in primis si comprehẽsio Dei sumatur pro visione Dei, qua ita videtur, vt nihil eorũ, quæ sunt formaliter in ipso lateat videntẽ, vt sumitur ab Aug. Ep.112.c.8.non solũ Deus se comprehendit, quod est

eſt certiſsimum, ſed etiam quicũq; beatus eum comprehẽdit, quãuis nõ ſolis viribus naturæ, ſed ſupernaturali lumine illuſtratus; quia videns Deũ, prout eſt in ſe, nequit nõ videre omnia, quæ ſunt formaliter, & intrinſicè in ipſo, ob ſummam Dei ſimplicitatem, vt diximus dif. 15. Vndè quanuis Deus ſit ſic incõprehenſibilis à beato viribus naturæ; non tamen ſupernaturaliter illuſtrato.

Si verò comprehenſio Dei ſumatur vt ab aliquibus ſumitur, proviſione omniũ, quæ ſunt in Deo, non ſolũ formaliter, qualiter in Deo ſunt eſſentia, attributa, & perſonalitates: ſed etiã omnium, quæ ſũt in Deo eminenter, qualiter in eo ſunt, omnes creaturæ poſsibiles, & aliquãdo exiſtentes, exiſtimamus, cõprehẽſione ſic ſumpta, non ſolũ Deum ſe ipſum comprehẽdere, quod eſt certiſsimum, ſed etiã poſſe ſic à beatis de potentia Dei abſoluta comprehendi; quia nõ ſolũ lumine gloriæ illuſtrati vidẽt omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, ſed etiã de potentia Dei abſoluta, poſſunt videre omnia, quæ ſunt eminẽter in Deo, ſpeciebus impreſsis proprijs omniũ eorũ à Deo infuſis, vt dicimus tract. de Incar. diſp. 8. diſp. 8. dif. 5. quia in harum infuſione, nulla apparet repugnantia.

At ſi ad rationem comprehẽſionis ſic ſumptæ, requiratur, vt aliqui falsò exiſtimant, quòd creaturæ in Deo, eminenter cõtentæ videantur ex vi viſionis Dei, vt obiecti ducentis ad viſionem earum, Deus non ſolùm non poſſet comprehendi, ab intellectu creato: quia nulla creatura poteſt, ab intellectu creato videri, ex vi viſionis Dei, vt diximus dif. 2. ſed nec Deus poſſet à ſe ipſo comprehendi; quia impoſsibile eſt, quòd Deus ex vi viſionis ſui videat creaturam aliquam, vt diximus dif. 16. & tract. de ſcientia Dei, diſp. 3. dif. 2.

Id verò, quòd Vazq. ait diſp. 13. c. 4. nempè, Deum ſe ipſum comprehendere, quanuis nullam creaturam, videat ex vi viſionis ſui, vt obiecti, quaſi ducẽtis ipſum ad cognitionem earum; quia vi eiuſdẽ viſionis indiuiſibilis, qua ſe ipſum videt, & omnia, quæ ſunt formaliter in ipſo, etiam videt omnes creaturas ad ſe ipſum pertinẽtes: nobis non probatur; quia ſi creaturæ non videntur à Deo, ex vi viſionis ipſius obiecti, quaſi ducentis ipſum ad viſionem creaturarum, vt verè non videt iuxta ſententiam ipſius Vazq. quanuis ipſe Deus, & creaturæ videantur vi eiuſdem viſionis indiuiſibilis, Deus non magis penetratur intrinſicè, ſeu in ſe ipſo, quàm ſi creaturæ non videãtur; quia creaturæ nõ pertinent intrinſicè ad Deũ, ſed tantũ extrinſecè, videlicet tanquam quid extrinſecũ, ſeu effectus ipſius: ergo ex eo, quòd creaturæ videãtur, quãuis eadem indiuiſibili viſione, qua Deus ipſe, nõ magis penetratur ipſe, vt eſt in ſe, quã ſi non videãtur: & ob id ad comprehẽſionem Dei, vel nõ eſt neceſſariũ videre creatu-

turas, vt nos existimamus, vel si ad id est necessarium, vt non pauci existimant, necessarium est quòd videantur ex vi visionis ipsius, vt obiecti; quia aliter non magis penetrabitur Deus, vt est in se, secundum suam substantiam.

At ratione ergo comprehensionis penetratiuę Dei strictè sumptę qua Theologi aiũt, Deum non posse à creatura comprehẽdi, adhuc de potẽtia Dei absoluta; cõprehẽdi tamẽ à se ipso, nõ est necessariũ videre creaturas eminẽter in Deo cõtentas; quia in primis nõ est necessariũ eas videre ex vi visionis Dei, vt obiecti; quia Deus se ipsum comprehẽdit, & tamen est impossibile eas sic videri, vt diximus, nec est necessariũ, imo nec sufficiẽs, eas videre vt ipsius visionis indiuisibilis, nec aliter, quàm ex vi visionis Dei, vt obiecti; quia visio earum aliter quã ex vi visionis Dei, vt obiecti, nequit cõducere ad maiorẽ, seu pleniorem, & magis penetratiuam visionem Dei, vt est in se, seu secundum suam substantiam, ob rationem dictam.

Ex eo ergo Deus nequit, ab intellectu creato eũ vidente comprehẽdi strictè, adhuc de potentia Dei absoluta, & ex eo à se ipso strictè cõprehẽditur; quia scilicet, vt ait S. T. q. 12. ar. 7. & nõ pauci Theologi, quãuis intellectus creatus totũ Deum, vt in se est, seu omnia, quæ in ipso sunt formaliter, & intrinsicè videat, nõ tamẽ adæquatè: quia nõ videt Deum modo proportionato, seu adæquato visibilitati Dei, seu quem exposcit visibilitas Dei. A se ipso autem non solũ videtur totus, sed etiam modo adæquato suę visibilitati; quia modus visionis proportionatus, & adæquatus, seu visio proportionata, & adæquata visibilitati Dei, est visio substantialiter infinita; quia tali visione Deus se ipsum videt, & ea visio nõ excedit visibilitatẽ Dei, seu non est maior visione, quã exigit visibilitas Dei; quia Deus nõ se videt ex cessiuè, seu visione excedente visibilitatem sui, & tali visione, nẽpè substantialiter infinita, nequit ab intellectu creato videri, adhuc de potẽtia Dei absoluta, vt patet; sed tantùm visione accidẽtali, quãuis hæc de potentia Dei absoluta, possit esse infinita, & ob hanc dictam rationem, tract. de Incar. disp. 8. dif. 4. diximus, animam Christi non posse Deum strictè comprehendere.

Ad comprehẽsionem autem substantiæ creatæ, non requiritur visio substãtialis; sed sufficit accidẽtalis; quia visibilitas substãtiæ creatæ non exposcit visionem substantialem, sed tantũ accidentalem; quia substãtia creata, nec per se ipsam, nec per speciẽ sui, mouet ad visionem substantialem, sed tantũ accidentalem: quòd si Deũ quasi mouet obiectiuè ad visionem substantialem, nõ est ratione sui, vt patet, sed tantùm quasi comitanter ex eo scilicet, quod Deus, quem quasi mouet, non videt, nec videre potest, nisi visione substantiali, &

in-

infinita & etiam ipsum accidēs, & non quia substantia creata ratione sui, ad eam moueat, & eam exigat.

Sed quanuis ita verum sit, Deum à nulla creatura, adhuc ab anima Christi posse strictè comprehendi, vt oppositum sit temeratiū; quia est contra omnes Theologos, & absq; vrgenti fundamento nō tamen est de fide, vt contra Scotū in 4. d. 49. q. 3. ar. 1. & contra Suar. cap. 5. & contra Granadum disp. 13. sect. 2. aduertunt Vazq. disp. 52. & Alarcon disp. 4. c. 6. & indicat Meratius disp. 20. sect. 2. & nos diximus in ea diffi. 4. quia quanuis in scriptura, & in Concil. Lateran. sub Innoc. III. in decreto de Fide, cap. 1. & 2. Deus dicatur incomprehensibilis à creatura, quod refertur in cap *firmiter* de Sum. Trinitate, & fide Catholica; explicari tamen potest ex viribus naturæ, & hoc modo, ex viribus naturæ de fide est, Deum esse incomprehensibilem, & inuisibilem à creatura; non tamen est de fide, esse incomprehensibilem de potentia Dei absoluta, quanuis nequeat absq; temeritate negari ob rationem dictam.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De potentia Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Deo sit potentia.

COnueniunt Catholici contra Vorstium Caluinistam, in Deo nō esse re ipsa potentiam passiuam, quia nihil potest re ipsa recipere; quia si aliquid maximè perfectionem, aliquam ipsi re ipsa superadditam, Deo autem, vt potè omnino, & infinitè simpliciter perfecto, nihil adhuc perfectionis potest re ipsa superaddi, quòd recipere possit; Verbum autem diuinum, seu vnigenitus, Ioan. 1. dicitur esse in sinu Patris, non quia sit in Patre receptus; quia Verbum, vt potè substantia, & omnino perfecta nequit in aliquo recipi, sed quia est productus à Patre eiusdem essentiæ, seu naturæ cum ipso, & ob id etiam dicitur productus ad intra à Patre.

Est ergo difficultas, an in Deo sit potentia actiua, seu productiua alicuius, & non procedit de potentia productiua ad intra; quia in Deo non esse, re ipsa intellectum essentialem productiuum intellectionis essentialis communis tribus personis, dicimus

Tract. de Scientia Dei, disp. 1. dif. 4. & non esse re ipsa volũtatẽ essen tialem productiuam volitionis essentialis communis tribus personis, dicimus Tract. de volunt. Dei, disp. 1. diff. 1. esse tamen in Patre re ipsa intellectum notionalem actiuum sibi proprium, & in Patre, & in Filio, voluntatem notionalem actiuam ipsis propriã, dicimus Tract de Trinit. disp. 1. dif. 8.

Supereſt ergo difficultas, an in Deo sit re ipsa potẽtia actiua ad extra, id est, ad producendas creaturas, quæ sunt extra ipsum, seu diuersæ naturæ ab ipso.

Circa quam, certum est de fide in Deo esse, re ipsa potentiã actiuã ad extra, seu ad producendas creaturas, 1. Paral. 29. *In manu tua virtus & potentia.* Iob 13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potẽtiam tuam?* Psal. 79. *Excita potentiam tuam & veni.*

Et id cõstat ratione à posteriori; quia Deus re ipsa produxit omnes creaturas: ergo in eo re ipsa est potentia actiua, seu principiũ actiuũ, quo eas produxit: quòd verò hæc potentia nõ distinguatur re ipsa à Deo, nõ obstat vt sit re ipsa potẽtia; quia adhoc sufficit, quòd distinguatur re ipsa à creaturis, quarũ est principiũ actiuũ, seu potẽtia actiua.

DIFFICVLTAS II.

In quo sita sit formaliter potentia actiua Dei.

DIfficultas hæc procedit, siue essentia, & attributa re ipsa distinguãtur, vt placet Scotistis, siue tãtũ ratione, vt nobis placet, in quo videlicet, ex his formaliter cõsistat potẽtia actiua, seu executiua Dei

Aureol in 1. dubit. 42. art. 2. & Suar. lib. 1. cap. 9. docent, dictam potentiam sitam esse formaliter in essentia diuina, vt est essentia.

Duran. in 1. d. 38. q. 1. & Zum. q. 25. ar. 1. q. vni. docent, potentiam actiuam Dei esse attributum, quoddam rationem distinctum ab intellectu, & à voluntate, sicut in nobis potentia actiua, seu executiua, v. g potentia loco motiua, est realiter distincta, ab intellectu, & à voluntate.

Vazq disp. 102. docet, potentiam actiuam, seu executiuam Dei, sitam esse in facultate voluntatis Dei, & in actu scientiæ rerum factibilium.

Molin. verò, quæst. 25 ar. 1. disp. 2 & Becan. cap. 17. quæst. 2. docent, & meritò, potentiam executiuam Dei, respectu creaturarum, de qua procedit difficultas, sitam esse formaliter in sola voluntate Dei, & non sump. a pro ipsa facultate voluntatis (etiã si hęc

ad-

admittatur in Deo) sed pro decreto, seu actu efficaci ipsius, quod videtur docuisse, Scotus in 1. dist. 37. quæst. 1. ratio huius nostræ sententiæ est, quia decretum efficax Dei efficiendi creaturas, est immediatè circa creaturas, & est efficax, & nullo fundamento potest affirmari formaliter non esse efficax physicè, imò esse sic efficax suadet, quòd in suo genere sit infinitè perfectum, ac proinde quòd nō egeat potentia physicè executiua ab ipso formaliter distincta.

Quod verò in creaturis decretum efficax nostræ voluntatis distinguatur, & realiter à nostra potentia executiua, v. g. loco motiua, & attributa diuina distinguantur ratione inter se, & ab essentia, quia concipiuntur instar rerum creatarum, non obstat, vt decretum efficax Dei non distinguatur ratione à sua potentia executiua, quia non semper distinguimus attributa, & essentiam concipiendo illa instar rerum creatarum, nempè quando id fieri nequit, nisi Deo, attribuendo defectum aliquem perfectionis, & quia in casu præsenti id non potest fieri, nisi attribuendo decreto Dei defectum dictæ perfectionis, nempè defectum efficacitatis physicæ, ideò in Deo nō sunt distinguenda ratione decretum efficax Dei, & potentia executiua ipsius, quanuis in creaturis realiter distinguantur.

Et quòd potentia actiua, seu executiua, diuina creaturarum non possit, nec potuerit Deo deficere, non obstat, vt decretum efficax Dei non sit formaliter potentia actiua; quia etiam decretum efficax Dei, nec potest, nec potuit deficere Deo, quia decretum efficax Dei, est ipse Deus, qui non potest, nec potuit deficere.

Pro huius intelligentia, obseruandum est, iuxta ea quæ dicimus tract de voluntate Dei, disp. 2. diffic. 2. decretum Dei intrinsicè, & in se ipso esse re ipsa absolutum ab omni respectu reali ad obiectum, seu ad creaturas, quia Deus intrinsicè tantum est absolutè decernēs, nullam creaturam decernens, seu respiciens quod Deo necessario conuenit, & eo decreto, vt sic nihil fieret physicè, nisi pro libertate Dei applicaretur, seu terminaretur ad creaturas, quas Deus medio ipso decreto absoluto vult producere, ex quo nihil intrinsecum accrescit dicto decreto, sed tantùm respectus quidam extrinsecus, seu rationis ad creaturas, quas Deus medio illo vult efficere; in hoc ergo decreto efficaci Dei absoluto ab omni respectu reali cōsistit potentia actiua, seu executiua Dei, qua physicè possit efficere creaturas, & eas efficit pro libertate ipsius, ea proportione qua facultas nostræ voluntatis est physicè potens elicere volitionem, & eam elicit pro sua libertate, applicando se ad id absque aliquo alio prævio

Actus autem scientiæ rerum factibilium, & modi eas efficiendi, qui in Deo prærequiritur ad efficiendas creaturas, nō attingit crea-

tu-

turas immediatè, sed medio dicto decreto, ac proinde, actus iste scientiæ Dei non intrat formaliter rationem potentiæ actiuæ Dei, sed solum ipsum decretum; quia potentia actiua, seu executiua, cuiuscumque obiecti, sita est in principio immediato physicè influente in obiectum, seu effectum.

Vnde personalitates diuinæ, non intrant formaliter ratione potentiæ actiuæ Dei ad extra, nec per se requiruntur ad producendas creaturas, quia decretū Dei, quo existimamus immediatè effici physicè creaturas, non oritur nostro modo intelligendi ex personalitatibus, sed tantū ex natura, seu essentia Dei, aut ex facultate volūtatis ipsius, si hæc re ipsa reperitur in Deo; quia generaliter quæcūque actio, seu operatio in creaturis, & in diuinis, immediatè oritur ex natura, seu essentia, aut ex facultate, ipsius naturæ, seu essentiæ orta immediatè ex natura, vt dicimus tract. de Incarn. disp. 1. diffic. 16.

Actum verò imperij intellectus, qui ab aliquibus post decretum efficax admittitur, non reperiri in creaturis, diximus tract. de actibus humanis, disput. 4. difficul. 17. & in Deo non reperiri firmius existimamus, quia decretum efficax Dei, vtpote perfectissimè, & sufficientissimè efficax, non eget eo imperio intellectus ad effectionem creaturarum, & multo minus, quam decretum efficax voluntatis creatæ, quia est eo infinitè perfectius, & efficatius.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm potentia actiua Dei, sit infinita.

COnueniunt Catholici contra Vorstium, potentiam actiuam Dei esse infinitam; quia proportionatur essentiæ diuinæ infinitæ, ex qua, quasi ex radice oritur, vel ex natura rei, iuxta opinionem asserētium essentiam, & attributa distingui ex natura rei, vel oritur nostro modo concipiendi iuxta nostram sententiam, secundum quam dicimus essentiam, & attributa Dei, tantum distingui ratione ratiocinata.

Est ergo potentia actiua Dei infinitè perfecta, seu est infinita entitatiuè, seu intrinsicè, cum sit proportionata essentiæ Diuinæ, quæ est infinitè perfecta, seu entitatiuè, seu intrinsicè infinita.

Sed quanuis potentia actiua Dei sit entitatiuè infinita, non fit quòd possit efficere effectum infinitum entitatiuè, non ex defectu ipsius potētiæ, sed ex impossibilitate effectus entitatiuè infiniti quia talis effectus est impossibilis, quia talis effectus sic infinitus esset Deus,

Deus, & Deus fieri non potest, vnde potentia actiua Dei, quanuis sit infinita entitatiuè, eu intrinsicè; non tamen est infinitè obiectiuè simpliciter, quia nequit efficere effectum simpliciter infinitum; quia tamen Deus potest efficere effectum creatum infinitum in actu, tam secundùm magnitudinem, quàm secundùm multitudinem, & non tãtum individuorum, sed etiam specierum, vt dicimus tract. de Incarn. disp. 8. diffic. 8. & lib. 3. physic. cap. 4. quæst. vnica, quia in eo nulla reperitur repugnãtia nec ostendi potest: ideò potentia actiua Dei, est obiectiuè infinita, non simpliciter, sed tantùm secundum quid; quia non est infinitas ad aliquid increatum sed tantũ ad creatum, & tantum quo ad magnitudinem aut quo ad multitudinem.

Et non solum potentia Dei est infinita quoad obiectum modo dicto: sed etiam est infinita quoad modum; tum, quia est potens producere, & producit creaturas ex nihilo, quòd nulla res creata potest, sed tantum increata; tum etiam, quia producit creaturas independenter ab alio, quę non respiciant essentialiter aliud, qualiter respiciunt actiones vitales, vt cognitio & appetitio, quæ respiciunt essentialiter viuens, vt principium, quòd nulla res creata potest, sed tantum res increata.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm in Deo sit omnipotentia.

COnueniunt Catholici, Deum esse omnipotentem, quòd expressum est in symbolo Fidei: *Credo in vnũ Deũ, Patrem omnipotentem*, & in symbolo Athanasij: *Omnipotens Pater, omnipotens filius, omnipotens Spiritus sanctus*; & Genes. 17. *Ego Deus omnipotens*, & Exod. 15. *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.*

Et ratione constat, quia Deus potest omnia quæ fieri possunt, seu quæ non repugnant, seu non implicant contradictionem fieri: ergo est ens omnipotens, vtpotè potens omnia, quæ fieri possunt; consequentia patet, antecedens constat Matth. 19. *Apud Dominum omnia possibilia sunt*, & Lucæ 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*: & ratione constat, quia potentia actiua Dei est infinita: ergo potest absque limite, seu fine, omne, quòd fieri potest; ergo est omnipotens.

Id, autẽ dicitur repugnare, seu implicare contradictionem, vel quòd in se ipso inuoluit esse, & non esse, quæ sunt termini contradictorij v. g. hominẽ esse irrationalem; quia id in se ipso inuoluit esse hominẽ, vt patet, & non esse hominẽ, quia quòd est irrationale,

non

non est homo, vel quod implicat contradictionem ipsi Deo, seu respectu Dei, v.g. Deum mentiri, quia hoc inuoluit esse Deum, vt patet, & etiam non esse Deum, quia aliquem mentiri supponit non esse Deum.

Creaturæ autem sunt possibiles, non à Deo, quia Deus nullatenus concurrit ad earum possibilitatem, sed sunt possibiles ex se ipsis, quia ex se ipsis habent quòd non inuoluant negationem sui esse.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Deus possit efficere quòd præterita non fuerint.

CIrca hanc difficultatem in re conuenire videntur Theologi, nempè præteritum, seu id quod fuit, in sensu composito, seu ex suppositione quod fuit, non posse fieri à Deo, quòd non fuerit, quia fuisse & non fuisse, sunt contradictoria, seu implicant contradictionem, quòd est impossibile fieri: & eadem proportione, quòd est præsens ex suppositione, quòd sit præsens, non posse fieri à Deo, quòd non sit præsens in ea duratione, in qua est præsens, etiam si possit à Deo fieri, quòd non perseueret præsens: & quòd est futurum ex suppositione, quòd sit futurum non posse fieri à Deo, quòd non sit futurū, quia implicat contradictionem, id quod est præsens, non esse præsens, & quod est futurum, non esse futurum: in sensu verò diuiso, seu absoluto Deum potuisse efficere quod id, quod est præsens, non esset præsens, & quòd id, quòd est futurū, non esset futurum; imò & potuit efficere quod id, quod fuit præteritum non fuisset præteritum; Deus enim optimè potuit, quòd non fuisset Christus Dominus, de quo legi possunt, Vazquez disput. 105. Suarez lib 3. cap. 9. Granad. disput. 8. & Beccanus cap. 17. quæst. 5.

Quod si obijcias, Deus non est minus potens, nunc quam fuit ab æterno, sed ab æterno potuit efficere, quòd nō fuisset, quòd fuit v. g. quòd non esset Adam: ergo & nunc poterit efficere, quod non fuerit: respondemus concedendo, Deum non esse minus potentē nunc quam fuit ab æterno, nihilominus nunc non posse efficere, quod nō fuerit, quod iam fuit, non defectu potentiæ Dei, sed defectu ipsius obiecti, quia iam factum, est impossibile, seu implicans contradictionem, quòd non fuerit, quia verè fuit, & ante non erat impossibile, quia anteà non fuit.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Deus posſit efficere plura quàm fecit, & facturus eſt.

SVpponimus, duplicem diſtingui à Theologis potentiam in Deo, aliam ordinariam, & aliam abſolutam; potentia ordinaria dicitur, qua Deus ſecundum communes leges, & modo ordinario aliquid facit, quæ ob id dicitur ordinaria, & dicitur ordinata, quando ea efficit, quod decreuit efficere: potentia verò abſoluta dicitur, qua Deus poteſt operari quidquid non implicat contradictionem, etiam ſi id non decreuerit decreto applicato ad id efficiendũ, nec ut conforme communi, & ordinario modo operandi Dei, vt morientem in peccato mortali liberare ab inferno.

Hoc ſuppoſito, conueniunt primò Theologi, Deum, nec ſua potentia ordinaria, nec ordinata poſſe facere aliud quàm quòd fecit, aut facturus eſt; quia nihil facit, niſi quòd ſuo decreto decreuit facere, & id non decreuit, quia erat contra ſuam legem ordinariam.

Conueniunt ſecundo Catholici, Deum ſua potentia abſoluta potuiſſe & poſſe facere alia plura, & diuerſa quàm fecit, & facit, & facturus eſt, quod ſatis ſignificatur in ſcriptura, Matth. 3 & Luc. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, & tamen non ſuſcitauit, & Matth 26. *Potuiſſet Deus exhibere Chriſto duodecim legiones Angelorum* quas nõ exhibuit, & Marci 14. *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, tranſfer calicem hunc à me*, quem non tranſtulit.

Et ratione conſtat, quia præterea quæ Deus fecit, & facit, & facturus eſt, ſunt alia multa poſsibilia, vt ex ſe patet, & conſtat ex dictis teſtimonijs. ergo præter ea quę facta ſunt, & fiunt, & fiẽt, etiam ſunt alia multa; quæ poſſunt à Deo fieri.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Deus posſit facere meliora eis quæ fecit.

SVpponimus, ipſa quæ fiunt à Deo non poſſe fieri meliora eſſentialiter, quia eſſentia cuiuſcumque rei conſiſtit in indiuiſibili, ac proinde nequit eſſentialiter creſcere, ſeu fieri melior: bene tamen poſſe fieri meliora accidentaliter communicando eis meliora accidentia.

Eſt tamen difficultas; an Deus poſsit facere alias res meliores, eis quas fecit.

Cir-

Circa quam certum est Deum aliqua fecisse, quibus in suo genere non possunt fieri meliora, quia vniuit humanitatem Christi, per sonæ filij, qua nulla alia est melior; & beatam Mariam fecit Matrem Dei quo nequit esse melior filius; & visio beatifica est circa Deū quo nequit esse nobilior obiectū, & est circa illū, vt est in se, quo esse nequit melior modus versandi circa Deum: potuit tamē prædicta intra suū genus meliora efficere, quia potuit efficere humanitatem accidentaliter physicè meliorem, seu perfectiorem, & vnionem hypostaticā physicè perfectiorem; & potuit beatam Virginem per efficere, accidentaliter physicè perfectiorem, & Sanctiorem: & etiam visionem beatificam, perfectiorem saltem intensiuè.

Posse autem Deum efficere plures creaturas, non solū indiuidualiter perfectiores: sed etiam essentialiter, seu specifice, creaturis productis, docet Vazq. disp. 106. & 107. & nos dicimus tract. de Incarn. disp. 8 diffic. 8. quia Deus potest non solum indiuidua indiuidualiter perfectiora, & perfectiora sine fine producere; sed etiam species perfectiores, & perfectiores specificè sine fine producere, quia quacumque specie producta potest aliam, & aliam perfectiorē sine fine producere, quia quæcumque producta est finitæ perfectionis, non attingens perfectionem Dei; ergo potest aliam, & aliam perfectiorem illa sine fine, seu sine vltima perfectissima omnium producere, quia eius potentia est omnino infinita: ergo infrà se ipsum, quē non potest efficere, potest perfectiorem, & perfectiorē sine vltima producere.

Si ergo Deus potest creaturas indiuidualiter, & specificè perfectiores, & perfectiores sine fine producere, Deus potest absq; dubio efficere creaturas indiuidualiter, & specificè perfectiores, & meliores eis, quas produxit, cū non produxerit creaturas optimas omniū, quia nulla potest produci maxima & suprema, vt dicimus in ea diffic. 8.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De distinctione attributorum.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm attributa inter se, & ab essentia distinguantur ante operationem intellectus.

CONueniunt Theologi contra Gualterū, attributa non distingui realiter inter se, nec ab essentia, distinctione reali adæquata, qualis est inter res plenè, seu adæquatè distinctas, quòd plures PP. significant,

ficant, quos referunt Suar. lib. 1. cap. 10. & Granad. disp. 5. sect. 2. & definitum videtur in cap. *damnamus*, de summa Trinit. & Fidei Cathol, quòd est Concilij Lateranensis sub Innocencio Secundo, dum in eo definitur, in Deo non esse quaternitatem, id est, numerum quaternarium rerum, at si attributa modo prædicto distinguerentur inter se, & ab essentia, in Deo esset maior numerus rerum, quàm quaternarius, quia attributa diuina, etiam absque essentia sunt plura, quàm quatuor, & id etiam satis indicatur in Concilio Rhemensi sub Eugenio Tertio presente, & in Concilio Florentino sess. 8. quæ statim adducemus contra Scotum, constituentem minus discrimen, quam Gualterus inter attributa inter se, & ab essentia; & id etiã potest probari rationibus quibus statim contra Scotũ probabimus, attributa, nec inter se, nec ab essentia distingui à parte rei.

Supereſt tamen difficultas, an distinguantur aliquo alio modo à parte rei, ante operationem intellectus.

Scotus in 1. distin 8. quæst. 4. (quem eius discipuli sequuntur) docet; attributa inter se, seu mutuo, & ab essentia distingui actu, ex natura rei, antè operationem intellectus, non distinctione reali plena, seu tanquam res à re; sed distinctione formali, tanquam rationes formales à ratione formali, quam ait esse mediam inter distinctionem realem, & distinctionem rationis.

Et in primis, quòd attributa distinguantur inter se ex natura rei ante operationem intellectus, probatur; quia impossibile est rei omnino eidem, quanuis diuinæ, & absolutæ, non relatiuæ, conuenire à parte rei prædicata cõtradictoria; sed diuinis attributis, distinctis cõueniunt à parte rei prædicata contradictoria: ergo distinguuntur à parte rei; consequentia patet, antecedens autem pro maiori videtur manifestum, minor verò probatur; quia Pater Æternus à parte rei, præcisſa cõsideratione nostri intellectus, generat filiũ per intellectũ, & non per voluntatẽ, nec per immensitatẽ, nec per aliud attributũ: & Pater & Filius à parte rei, præcisſa consideratione nostri intellectus, producunt Spiritum sanctum per voluntatem, & non per intellectum, nec per aliud attributũ; & Deus à parte rei intelligit per intellectum, & non per voluntatem, nec per aliud attributum, & re ipsa amat per voluntatem, & non per intellectum, nec per aliud attributum: ergo attributis distinctis conueniunt à parte rei prædicata contradictoria, nempè generare, & non generare, producere, & non producere, intelligere, & non intelligere, amare, & non amare: ergo attributa inter se distinguuntur à parte rei.

Deinde, quòd attributa à parte rei distinguantur ab essentia, probatur, quia attributa inter se mutuo distinguuntur à parte rei: ergo

ergo etiam distinguuntur ab essentia, quia prædicata absoluta etiam in Deo, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, sed attributa à parte rei, non sunt eadem inter se, sed distincta: ergo non sunt eadē cum essentia, sed distincta ab ipsa.

Sanct. Tho. verò 1.p. quæst. 13. art. 4. vbi etiam eius Discipuli, & in 1. dist 2. vbi & Durandus, Ægidius, Richardus, Gregorius, Gabriel, Bonauentura, Maior, & plures alij Vazquez disput. 116. cap. 4. Suarez lib. 1. cap. 10 Beccanus quæst. 1. cap. 1. Granadus tract. 2. disput. 5. Alarcon tract 5. cap. 5. & communiter Theologi docēt, & meritò attributa diuina, nec inter se, nec ab essentia distingui à parte rei ante operationem intellectus, quòd satis indicant, Augustinus 6. de Trinitate. cap. 7. Damascenus lib. 1. à cap. 9. & alij Patres, quorū verba referunt Vazquez, Suarez, & Granado.

Et in primis attributa non distingui à parte rei ab essentia diuina, satis indicatur in Concilio Rhemensi sub Eugenio Tertio, dum dicitur, tres diuinas Personas esse vnam substantiam, & è contra: & in Concilio Florentino sess. 18 post medium, dum Ioannes nomine Ecclesiæ Latinæ dixit: *Diuina substantia, & personæ re quidem sunt idē, secundum modum autem intellectionis nostræ differre videntur*: si ergo personalitates, seu relationes diuinę non distinguuntur à parte rei ab essentia Diuina, multo minus ab ipsa distinguentur attributa, quia hæc non minus, imò magis videntur pertinere ad essentiam, quàm relationes.

Et ratione probatur, quia si attributa à parte rei distingueren-tur ab essentia, Deus in quo sunt ipsa attributa, & essentia, non esset re ipsa summè simplex, quia constaret ex pluribus à parte rei distinctis, vel inter se vnitus, vel in vnum cum essentia aggregatis, quorum quodlibet repugnat summæ simplicitati reali Dei, vt diximus disputat. 2.

Secundo probatur, quia essentia Diuina re ipsa est formaliter summè perfecta, vt diximus disputat. 3. ergo re ipsa non est distincta ab attributis, quia hæc verè sunt perfectiones, aliàs essentia diuina re ipsa non esset entitatiuè omnis perfectio, quia re ipsa non esset intellectus, nec voluntas, nec sapientia, nec aliud attributum, sed tantùm esset essentia Diuina.

Deinde attributa diuina non distingui re ipsa inter se, probatur, quia ex vna parte attributa sunt re ipsa, idem cum essentia Diuina, & ex altera parte attributa non sunt relatiuè opposita, sicut sunt personalitates, seu relationes diuinæ: ergo re ipsa sunt omnino idē, quia quæ sunt eadem vni tertio quamuis diuina, absque oppositione relatiua inter se, sunt eadem inter se.

Sed

Sed quanuis inter attributa inter ſe, & inter ipſa, & eſſentiam non ſit à parte rei actu aliqua diſtinctio, eſt tamen inter ea diſtinctio virtualis, ſeu fundamentalis ob diuerſa munera Dei, quia vna entitas abſoluta Dei ob diuerſa munera, æquiualet pluribus rebus creatis à parte rei diſtinctis, quia æquiualet eſſentiæ creatæ, quia eſt, & æquiualet intellectui, quia intelligit & voluntati, quia vult, & iuſtitiæ, quia punit, & miſericordiæ, quia miſeretur, & alijs rebus, & principijs creatis à parte rei diſtinctis, inſtar quarum Deus concipitur à nobis, qui ob diuerſa munera illius formamus in entitate abſoluta Dei diuerſos conceptus obiectiuos.

Ad rationem ergo Scoti, qua intendit probare attributa inter ſe diſtingui actu à parte rei ante operationem intellectus; reſpondemus, eadem proportione, qua tract. 1. de Trinit. diſp. 2. diffic. 6. reſpondemus ſimili argumento quo intenditur relationes diuinas diſtingui à parte rei ab eſſentia, nempè diſtinctionem rationis, qua eãdem entitatem diuinam concipimus, v. g. vt eſſentiam, & vt intellectum, & vt voluntatem, & vt iuſtitiam, & ſic de reliquis, & qua eidem entitati diuinæ tribuimus prædicata contradictoria ſufficere, vt de illa eadem entitate prout dictis diuerſis conceptibus obiectiuis concepta, verè enuntiemus ea prædicata contradictoria addendo adhuc particulam *à parte rei*, quando additione talis particulæ non excludimus ordinem ad varios conceptus obiectiuos à nobis formatos; quia tunc per eam particulam, *à parte rei, ſeu ex natura rei*, tantũ ſignificamus, id quòd in ea entitate re ipſa reperitur, eo modo concipiendi eſſe pro modulo noſtro concipiendum, & explicandũ, vt conuenienter, & abſque abſurdo concipiatur, & explicetur; at quando per particulam, *à parte rei*, excludimus ordinem ad intellectum noſtrum pro modulo noſtro concipientem, id quòd in entitate diuina reperitur à parte rei, ita vt ſenſus ſit *entitas diuina à parte rei, habet, quòd intelligat; & quòd non intelligat, & quod velit, & quod non velit*, tunc hæ propoſitiones contradictoriæ non ſunt veræ, quia entitas diuina à parte rei, ſeu pro vt eſt in ſe, nõ habet quòd intelligat, & quod non intelligat, & quod velit, & quod non velit, quia hoc eſt impoſsibile; habet tamen à parte rei, id quòd à nobis non poteſt concipi, niſi his conceptibus obiectiuis contradictorijs: ita tamen illud concipimus per dictos conceptus obiectiuos contradictorios, vt eos non attribuamus entitati diuinæ prout eodem modo conceptæ, ſed pro vt diuerſo modo conceptæ, & ita pro modulo noſtro conuenienter, & abſque abſurdo entitatem diuinam, & id quod in ipſa à parte rei reperitur, concipimus & explicamus; beatus verò cõcipiens Deum, vt eſt in ſe, ſeu à parte rei, non concipit entitatem abſolutam *Dei*

pluribus conceptibus obiectiuis, v. g. conceptibus essentiæ, & intellectus, & voluntatis, & iustitiæ, & misericordiæ, sed vnico, & indiuisibili, & in ea non concipit plura prædicata absoluta, quæ ei attribuat, sed tantùm vnum, imò indistinctum à conceptu obiectiuo, quem habet ipsius entitatis, quia ipsa, & quòd in ipsa, prout in se, est, est vna simpliciſsima entitas.

Ex eo ergo, quòd nos viatores concipiamus entitatem diuinam diuersis conceptibus obiectiuis, & his vt sic, attribuamus varia prædicata, etiam contradictoria, non infertur entitatem sic conceptam esse à parte rei multiplicem, nec ipsi à parte rei conuenire prædicata contradictoria; imò nullum prædicatum distinctum ab ipsa entitate, quia tota ipsa est omnino indiuisibilis.

Ex dictis ergo constat solutio ad rationem, qua intenditur probari attributa à parte rei distingui ab essentia, quia ex dictis constat antecedens illius esse falsum; nempè attributa diuina distingui inter se à parte rei.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm attributa diuina inter se, & ab essentia ratione distinguantur.

AVreolus in primo, distin. 8. quæst. 3. art. 2. Gregorius quæst. 2. art. 1. & 2. Maior quæst. 1. Gab. distin. 2. quæst. 1. art. 1. & alij Nominales docent, attributa, nec inter se, nec ab essentia ratione distingui, & non esse aliam distinctionem inter prædicta, quam distinctionem, seu diuersitatem nominum significantium eandē entitatem absolutam Dei: quibus adherere videtur P. Hurtado in metap. disput. 6. sect 4. dum non admittit distinctionem in nostris conceptibus obiectiuis; sed tantū in formalibus, pro vt magis, vel minus confusè significantibus eandem rem, seu eundem conceptum obiectiuum.

Nominales hanc suam sententiam probant, quia quòd in se est indiuisum, nequit aliquo extrinseco diuidi, seu præscindi; sed attributa & essentia Dei in se ipsis sunt vna, & eadem entitas indiuisa, vt constat ex dictis; ergo cognitione, seu conceptione nostra, quæ ipsis est extrinseca, nequeunt diuidi, seu præscindi: & confirmatur, quia intellectus noster concipiens, seu cognoscens, v. g. sapientiam concipit id quod est in Deo, sed in Deo, idem est sapientia, &

in-

iuſtitia: ergo concipiendo ſapientiam, etiam concipit iuſtitiam: ergo non diſtinguit ſapientiam à iuſtitia.

Sanctus Thomas verò, quæſt. 13. artic. 4. Durandus in 1. diſtin. 2. quæſt. 3. Vazquez diſput. 117. Suarez lib. 1. cap. 13. Becanus cap. 1. quæſt. 2. Granad. diſput. 6. & communiter Theologi, docent attributa inter ſe, & ab eſſentia Diuina diſtingui, non ſolum nominibus, & conceptibus formalibus, & ratione ratiocinante; ſed & conceptibus obiectiuis, ſeu ratione ratiocinata; & meritò, quia intellectus noſter dum eſt in via, quodlibet attributum, & eſſentiam Diuinam concipit, vt diuerſa formans diuerſos conceptus obiectiuos ipſorum. & ea, v. g. eſſentiam, ſapientiam, & iuſtitiam concipiens, vt rationes diuerſas, & diſsimiles, vt quaſi experientia conſtat: ergo attributa diuina, & eſſentia, non ſolum diſtinguuntur quo ad nomina, & quòd ad conceptus formales diuerſo modo repræſentantes eandem rationem, ſed quo ad conceptus obiectiuos, ſeu quo ad rationes repræſentatas diuerſis conceptibus formalibus, & ſignificatas diuerſis nominibus.

Eſt autem hæc diſtinctio rationis inter attributa inter ſe, & ab eſſentia, non rationis ratiocinantis, ſeu fingentis; ſed rationis ratiocinatæ, ſeu conceptæ, habens fundamentum in ipſa fæcunditate, ſeu plenitudine entitatis Dei, ſuppoſita imperfectione intellectus viatoris non concipientis Deum, vt eſt in ſe, ſed inſtar creaturarum re ipſa, vel ratione ratiocinata diſtinctarum, habentia munera ſimilia muneribus creaturarum: ex eo enim, quòd eſſentia, v. g. humana per ſe ipſam eſſentiat, & per intellectum intelligit, & per voluntatem vult, & per iuſtitiam punit, & per miſericordiã miſeretur; & hæc omnia in homine, nempè eſſentia, intellectus, voluntas, iuſtitia, & miſericordia, re ipſa, vel ſaltem, vt diſtincta concipiuntur; ita etiam in Deo, in quo eſt eſſentia, intellectus, voluntas, iuſtitia, & miſericordia, ea cõcipit, vt rationes diſtinctas; quia in ea cõcipit inſtar eorum, quæ ſunt in homine, in quo ea diſtinguuntur re ipſa, vel ſaltẽ concipiuntur, vt diſtincta.

Ad rationem ergo Nominalium reſpondemus, quòd etiam ſi intellectus noſter nequeat re ipſa diuidere, ſeu diſtinguere, quòd re ipſa eſt indiuiſum; poteſt tamen illud obiectiuè diuidere, ſeu diſtinguere concipiendo quod re eſt vnum, & indiſtinctum tanquam plura, & diſtincta: & hoc tantum, & nihil aliud fit diſtinctione rationis ratiocinatæ, qua dicimus attributa inter ſe, & ab eſſentia diſtingui.

Et ad confirmationem reſpondemus concedẽdo intellectũ noſtrũ con-

concipiendo in Deo ſapientiam, concipere id, quòd re ipſa in Deo eſt iuſtitia, non tamen ſub conceptu obiectiuo iuſtitiæ; ſed tantùm ſub conceptu obiectiuo ſapientiæ, & ob id ſapientia, & iuſtitia concipiuntur à nobis diuerſis conceptibus obiectiuis, ſeu formando diſtinctos conceptus obiectiuos earum, quòd eſt ratione ratiocinata diſtingui.

Obſeruandum eſt, quòd quanuis diſtinctio rationis ratiocinatæ qua diſtinguũtur attributa inter ſe, & ab eſſentia, nequeat fieri à beato, quia ea videt, & concipit, vt ſunt in ſe, & attributa & eſſentia in ſe ſunt omnino idem: & quanuis nequeat fieri à Deo ex ſe ipſo, ſeu immediatè, quia Deus ex ſe ipſo, ſeu immediatè concipit res, vt ſunt in re, & attributa in ſe, ſunt vnum inter ſe, & cum eſſentia, ea non concipit, vt diſtincta, ſed vt vnam, & indiuiſibilem rem; poteſt tamen dicta diſtinctio fieri à Deo ſecundario, & occaſione noſtri intellectus, qui ex ſe ipſo, ſeu primario eam diſtinctionem efficit, aut efficere poteſt, quia Deus ob infinitam ſui intellectus perſpicacitatem, non tantùm concipit ea quæ re ipſa ſunt, & poſſunt eſſe, vt re ipſa ſunt in ſe, aut poſſunt eſſe; ſed etiam vt à nobis concipiuntur, aut poſſunt concipi: quia abſque dubio Deus cognoſcit eoſdem conceptus obiectiuos, ſeu ipſi idem omnino obijciuntur, quia quanuis præſupponantur formati, aut formabiles ab intellectu noſtro, etiam dicuntur formari à Deo, quanuis tantum ſecundario, quia ipſi Deo vere obijciuntur, & ſunt conceptus obiectiui intellectus diuini, prius tamen formati, aut formabiles à nobis, quã à Deo, qui ex ſe ipſo eos non formaret, nec formare poſſet, niſi à nobis formarentur, aut formari poſſent.

Et ob eandem omnino rationem, idem dicendum eſt de diſtinctione rationis ratiocinatę relationum diuinarum ab eſſentia diuina, quòd ſcilicet nequeat à Deo fieri ex ſe ipſo, ſeu primario, benè tamen ſecundario occaſione noſtri intellectus, ea proportione, qua tract. de ſcientia Dei, diſput. 3. diffic. 2. dicimus Deum poſſe efficere ens rationis, non primario, ſeu ex ſe ipſo, ſed ſecundario, & occaſione noſtri intellectus illud efficientis, aut potentis efficere.

(§§)

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm attributa ita distinguantur ratione inter se, & ab essentia, vt se mutuo essentialiter includant, & essentiam, & ab ipsa includantur.

DIfficultas hæc non habet locũ in opinione asserentium, attributa diuina inter se, & ab essentia distingui à parte rei, quia secundùm hanc dicendum est, attributa non se inuicem includere, nec essentiam, nec includi in essentia, sed tantùm habet locum in nostra sententia, secundùm quam, omnia prædicta inter se ratione, tantum distinguuntur.

Camarensis quæst. 28. art. 2. disput. 2. dub. vltimo, Molina disput. 4. Banez dub. 3. Zumel quæst. 8. Suarez lib. 1. à cap. 11. Granad. disput. 7. & Ruyz disput. 13. à quæst. 1. docent attributa diuina in suo conceptu obiectiuo se mutuò essentialiter includere, & essentiam diuinã, & hanc in suo conceptu obiectiuo essentialiter includere attributa, quòd indicare videntur, Leo epist. 93. cap. 5. Augustl. lib. de cognit. veræ vitæ, cap. 7. & 8. & Anselm in Monologio cap. 15. & 16. & alij Patres dum quodlibet attributum attribuant alijs attributis, & essentiæ, & essentiam cuilibet attributo.

Et id ratione videtur probari, & in primis, quòd essentia diuina includat essentialiter in suo conceptu obiectiuo diuina attributa, quia essentia diuina est omnino infinitè perfecta, quia essentialiter includit omnes perfectiones diuinas, quales sunt, diuina attributa, aliàs essentiæ diuinæ, deficerent hæ perfectiones: & eadem proportione probatur, diuina attributa se mutuò includere essentialiter, & diuinam essentiam, quia quodlibet attributum est omnino infinitè perfectum: ergo quodlibet includit essentialiter reliqua, & essentiam, quæ sunt perfectiones, & infinitè.

Capreolus verò in 1 distin. 8. quæst. 4. art. 3. Vazquez disput. 119. cap. 2. Turrianus disput. 3. à dubio 4. Beccanus cap. 1. quæst. 5. Alarcon tract. 5. de Trinitate, disput. 2. cap. 12. & 13. docent attributa diuina, nec se mutuo essentialiter includere in suis conceptibus obiectiuis, nec essentiam, nec includi in conceptu obiectiuo essentiæ, & merito, quia attributa ipsa, vt ratione distincta inter se, & ab essentia, concipiuntur à nobis quasi proprietates aduenientes essentiæ, & tanquam extrema condistincta ab essentia, & quodlibet attributum concipitur, quasi proprietas diuincta à

quolibet alio, quia concipiuntur instar proprietatum, & essentiæ creatarum, quia conceptus obiectiuus, quem formamus de quolibet attributo, non includitur formaliter in conceptu obiectiuo alterius attributi, nec in conceptu obiectiuo essentiæ, nec conceptus obiectiuus essentiæ in conceptu obiectiuo attributorum, sicut nec in creaturis vna proprietas essentiæ includitur in alia proprietate, nec in essentia, nec essentia in suis proprietatibus, quòd amplius secundùm proportionem extendimus, tract. de Trinitate, disput. 2. difficult. 6. & 7. idem examinantes circa relationes & essentiam diuinam.

Si ergo attributa concipiuntur à nobis quasi proprietates, & accidentia essentiæ, & tanquam extrema condistincta ab essentia, & quodlibet attributum quasi proprietas essentiæ distincta à quolibet alio, cum concipiantur à nobis instar proprietatum, & essentiæ in creaturis, essentia diuina, vt à nobis concepta, omnino etiam explicite excludit formaliter attributa, & quodlibet attributum excludit aliud & essentiam, sicut in creaturis essentia excludit realiter, aut saltem ratione ratiocinata proprietates; & quælibet proprietas aliam & essentiam, quia essentia, & attributa concipiuntur à nobis modo prædicto, & non vt definitio, & difinitum, quorum vnum sit expressio alterius, nec vt commune, seu vniuersale alijs.

Attributa autem, vt per rationem inter se, & ab essentia distincta, esse inter se æqualia, & cum essentia, constabit ex his, quæ dicimus tract. de Trinitate, disput. 2. diffic. 9 de æqualitate relationum diuinarum inter se, & cum essentia, quia eadem est ratio, nempè quia attributa, & essentia, & quodlibet in suo genere est summè, & infinitè perfectum essentialiter, seu in suo esse, in æqualitas autem, seu maioritas, & minoritas tantùm sunt affectiones generis, & speciei finitorum in sua perfectione essentiali, quales sunt species, & genera rerum creatarum.

Patres ergo pro aduersarijs adducti, dum quodlibet attributum, attribuunt alij, & essentiæ, & è contra, id tantùm efficiunt in sensu identico, non in formali.

Et ad rationem respondemus, quòd licèt essentia diuina re ipsa sit infinitè, & simpliciter perfecta, quia re ipsa est tota perfectio Dei, quia re ipsa etiam est omnia attributa, & relationes diuinæ, prout tamen à nobis concepta conceptu obiectiuo distincto à conceptu prædictorum, qua ratione est ratione distincta ab omnibus prædictis, quamuis sit infinitè perfecta, non tamen infinitè simpliciter, seu omnino; sed tantùm secundùm quid, nempè in genere, seu in ratione essentiæ, seu naturæ; quia vt sic concepta excludit formali-

liter attributa, & relationes: & eadem proportione, quanuis quodlibet attributum re ipsa sit infinitè simpliciter perfectum, quia re ipsa est tota perfectio Dei, quia re ipsa etiam est reliqua attributa, & relationes, & essentia, prout tamen quodlibet attributum à nobis concipitur concepto obiectiuo distincto à concepribus obiectiuis aliorū, & relationum & essentiæ, quanuis sit infinitè perfectum; non tamen simpliciter & omnino, sed tantùm secundum quid, nempè in suo genere, v.g. sapientia in genere sapientiæ, & sic de alijs ea proportione qua tract. de Trinit. disp. 2. diffic. 9 dicimus de infinitate essentiæ, & relationum, vt ratione nostra conceptarum.

TRACTATVS
DE SCIENTIA DEI.

DISPVTATIO PRIMA.
De existentia scientiæ Dei.

DIFFICVLTAS PRIMA.
Vtrùm in Deo sit scientia actualis.

SVpponimus in quo omnes DD. conueniunt in Deo esse scientiam, quòd vt sic est Fide diuina certum, vt constat ex illo ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientia Dei!* Et ex illo ad Colos. 2. *In quo sūt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscõditi*; & id est, adeò euidēs lumine naturali, vt nullus, quanuis adeò extollidus, qui Deum esse admiserit, censuerit esse ignorantem.

Hoc ergo supposito: primo est difficultas, an in Deo sit scientia actualis: nomine autem scientiæ actualis non intelligimus, intellectionem per discursum, seu ex præmissis habitam, quia hanc non reperiri in Deo dicemus diffic. 2. sed intelligimus intellectionem veram, & certam, & euidentem.

Circa hanc difficultatem conueniunt DD in Deo esse dictam scientiam actualem, & id esse de fide diuina, & euidens lumine naturali.

Et in primis id esse de fide cōstat; quia de fide est, Deū intelligere,

& verè & certo, & euidenter: & secundo de fide est, Deũ intelligere, vt cõstat ex illo Psal. 32. *Qui intelligit omnia opera eorũ*: & ex illo Prouerb. 24. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit*: & etiã de fide est, omnia Deũ cognoscere, Psal. 138. *Et omnia nosse*, Dan. 13. & 1. Ioan. 3. & omnia intueri, & respicere, & scrutari, Iob 28. & Prouerb. 24. Prædictis autem verbis intelligendi, & scrutandi, intellectio, & actualis significatur.

Hæc autem scientia, seu intellectio actualis, non solum est Deo eminenter concedenda, quia scilicet sit causa illius in creaturis rationabilibus, neq; solùm metaphoricè, sicut ei conuenit irasci; sed etiam est Deo concedenda formaliter, & propriè, quia quæ Deo in scriptura attribuuntur ei, debent formaliter, & propriè concedi, dũ apertè non constat non posse ei sic concedi.

Secundo, de fide est Deũ veri, & nõ falso, intelligere, quia in adductis, & in alijs locis scripturæ Deus dicitur omnia nosse intueri, & respicere, qui autẽ aliquid noscit, intuetur, & respicit id verè intelligit, & non falso; aliàs id non nosceret, sed ignoraret, neque id respiceret, neque intueretur.

Tertio, de fide est Deum certo intelligere, quia de fide est Deum res intueri, & respicere, quòd est eas certo intelligere, & specialiter, Prouerb. 24. *Deum nihil fallit*, si ergo Deum nihil fallit, eius cognitio est certa, & infallibilis.

Quarto, de fide est Deum euidenter, & clarè intelligere; quia vt diximus, de fide est Deũ sua intellectione respicere res, & eas intueri, quibus intellectio clara & euidens significatur, imò etiam intuitiua, quæ est euidens absque discursu.

Est ergo de fide, in Deo esse scientiam actualem sumptam pro intellectione vera, & certa, & euidenti.

Deinde, quòd id sit notũ, & euidens lumine naturali constat, quia in primis lumine naturali constat Deũ intelligere; quia ex vna parte intelligere est perfectio simpliciter simplex, & maxima, nullã dicens imperfectionem; nõ est ergo denegandum Deo, qui est summè, & infinitè perfectus, & cõfirmatur, quia Deus euidẽter est substãtia perfectissimè viuẽs: ergo euidenter est substantia intelligens, quia euidens est intellectionẽ esse perfectissimam vitam actualem, seu in actu secũdo.

Et idem intendit demonstrare S. Thom. quæst. 14. art. 1. ex puta immaterialitate, seu spiritualitate substantiæ diuinæ, cui videtur connaturalis actio spiritualis, & immanens, & vitalis. Quam ratiocinationẽ non pauci S. Thom expositores explicant, & defendunt.

Secundo lumine naturali constat Deum, non solum intelligere, sed etiam, verè & certò, & euidenter; quia falsitas & incertitudo, & obscu-

obſcuritas ſunt imperfectiones, quarum Deus, vtpote ſummè perfectus non eſt capax.

Eſt ergo certum, & notum, & euidens lumine naturali eſſe in Deo dictam ſcientiam actualem ſumptam pro intellectione vera, certa, & euidenti.

Addimus omnes intellectiones quorumcumque obiectorum diuinas (quæ ſola ratione noſtra diſtinguuntur) eſſe æqualiter veras, & æqualiter certas, & æqualiter euidentes; quia quælibet eſt ſummè vera, & ſummè certa, & ſummè euidens, cùm quælibet ſit ſummè perfecta: quòd autem obiecta earum intellectionum ſint inæqualia, non obſtat, quia generaliter actus diuini, nihil ſumunt ex obiectis, ſicut ſumunt actus creati, ſed ex ſe ipſis ſunt infinitè perfecti.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ſcientia, ſeu intellectio Dei ſit diſcurſiua.

PRO Huius difficultatis reſolutione ſupponendum eſt, diſcurſum eſſe duplicem; vnum ſecundum ſucceſſionem, qui in eo ſolum conſiſtit, quòd intellectio vnius rei ſuccedat intellectioni alterius, ſeu habeatur poſt intellectionem alterius, ſiuè res per vtramque intellectę ſint inter ſe connexæ, ſiuè non: alterum ſecundùm cauſalitatem, qui verè, & proprie dicitur diſcurſus, & conſiſtit in eo, quòd vna intellectio deducatur ex altera, vt quando intellectus ex eo, quod intelligit vnum, inducitur, ſeu mouetur ad intelligendum alterum, verbi gratia, quando intellectus ex eo, quod cognoſcit hominem eſſe rationalem, mouetur ad cognoſcendum etiam eſſe riſibilem.

Hoc ergo ſuppoſito, conueniunt Doctores, ſcientiam, ſeu intellectionem Dei neutro modo eſſe diſcurſiuam; quia non diſcurſu ſecundùm ſucceſſionem; quia omnia ſimul, & ab æterno cognoſcit, vt poſtea dicemus; neque diſcurſu ſecundum cauſalitatem; quia omnia etiam cauſam, & effectum cognoſcit, non pluribus cognitionibus, ſed vnica, ſeu vnico intuitu, ad diſcurſum autem ſecundū cauſalitatem eſſentialiter requirūtur plures cognitiones, vt vna poſsit deduci ex altera, in quo conſiſtit ratio, ſeu natura diſcurſus ſecundum cauſalitatem.

Ex eo autem quòd Deo obijciatur, ſeu offeratur, noſter diſcurſus, & modus quo diſcurrimus, non fit Deum re vera diſcurrere; quia noſter diſcurſus, & modus quo diſcurrimus ipſi, offertur tamquam

quam obiectum, quæ intellectionis, & nõ aliter, & tanquam obiectũ vnius tantũ simplicis intellectionis, non plurium, quarum vna ex altera deducatur, quòd ad discursum secundũ causalitatem essentialiter requiritur: Deus enim etiam si cognoscat, & intueatur nos cognitionẽ vnius obiecti, deducere ex cognitione alterius, & modũ quo eam deducimus, non discurrit; quia ipse non deducit, sed tantùm intuetur nos deducere.

Sed quanuis in Deo, non sit re ipsa discursus; quia in ipso nõ sunt re ipsa plures cognitiones, quarum vnam deducat ex altera, ratione tamẽ nostra cõcipitur discurrere: quia in eo ratione nostra, sunt duæ cognitiones, altera qua Deus nostro modo concipiendi, quasi ductus à cognitione effectus cognoscit causam, & è cõtra. Vnde quanuis in Deo verè, & re ipsa non sit discursus, ac proinde, neq; scientia in rigore; quia nec sciẽtia; quia neq; scientia propter quid cõceptionẽ tamẽ nostra, concipitur discurrere, seu quod idem est in Deo ratione nostra reperitur discursus.

Addimus in Deo, quanuis verè sit iudicium quod negari nequit, nõ tamen esse compositionem, neq; diuisionem; quia Deus non aliter iudicat, quàm cognoscendo res, prout in se sunt, seu eas intuẽdo, nõ attribuendo mentaliter prædicatum subiecto, in quo consistit compositio, neq; separando mentaliter prædicatum à subiecto, in quo cõsistit diuisio; sed iudicat, v.g. Petrum esse album cognoscendo Petrum, & albedinem, & inhærentiam albedi[illegible] in Petro, prout in se sunt, absq; affirmatione aliqua mentali superaddita dictæ cognitioni intuitiuę, & iudicat Petrum non esse, hunc equum cognoscendo Petrum, & hunc equum, prout in se sunt, absq; negatione aliqua mẽtali superaddita dictæ cognitioni intuitiuæ Petri, & huius equi. Imo animam Christi, sciẽtia per se infusa non posse cognoscere, componendo, neq; diuidendo, neq; discurrendo, dicimus Tract. de Incarn. dist. 8. dif. 13. & 14.

Sed quanuis in Deo non sit re ipsa discursus, neque compositio, neque diuisio, est tamen simplex apprehensio, quæ vt à nobis concepta, non est scientia; quia vt sic non est iudicatiua, nec vera. Quanuis hæc simplex apprehensio re ipsa non sit pura; quia eadem formalitas apprehensionis re ipsa, est iuditium, est tamen nostro modo concipiendi pura à iudicio, de quo dicimus disp. 2. dif. 3.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm scientia Dei sit immutabilis, seu inuariabilis.

RAtio difficultatis pro parte negatiua est; quia tunc scientia alicuius dicitur variari, seu mutari quando desinit scire, quod antea sciebat, aut quando de nouo scit, quòd antea non sciebat, sed Deus desinit scire plura, quæ antea sciebat, & de nouo scit plura, quæ antea non sciebat; quia v.g. Deus nunc non scit Christum nasciturum, quem antea nasciturum sciebat, & nunc scit natum esse, quem ante tempus natiuitatis, non sciebat esse natum, sed nasciturum: ergo scientia Dei variatur.

Nihilominus Theologi conueniunt, scientiam Dei esse immutabilem, seu inuariabilem, etiam prout terminatur ad obiecta maximè, mutabilia, seu variabilia; quia Deus est infinitè, & ab æterno perspicax, seu intellectiuus: ergo ab æterno, & in æternum res omnes intuetur, & omnimodo quo possibiles, aut existētes sunt, & quo variandæ sunt, quę sunt variabiles: ergo Deus, ita scit, vt nihil noui sciat; quia ab æterno omnia, & omnimodo quo sunt nouit, & ita scit, vt quod semel sciuit, nūquam desinat scire; quia in æternū scit: ergo scientia diuina, quo ad quæcunq; obiecta etiam variabilia, est immutabilis, seu inuariabilis.

Ad rationem autem difficultatis pro parte negatiua respondemus, concedendo maiorem, & negando minorem, nempè quod Deus desinat, scire quod antea sciebat, & quòd de nouo sciat, quòd antea non sciebat; quia nunc sicut antea scit natiuitatem Christi futuram, comparatam cum durationc anteriori, ad eam durationem in qua facta fuit, & nunc scit esse præteritam comparatam, cū durationc præsenti, & nunc scit esse præsentem comparatione durationis in qua facta fuit: & etiam ante tempus natiuitatis, sciebat natiuitatem Christi esse, præteritam comparatione durationis præsentis, sicut nunc id scit; quia natiuitas Christi, & quæcumque alia res, pro aliquo tempore durans eodem modo, obijcitur intellectui diuino, ab æterno, & in æternum. Vnde negandum est quòd Deus, nunc non sciat Christum nasciturum, respectu eius temporis, respectu cuius antea sciebat illum nasciturum, quanuis respectu huius tēporis præsentis, nō sit nasciturus, & ideo respectu huius temporis hæc propositio, *Christus est nasciturus*, à quocumque proferatur est, falsa, vera tamen respectu temporis anterioris

ad

ad natiuitatem: & etiam est negandum, quòd Deus ante tempus natiuitatis, non sciuerit Christum natum fuisse, respectu huius præsentis temporis, respectu cuius nunc scit eum natum fuisse, quanuis respectu temporis anterioris, ad actualem natiuitatem non fuerit natus, & ideo respectu illius, hæc propositio: *Christus natus fuit*, à quocunque proferatur est, falsa; vera tamen, respectu huius præsentis temporis, in quo eam proferimus: & generaliter extrema propositionum quæ absolutè proferuntur dum aliud nō indicatur, comparantur cum duratione præsenti in qua proferuntur, & cōparatione illius propositiones, in quibus ea extrema continentur, censendæ sunt verę, vel falsæ.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm in Deo sit re ipsa intellectus.

SVpponimus in nobis semper esse tria principia scientiæ actualis, seu intellectionis, nempè substantiam ipsam rationalem, & intellectum, qui est potentia formaliter, & proximè intellectiua, productiua intellectionis (siue hìc intellectus à parte rei distinguatur à dicta substantia, vt nobis, & communiter placet, siue non distinguatur, vt nonnullis probatur) & etiam esse speciem intelligibilē impressā obiecti, eius vicem supplēs ad causandam intellectionem, & aliquā, do etiam esse aliud quartum principium, nempè habitum (qui dicitur sciētia habitualis) aut acquisitum tantū deseruientē intellectui, ad facilè intelligēdum, aut per se infussum deseruientem intellectui, vt connaturaliter eliciat intellectionē, quo ad substantiam quando intellectio est supernaturalis.

Hoc supposito, negari non potest, intellectum, & reliqua dicta principia posse ratione nostra esse, seu concipi in Deo, sicut in eo ratione nostra potest esse, seu cōcipi materialitas, seu corporeitas, dū Deus instar nostri concipitur, seu apprehenditur corporeus.

Est ergo difficultas, an dicta principia ita concipiantur, & ratione nostra, sint in Deo, vt etiam sint verè, & re ipsa, & absque fictione, sicut etiam in eo, verè, & re ipsa reperiuntur iustitia, & omnipotētia, & intellectio, & volitio, quanuis secundum communiorem opinionem, non distinguantur re ipsa, neque inter se, neque à natura diuina.

Circa difficultatem certissimum est in Deo verè, & re ipsa esse substantiam intellectiuam, seu capacem intelligendi, quæ latè potest

dici

dici intellectus, nēpè deitatem ipſam; ſed an hæc ratione noſtra ſit formaliter diſtincta ab actuali ſcientia, ſeu intellectione, quæ etiam re ipſa eſt in Deo dicemus dif. 6.

Ex ſuppoſitione autem, quod ſubſtantia intellectiua, ſeu Deitas, non ſit formaliter diſtincta ab actuali intellectione (quòd nōnullis probatur) dicendum erit, in Deo verè & re ipſa non eſſe intellectum ſtrictè ſumptum, pro facultate productiua intellectionis, neque ſpeciem intelligibilem, neque habitum; quia ſubſtantia intellectiua præſupponitur formaliter ad intellectum, & hìc ad ſpeciem, & ad habitum quando tria hæc reperiuntur; actualis autem intellectio non præſupponitur ad ea; quia hæc ſunt principia talis intellectionis.

Punctum ergo difficultatis in eo eſt; an ex ſuppoſitione quod Deitas ſit in Deo formaliter diſtincta, ab intellectione, vt nos dicemus difficul. 6. etiam in eo ſint verè, & re ipſa intellectus, & ſpecies intelligibilis, & habitus. Et in primis, eſt difficultas an, in Deo ſit verè, & re ipſa intellectus. procedit autem de intellectu ſumpto, pro potentia intellectiua ſtrictè ſumpta, & de intellectu eſſentiali, reſpectu intellectionis eſſentialis; quia an in Patre ſit intellectus notionabiles ſtrictè ſumptus, qui in eo ſit potentia generatiua filij media intellectione notionali, & an in Patre, & in filio ſit voluntas notionalis, ſtrictè ſumpta, quæ in eis ſit potentia ſpiratiua Spiritus Sāncti medio amore notionali, dicemus Tract. de Trin.

Eſt ergo difficultas, an ex ſuppoſitione quod Deitas, ſeu ſubſtātia intellectiua in Deo, ſit formaliter diſtincta ab intellectione, ſit re ipſa in Deo intellectus eſſentialis ſtrictè ſumptus, reſpectu cognitionis eſſentialis, conueniens omnibus tribus perſonis.

Circa hanc difficultatem Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 7. Molin q. 41. ar. 4. Vazq diſp. 60. & 102. & 119. cap. 7. Granad. 1. par. controuerſ. 2. tit. 1. diſt. 1. & Alarc. diſt. 1. cap. 3. docent in Deo verè, & re ipſa reperiri; quod ſignificari videtur in Scriptura, & à PP. dum Deo attribuunt mentem, & intellectum. Et ratione poteſt probari; quia Deus re ipſa eſt potens intelligere & habet vim ad intelligendum, aliàs non intelligeret: ergo re ipſa habet potētiam formaliter intellectiuam.

Arcolus in 1. diſt. 35. ar. 2. Gabr. dub. 1. Heric. diſt. 2. cap. 3. §. 2. Ruyz dubit. 3. ſect. 2 Faſſol. quæſt. 14. ar. 1 dub. 6. & Albiz diſt. 2. ſect. 3. docent in Deo verè, & re ipſa non eſſe intellectum eſſentialem ſpecialiter, & ſtrictè ſumptum. Et meritò, quia in Deo verè, & re ipſa nulla eſt facultas productiua intellectionis eſſentialis; neque alicuius termini per ipſam: ergo in Deo verè, & re ipſa non eſt in-

te-

tellectus essentialis, consequentia patet: quia intellectus specialiter, & strictè sumptus, nihil aliud est, quàm potentia, seu facultas productiua realiter intellectionis. Antecedens autem nempè quod in Deo nulla sit facultas, re ipsa productiua intellectionis essentialis, probatur: quia intellectio essentialis, est re ipsa indistincta ab omni entitate diuina, vt patet, ergo à nulla potest re ipsa produci; quia quòd re ipsa producitur abaliquo, re ipsa distinguitur abeo, ex eo enim indiuinis filius realiter distinguitur à Patre; quia ab eo realiter producitur, & Spiritus Sanctus ex eo distinguitur à Patre, & Filio; quia ab eis realiter producitur.

Quòd si respondeas, Deum, siue naturam diuinam, non producere realiter formaliter intellectionem essentialem, eam tamen producere realiter virtualiter, seu æquiualenter productioni formali; quia ab ea distinguitur realiter virtualiter, seu æquiualenter; contra hanc responsionem; est primo, quòd absque fundamento admittitur distinctio realis, virtualis inter intellectionem essentialem, & inter essentiam diuinam: quia quamuis ea admittatur inter essentiam diuinam ex vna parte, & inter personalitatem Patris ex altera, & inter essentiam, & personalitatem filij; quia eidem entitati diuinæ conueniunt duo prædicata, realiter contradictoria, nempè quòd essẽtia diuina realiter cõmunicetur Filio, & Spiritui Sancto, & personalitas Patris non communicatur realiter ipsis, & personalitas filij non communicatur Spiritui Sancto, quæ prædicata conuenire nequeunt, nisi rebus, formaliter, vel virtualiter, seu æquiualenter pluribus, tamen inter intellectionem essentialem, & inter alia prædicata intrinseca Dei à personalitatibus distincta, quibus deberet conuenire distinctio realis virtualis, non est talis distinctio virtualis; quia essentiæ diuinæ, nullum prædicatum reale potest conuenire, quòd realiter nõ cõueniat cuicũq; alij prædicato diuino à personalitatibus distincto; quia id nullo fundamẽto ostendi potest.

Deinde cõtra responsionem est, quod si in Deo nulla est facultas producẽs realiter formaliter intellectionem essentialem, sed tãtùm realiter virtualiter, seu æquialẽter: ergo in Deo non est intellectus realiter formaliter; quia ad rationẽ intellectus, requiritur quod sit facultas realiter producẽs intellectionẽ: ergo ad rationẽ intellectus formalis requiritur quòd sit facultas realiter formaliter producens intellectionẽ, & si nõ sit facultas realiter formaliter producẽs intellectionem, sed tantũ virtualiter, seu æquialẽter, tantũ erit intellectus, nõ formaliter, sed virtualiter; seu æquialẽter, quòd est nõ esse vere intellectum, sed aliquid æquialẽs intellectui: quid autem sit

essen-

essentiam diuinam esse æquiualētē intellectui, & quid sit virtualiter, seu æquiualēter producere intellectionem essentialē, & quomodo essentia diuina se habeat ad intellectionem essentialem, vt eam dicatur, virtualiter producere explicari nō potest: & quidem si ea distinctio virtualis formalis sufficeret ad productionē virtualem realem, nō esset cur essentia diuina non produceret personalitatē Patris; quia ex vna parte, est virtualiter realiter distincta ab illa, & ex altera parte esset radix illi, essentiam autē producere personalitatē Patris inauditum est, & plusquam falsum.

Scriptura ergo, & PP. pro aduersarijs adducti, dum Deo attribuunt intellectum, & mētem, aut ei attribuunt intellectionē, quæ nomine intellectus non raro significatur, vt fit Ps. 135. *Qui fecit cœlum in intellectu*: aut ei attribuunt esse intellectiuū sumpto, pro intellectiuo, radice intellectionis, nēpè pro substantia intellectiua Dei, ex qua tāquā ex radice, nostro modo concipiēdo, oritur intellectio, tanquā attributum illius, & non potētia intellectiua, verè, productiua intellectionis; qualis est intellectus, de quo procedit difficultas.

Et ad rationē eorum cōcedimus Deum esse potētiam, intelligēdi, seu habere vim ad intelligēdum, non vim seu potentiam physicam, qualis est facultas intellectus, nec quasi physicam, sed tantum logicā sumptam pro capacitate, seu pro non repugnantia ad intelligēdum; itavt sensus sit Deum esse capacem intelligendi, seu ei nō repugnare intelligere: imo id est Deo necessarium; quia in eo, est necessariò intellectio, quasi in act. 2. & ei conueniēs tāquam attributū, sicut omnipotentia, & reliqua attributa, in quæ nullam habet actiuitatē: imo in ipso est re ipsa absoluta à suis obiectis, seu absq; respectu reali ad illa (vt Tract. de volunt. Dei dicemus de decreto diuino) ita vt quanuis nulla creatura esset futura, Deus esset vidēs absolutè, & nō creaturas, eadem tamen visione absoluta esset illas videns, si futuræ essent, sicut ipsa modo videt futuras, & Deus esset absolutè; decernēs quanuis nullam creaturam decerneret, & eodem decreto absoluto esset illas decernēs, si futuræ esset; quia ea visio, quāuis absoluta à respectu ad creaturas, sua infinitate quantum est ex se, est visio cuiuscū que, quod sit, aut fiat visibile: & illud decretum, quanuis absolutum à creaturis, pro libertate Dei absque alio actu suæ voluntatis, quasi fit decretum cuiuscumque quod Deus est effecturus, id est effecturus.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in Deo ſit re ipſa ſpecies intelligibilis.

BAñez quæſt. 14. ar. 4. Vazq. diſp. 6. cap. 2, Granad. diſp. 1. num. 9. Ruyz diſp. 4. ſect. 2. & Alarc diſp. 1. cap. 1. Docent in Deo, verè, & re ipſa eſſe ſpeciem intelligibilem, ſeu impreſſam, quòd videtur ſenſiſſe S. Tho. q. 14. ar. 4 & 1. contra gentes, c. 46. & ratione prima: quia eſſentia diuina, loco obiecti iuuat ſuum intellectum: ad intellectionem illius: quia ex obiecto, & potẽtia paritur, vt ſatis vulgariter dicitur, iuuare autẽ, intellectum ad intellectionem, loco obiecti eſt munus ſpeciei intelligibilis: ergo eſſentia diuina, re ipſa eſt Dei ſpecies intelligibilis ad intelligendum.

Aureolus vrò in 1 diſt. 35. ar. 4. Heric. Tracta. 1. diſpu. 2. cap. 3. Albiz diſp. 2. ſect. 2. & alij recẽtiores, docẽt in Deo, re ipſa non eſſe ſpeciem intelligibilem, & meritò; quia vt diximus difficul. 4. in Deo re ipſa non eſt intellectus, ſeu potentia intellectiua: ergo neque ſpecies intelligibilis; quia hæc tantùm admittitur, vt loco obiecti iuuet intellectum, vt ex obiecto, & ex intellectu oriatur intellectio.

Et ob eamdem rationem exiſtimamus, verè & re ipſa in Deo non eſſe habitum, in quo contra Henricum 1. par. ar. 37. quæſt. 1. conueniunt communiter Doctores; quia habitus tantum ponitur, vel ad cooperandum cum intellectu, ad ſubſtantiam intellectionis ſupernaturalis, ſi ſit infuſſus, vel ad facilitandum intellectum, ad intellectionẽ, ſi ſit acquiſitus, vbi autem non eſt intellectus, vt diximus nõ eſſe in Deo, non eſt admittendus habitus.

Addimus, quòd quanuis in Deo eſſet intellectus, non eſſet admittendus habitus; quia hìc in ſua ratione, & munere ſupponit imperfectionem in intellectu, quæ in Deo no eſt admittenda; quia ſi habitus ſit acquiſitus, conceditur ad facilitandum intellectum, aliàs ex ſe difficilem, quòd non haberet locum in intellectu diuino, quia ex ſe non eſſet ſic difficilis: & ſi ſit infuſſus, conceditur ad eleuandum intellectũ ad ſubſtantiam intellectionis ſupernaturalis; quia intellectus noſter eſt naturalis; intellectus autẽ ſi in Deo eſſet, nõ eſſet minus ſupernaturalis, quàm ſua intellectio.

S. Th. ergo pro aduerſarijs aductus, dum ait eſſentiam diuinã eſſe ſpeciẽ intelligibilem, non ſignificat eſſe verè ſpeciẽ, ſed ob ſuam intellectualitatem infinitam, ea non egere, ſeu ab ea excuſari.

Ad

Ad rationem verò eorum conſtat ex dictis, eius antecedens eſſe falſum, nempè eſſentiam diuinam iuuare intellectum ad intellectionem, quod ſupponit falſum, cum in Deo non ſit intellectus, ſi tamen eſſet, non negaremus eſſentiam diuinam eſſe ipſi ſpeciem intelligibilem, concurrentem in ſuo genere, nempè obiecti, quanuis intellectus diuinus eſſet infinitè intellectiuus; quia tantum eſſet infinitè intellectiuus in ſuo genere, nempè potentiæ, & non in genere obiecti.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm eſſentia Dei ſita ſit formaliter in actuali intellectione.

DIfficultas hæc procedit de eſſentia metaphyſica, quæ in qualibet re eſt ratio ipſa prima, & perfectiſsima omniũ, & ex qua, qua ſi ex radice oriuntur omnia alia attributa rei.

Aureolus in 1. diſt. 35. ar. 3. Herice diſp. 3. cap. 3. Faſol. 1. par. quæſt. 4. Aloiz diſp. 2. ſect. 5. & alij docent, eſſentiam diuinam ſitam eſſe formaliter in intellectione, ſeu ſcientia actuali, quòd videtur tradere S. Thom. q. 4. ar. 4. dum de Deo ait, quòd eius intellegere, ſit eius eſſentia.

Et ratione probatur; quia eſſentia diuina ſita eſt formaliter in ratione perfectiſsima, & prima omnium, quæ ſunt in Deo; quia generaliter eſſentia cuiuſcumque rei eſt perfectiſsima, & prima omnium, quæ in ipſa re reperiuntur: ergo eſſentia diuina, ſeu Deitas ſita eſt formaliter in intellectione, conſequentia patet, & etiam maior, minor autem probatur; quia ratio vitæ, eſt ratio omnium, quæ in Deo reperiuntur perfectiſsima, & prima, vt patet intellectio autem diuina eſt in Deo vita, & perfectior, quàm eſſet ratio intellectiui quaſi in actu primo, ſi eſſet in Deo; quia eſt ſubſtantialis, ſicut eſſet ratio intellectiui, & eſt actualior, quàm ratio intellectiui, vt patet: ergo intellectio in Deo eſt ratio omnium perfectiſsima, & conſequenter etiam eſt prima; quia generaliter ratio perfectiſsima cuiuſcumque rei etiam eſt prima, & è contra, quæ eſt prima etiam eſt perfectiſsima.

Capreo verò in 1. d. 38. q. 4. ar. 1. Caiet. 1. p. q. 1. ar. 7. Vazq. q. 13. ar. 2. Granad. diſp. 3. ſect. 2. Alarc. Tract. 2. diſp. 1. c. 5. docent, & meritò Deitatem, ſeu eſſentiam, & naturam diuinam non eſſe formaliter ſitam in intellectione diuina, ſed ineſſe intellectiuo, ſeu in ra-

tione intellectiui per essentiam, seu à se; in eo autem intellectiuo cõ prehenduntur ratio substantiæ, & ratio spiritualis, & ratio viuentis, quasi superioris genericè, & ratio intellectiui, quasi ratio infimè cõstitutiua, & distinctiua ipsius intellectiui.

Et in primis, essentiam non esse formaliter: sitam in intellectione (quòd etiam docet Arrubal disp. 28.) probatur: Quia in Deo, verè, & re ipsa, non tantum est conceptus obiectiuus, infimæ specificus, seu ratio infimæ specifica intellectionis; sed etiam est conceptus obiectiuus, seu ratio infimè specifica intellectiui: quia Deus re ipsa, non tantum est intellectio obiecti, sed etiam intellectiuus: quia re ipsa est intelligens, & ipsi repræsentatur res intellecta, vt patet, sed ex his duabus negationibus, seu cõceptibus, infimè specificis, ratio intellectionis est posterior, nostro modo cõcipiẽdi, dicta ratione intellectiui, & eam præsupponit, vt patet; quia ex eo quod Deus sit intellectiuus, intelligit, & non è contra: ergo in dicta ratione actualis intellectionis, non est formaliter sita Deitas, seu essẽtia diuina, cũ non sit prima ratio infimè specifica prę suppositа ad reliquas omnes, in Deo re ipsa repertas, & essentia cuiuscũq; rei sita sit in ratione infimè specifica illius, & omnium prima, & ob rationem dictam, intellectio non intrat essentiam diuinam, tanquam infimè specificatiuum, seu constitutiuum illius, (vt nõnulli falsò existimãt) quia scilicet est posterior ratione infimè, specificatiua intellectiui, eam nostro modo concipiendi præsupponens, constitutiuum autẽ infimè vltimum rei, nullam rationem infimè specificam rei, præsupponit.

Deinde, quòd essentia diuina sita sit in dicta ratione infimè specifica intellectiui, seu in rationibus substantiæ, & spiritualis, & viuentis, & intellectiuæ, in ipsa ratione infimè specifica intellectiui comprehensis, probatur: quia hæc ratio, est omnium, quæ in Deo reperiuntur perfectissima specificè, vt patet, & nostro modo concipiendi, est omnium specificè prima, cui omnes aliæ rationes specificæ quasi radici attribuuntur, & ex qua omnes aliæ, nostro modo concipiendi oriuntur quasi proprietates; quia ex eo quod Deus sit ens à se substantiale, spirituale viuens intellectiuum, habet quod verè sit summè, & infinite perfectus, omni perfectione simpliciter simplici absque omni imperfectione præditus, v-g quòd sit actu intelligẽs & actu volens quasi in actu secundo, & iustus, & misericors, & omnipotens, & immensus, & summè vnius, seu indiuisibilis, essentialiter realiter, seu absque diuisione, seu distinctione aliqua reali, saltem formali, inter suas perfectiones essentiales, & inter ipsas ex vna parte, & inter esse substantiale, spirituale, viuẽs, intellectiuũ ex altera.

Essen-

Essentia ergo diuina, seu Deitas, est nostro modo concipiendi quasi infime specificè constituta, seu coalescens ex dictis quatuor rationibus, nempè substantiæ, & spiritualis, & viuentis, & intellectiuæ, in eis cõplete specificè sita est, ex quibus peculiaris, seu propria ratio intellectiuæ, est infime, seu vltimo constitutiua illius, & non est sita complete in ratione substantiæ, quanuis nostro modo concipiendi sit prima omnium, quę in Deo reperiuntur; quia non est prima quasi specificè infima, sed est prima generice, ob quod neque est vltimum, seu infimum constitutiuum deitatis, sicut humanitas, seu essentia hominis, nõ est complete sita in ratione substantiæ: quia hęc non est prima infime specifica, sed generica, ob quod neq; est vltimum, seu infimum constitutiuum illius.

S. Thomas verò pro aduersarijs adductus, dum in eo art. 4. & alijs locis, ait intelligere Dei est eius essentia, loquitur in sensu identico; quia in Deo esse, & intelligere sunt re ipsa idem, & non in sensu formali, vt expendunt Granad. & Arrubal, vbi supra, & eodem modo intelligendi sunt nonnulli PP. qui similia verba proferunt.

Et ad rationem concedimus, maiorem nempè essentiam diuinam debere constitui in ratione perfectissima viuendi, & etiam priorem partem minoris, nempè actualem intellectionem esse perfectissimam vitam, in suo tamen genere, nempe vitæ quasi in actu secundo, negamus tamen posteriorem partem minoris, nempe actualem intellectionem esse perfectiorem vitam ipsa vi intellectiua; quia hæc, nostro modo concipiendi, est vita in actu primo, & quasi radix ipsius intellectionis, ipsa verò intellectio est vita quasi in actu secundo, & orta ex illa, quasi operatio illius, ex eo autem quod intellectio sit vita actualior, quam vita in actu primo, non fit esse perfectiorem vitam, quàm sit vita in actu primo; quia solum est actualior, quasi in actu secundo, & quasi accidens, ad eum modum, quo nostra operatio vitalis actuat nostram vitam substantialem, & in actu primo, quæ est multo perfectior, quàm nostra operatio vitalis.

(.*.)

DISPVTATIO SECVNDA.

De obiecto materiali increato scientiæ, seu intellectionis diuinæ.

IN Hac, & in sequentibus disputationibus, in quibus agimus de obiecto diuinæ intellectionis, seu scientiæ, non agimus de obiecto formali; quia Deus nullo motiuo formali; quasi ducitur ad intelligendum: imo neque nos, nisi ad actum fidei, vt diximus Tractatu de fide disp. 1. in initio ante omnem difficultatem. sed tantùm agimus de obiecto materiali, illud autem dicitur obiectum materiale scientiæ actualis, seu intellectionis, quòd ipsi intellectioni obijcitur, seu quòd per eam intelligitur, seu repræsentatur. & quia Deo, vtpote infinitè intellectiuo omnia intelligibilia, tàm increata, quam creata obijciuntur, & ipsi repræsentantur ideo omnia hæc sunt, & dicũtur obiectum materiale diuinæ scientię, seu intellectionis: de his tamen sigillatim agemus.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus se ipsum, & se totum intelligat.

CIRCA Prius conueniunt Theologi, Deum se ipsum intellegere; quòd in primis est de fide, vt constat ex illo 2. ad Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus Dei*, vbi nomine Spiritus Dei intelligitur Deus, & non solum tertia persona Trinitatis. Deinde, id est euidens lumine naturali; quia ex vna parte euidens est, quòd Deus est intelligibilis, & ex altera etiam est euidens, quòd est summè, & infinitè intellectiuus: ergo euidens est quòd se ipsum intelligit.

Quòd autem intellectio Dei sit à parte rei indistincta, ab ipso Deo non obstat, vt sit intellectio ipsius Dei tamquam obiecti; quia intellectio diuina nullo modo causatur, neque producitur, neque prouenit à suo obiecto, sed tantum ab ipso extrinsicè terminatur, ad quòd non requiritur distinctio à parte rei: quia sola, seu pura extrinseca denominatio non requirit distinctionem à parte rei, interterminans, & terminatum: ergo di-

dicta identitas inter Deum, & suam intellectionē, non obstat, vt sit intellectio ipsius Dei, anquam obiecti.

Circa posterius etiam conueniunt Theologi, Deum se totum intelligere; quia ex vna parte intellectio diuina est summè, & infinitè perfecta, ac proinde est infinitè intuitiua, seu comprehensiua: & ex altera parte omnia, quæ sunt in Deo, sunt re ipsa omnino idem, & quid indiuisibile; aut inter se, vt omnia essentialia, aut cum essentia diuina, quanuis sint inter se realiter distincta, vt personalia: ergo intellectio diuina nequit non esse totius Dei, seu omnium, quæ sunt in trinsicè in Deo.

Vnde intellectio diuina, etiam est intellectio sui, tamquam obiecti: quia intellectio diuina, est idem omnino à parte rei, ac ipse Deus, seu ac tota entitas diuina, ob id tamen non est intellectio re ipsa reflexa; quia non est intellectio intellectionis re ipsa distinctas; quia tamen ratione nostra distinguuntur; quia à nobis concipiuntur tamquam intellectio, & obiectum ipsius, ideo intellectio nostro modo concipiendi posterior, est nostro modo concipiendi reflexa: quia ratione nostra concipitur intellectio alterius intellectionis ratione nostra prioris: quod autem nostro modo concipiendi possimus in infinitum procedere, multiplicando intellectiones diuinas reflexas, nempè secundam primæ, & tertiam secundæ, & quartam tertiæ, & sic in infinitum nihil inconuenit, vt aduertunt Granadus Tract. 1. disp. 4. & Albiz disp. 3. num. 18. Quia in earum multiplicatione non deueniemus ad aliquam quam Deus re ipsa non intelligat etiam vltimam, à cuius reflexa intellectione diuina desistimus, non concipiēdo eam à Deo reflexè intelligi: quia quæcūq; diuina intellectio, etiam nostro modo concipiēdi reflexa, est re ipsa omnino, & indiuisibiliter idē cum entitate diuina, quam Deus intuitiuè, & comprehensiuè intelligit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus se in se ipso intelligat.

SVpponimus obiectū intellectionis posse re ipsa tribus modis intelligi, seu cognosci, nempè in se ipso, & in alio, & ex alio.

Illud obiectum dicitur intelligi *in se ipso*, quòd intelligitur, directè, & immediatè, dicitur intelligi directè; quia non intelligitur in obliquo, nempè tamquam terminus, ad quem aliud obiectum, quòd intelligitur, dicat ordinem, sed in recto: dicitur verò in-

telligi *immediatè*, quia intelligitur ab intellectu obiectiuè determinato ab ipso obiecto, seu à propria intelligibilitate ipsius, absq; præuia intellectione alterius obiecti, à quo media illa determinetur ad intellectionem illius.

Illud dicitur intelligi, *in alio*, quòd intelligitur indirectè, seu in obliquo, intellectione videlicet nostro modo concipiendi cadē qua intelligitur obiectum, quòd directè intelligitur, & nō alia distincta, deducta vel quasi deducta ex intellectione obiecti directè intellecti, ob quòd obiectum sic indirectè intellectū potest dici, immediatè intelligi; quia intelligitur absq; alia media, seu præuia intellectione obiecti directi, dici tamē potest, *secundario* intelligi, quia obiectum directum primario intelligitur, vt cōtingit, quando intelligitur obiectum, dicens ordinem essentialem ad aliud, & ordo ipse; quia tunc etiam eadem omnino intellectione, intelligitur terminus ad quē obiectum illud dicit ordinē, v.g. quando intelligitur volitio obiecti, tunc eadem intellectione, qua intelligitur volitio directè, seu in recto, etiam intelligitur obiectum ipsius absq; pręuia alia intellectione: quia ordo volitionis ad obiectum, est in ipsa volitione essentialiter imbibitus; ordo autem ad aliud, nequit intelligi, quin eadem formalitate intellectionis, attingatur terminus illius ordinis, quasi in obliquo, & quasi secundario; quia post obiectum directè intellectum intelligitur.

Illud dicitur intelligi *ex alio*, quòd directè intelligitur ab intellectu determinato ab alio obiecto, priori intellectione intellecto.

Hoc ergo supposito, circa difficultatū conueniunt Theologi Deū non tantum se intelligere per se ipsum (qui est modus intelligendi, tenens se ex parte intellectionis) quia se intelligit per intellectionē, re ipsa indistinctam à se, sed etiam se in se ipso intelligere (qui est modus intelligendi ex parte obiecti, se tenens, de quo disputamus) quia ex vna parte Deus est infinitè, & perfectissimè intellectiuus, vt patet, & ex altera parte est prædicto modo directè, & immediatè intelligibilis & à se ipso, & melius quàm à quocunq; alio: ergo se in se ipso intelligit, consequentia patet; quia obiectum in se ipso intelligi, nihil aliud est, quā sic immediatè, & directè intelligi, vt diximus. Posterior autem seu altera pars antecedentis, nempè quod Deus sic sit immediatè, & directè intelligibilis, & à se ipso probatur, quia ex vna parte Deus est infinitè, & perfectissimè intellectiuus, vt diximus; & ex altera Deus in ratione obiecti intelligibilis, est sibi proportionatissimus, & sibi præsentissimus: ergo absq; interuentu alterius obiecti se ipsum intelligit, id autē est immediatè modo dicto, & directè se intelligere: ergo Deus se in se ipso intelligit; quia se

ip-

ipsum, directè, & immediatè, seu absq; interuentu alterius obiecti intelligit.

Et non solum Deus se in se ipso intelligit, sed etiam se totum in se ipso intelligit, essentiam uidelicet in se ipsa, & attributa in se ipsis, & personalitates in se ipsis, vt patet, ex eo autem quod attributa intelligantur à Deo in essentia, & in personalitatibus, & vnum attributum in alio, & personalitates in essentia, & in attributis, & in personalitatibus non dicuntur intelligi à Deo in alio, sed in se ipsis; quia ex vna parte attributa sunt, re ipsa indiuisibiliter idem inter se, & cum essentia, & cum personalitatibus, & ex altera parte intellectio diuina, vt pote infinitè perfecta attingit illa omnia, prout sunt in se, ac proinde, prout sunt dicto modo indiuisibiliter, idem, & consequenter in se ipsis, & non in alio distincto; quia nullum ex eis, quæ diximus intelligi in prædictis, est ab eis re ipsa distinctum.

Sed quanuis diuinæ personæ sint re ipsa idem cum essentia, & cum attributis, ac proinde, ex eo quòd à Deo intelligantur in essentia, & in attributis, non dicantur intelligi in alio, sed in se ipsis; quia tamen inter se re ipsa distinguuntur, & vna dicit relationem ad aliam, & è contra, ideo vna persona dicitur re ipsa intelligi à Deo in alia; quia intelligendo vnam, nequit eadem formalitate intellectionis, non intelligere aliam tamquam terminum illius, & è contra quod est eam indirectè, seu in obliquo, & in alio intelligere iuxta ea, quæ difficultati sequenti, dicemus de intellectione qua Deus se intelligit in creaturis: id tamen non tollit ipsas tres personas intelligi ab ipso Deo in se ipsis, quia eas etiam intelligit directè, & immediatè, seu absque interuentu alterius obiecti.

Et quanuis quælibet diuina persona, non solùm intelligatur à Deo directè in se ipsa, sed etiam indirectè in alia; nihilominus ex eo non dicitur Deus se intelligere in alio, sed in se ipso: quia Deus intelligens non distinguitur re ipsa à persona intellecta in alia, nec ab hac alia in qua intelligitur, ac proinde etiam tunc Deus dicitur se in se ipso intelligere.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Deus se intelligat in creaturis.

ILLVD dicitur intelligi, seu cognosci in alio quod, vt diximus difficultate præcedenti intelligitur indirectè, seu in obliquo tam quam terminus extrinsecus, ad quem obiectum in quo intelligitur dicit ordinē, eadē scilicèt formalitate intellectionis, qua directè intelligitur obiectum includēs dictum ordinem, ob quem obiectū eum includēs, excitat obiectiuè purè, seu absq; influxu rationali, nēpè absq; præuia aliqua intellectione sui ad intelligendum suum terminum.

Circa difficultatem ergo, non pauci Theologi, quos sequitur Alarcon disp. 2. cap. 2. Docent Deum re ipsa non se intelligere in creaturis, quia Deus intelligendo directè, & comprehensiuè creaturas dicentes ordinem ad ipsum Deum, vt re ipsa dicunt, & vt re ipsa eas intelligit, se re ipsa intelligit directè & comprehensiuè; quia eadem formalitas intellectionis, qua creaturas directè, & comprehensiuè intelligit, est re ipsa intellectio directa, & comprehensiua ipsius Dei; quia Deus se re ipsa intelligit directè, & comprehensiuè, & non alia formalitate intellectionis, nisi ea qua dicto modo intelligit creaturas; quia in Deo re ipsa, non est multiplex formalitas intellectionis, sed tantùm, vna & simplicissima, & omnino indiuisibilis respectu omnium obiectorum: ergo Deus directè & comprehēsiuè intelligēdo creaturas, se ipsum intelligit, directè, & comprehensiuè, & non indirectè, ergo Deus nō se intelligit in creaturis.

Albiz verò Tracta 1. disp. 3. sect. 2. Heric. disp. 4. cap. 2. & alij Recentiores docent, Deum se intelligere in creaturis, & meritò; quia creaturæ sunt essentialiter dependentes à Deo, tamquam à prima causa dicentes, ordinem realem dependentiæ in sua essentia imbibitum ad Deum tamquam ad causam: ergo Deus intelligendo intuitiuè, & comprehensiuè creaturas, vt verè eas intelligit, quasi cogitur ea formalitate intellectionis, se ipsum intelligere indirectè, seu in obliquo, seu tamquam terminum extrinsecum dicti ordinis earum ad ipsum: quia qui comprehensiuè intelligit ordinem ad aliquod obiectum, eadem formalitate intellectionis attingit necessàrio ipsum obiectum, tamquam terminum illius ordinis, Deus ergo re ipsa se cognoscit in creaturis;

quia

quia eadem formalitate intellectionis, qua eas re ipſa cognoſcit, ſe ipſum re ipſa attingit, & cognoſcit indirectè, ſeu in obliquo, tanquã terminum earum.

Hæc autem intellectio diuina, vt attingit creaturas, eſt directa, & iudicatiua, & quidditatiua, & intuitiua, & comprehenſiua earum: vt verò attingit Deum in ipſis creaturis tãtum, eſt indirecta ipſius Dei, quia vt ſic eum tantum attingit, tanquam terminum earum extrinſecum, & vt ſic tantum eſt abſtractiua, & non quidditatiua, quia vt ſic tantum attingit Deum vt exiſtentem, & non quo ad ipſius quidditatem: & vt ſic tantum eſt apprehẽſiua, & non iudicatiua, quia ex vi illius Deus de ſe ipſo nihil affirmat, ſeu iudicat; ſed tantũ de creaturis eas videlicet exiſtere, & dicere ordinem eſſentialem ad ipſum; non verò affirmat ſe ipſum exiſtere, imò neque eſſe terminum ordinis earum etiam ſi ſe apprehẽdat, vt exiſtentem, & vt terminum dicti ordinis; ſed quanuis Deus ex vi ordinis creaturarum ad ſe ipſum non excitetur obiectiuè, niſi tantùm ad cognitionem indirectam, & apprehenſiuam, & abſtractiuam ſui, & ex vi illius, ſic ſe tantum cognoſcat, non tamen impeditur ad ſe intelligendum directè: & iudicatiuè, & quidditatiuè, & intuitiuè, & comprehenſiuè; imò neque impediri poteſt, quia eadem formalitas intellectionis, qua Deus intelligit creaturas, & ſe ipſum, vt terminum earum, eſt re ipſa intellectio directa, & iudicatiua, & intuitiua, & quidditatiua, & comprehenſiua ipſius Dei in ſe ipſo: eadem ergo formalitas intellectionis, qua Deus ſe intelligit, quatenus eſt intellectio ipſius Dei in creaturis, qua ratione re ipſa ſe intelligit, eſt indirecta, & apprehẽſiua, & abſtractiua, & quatenus eſt intellectio Dei in ſe ipſo, qua etiam ratione ſe intelligit, eſt directa, & iudicatiua, & quidditatiua, & intuitiua, & comprehenſiua ipſius Dei; intellectio ergo qua Deus ſe intelligit, non eſt purè indirecta, neque purè apprehẽſiua, neque abſtractiua, quia etiam eſt directa, & iudicatiua, & quidditatiua, & quanuis Deus ex vi connexionis creaturarum cum ſe ipſo, tantum excitetur obiectiuè ad intellectionem indirectam, & apprehẽſiuam, & abſtractiuam ſui comitanter, tamen etiam excitatur ad directam, & iudicatiuam, & quidditatiuam, & intuitiuam, & comprehenſiuam ſui, quia ea formalitas intellectionis, quę eſt intellectio indirecta, & apprehenſiua, & abſtractiua Dei ad quam excitatur ex vi connexionis creaturarum, etiam eſt re ipſa intellectio directa, & iudicatiua, & quidditatiua, & intuitiua, & comprehenſiua ipſius Dei.

Ratio ergo intellectionis indirectæ, & apprehẽſiuæ, & abſtractiuæ in Deo, quanuis noſtro modo concipiendi non dicat omnem perfectionem intellectionis, quia tamen re ipſa non excludit reliquas,

nec

nec est formaliter imperfectio, sicut est obscuritas, non est Deo denegandæ, sicut nec ratio omnipotentiæ, quamuis non dicat omnem perfectionem, quia reliquas non excludit, & ipsa non est formaliter imperfectio.

Ad rationem ergo aduersariorum conſtat, quòd quamuis eadē formalitas intellectionis, qua Deus intelligit creaturas, etiam ſi ſit re ipſa intellectio directa Dei, non tollit quin etiam ſit indirecta ipſius, quia non tollit quin ex vi ordinis creaturarum ad ipſum, etiam ſe intelligat, vt terminum talis ordinis, ac proinde indirectè, quamuis etiam directè non ex vi ordinis creaturarum ad ipſum, ſed comitāter ratione perfectionis diuinæ intellectionis, quia re ipſa etiam eſt directa Dei, quatenus re ipſa eſt intellectio Dei in ſe ipſo, ſeu ratione propriæ cognoſcibilitatis.

Obſeruandum eſt, vt optimè Albiz diſput. 3. ſect. 4. Deum ſe ipſum intelligere in quacumque creatura, ſiue poſsibili, ſiue actuali, quia in quacumque reperitur dependentia eſſentialis à Deo, tanquam à cauſa prima in creatura poſsibili dependentia poſsibilis, & in creatura actuali actualis: & in creaturis, quæ non ſolum reſpiciunt Deum, vt cauſam primam (qua ratione eum omnes reſpiciunt) ſed etiam vt obiectum, quales ſunt actus noſtri intellectus erga ipſum Deum, non ſolum ſe intelligit in eis, vt reſpicientibus ipſum, vt primam cauſam, ſed etiam vt reſpicientibus ipſum, vt obiectum, quia impoſsibile eſt Deum eas, & earum ordinem ad ipſum, vt ad obiectum intelligere quin etiam indirectè ſe ipſum apprehendat, vt terminum videlicet extrinſecum ordinis, ſeu reſpectus earū ad ipſum, vt ad obiectum.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm Deus ſe intelligat ex creaturis.

ILlud dicitur intelligi, ſeu cognoſci ex alio, vt diſtinguitur ab eo quod eſt intelligi in alio, quòd directè intelligitur ab intellectu obiectiuè determinato ab alio obiecto prius cognito.

Hoc ſuppoſito circa difficultatem Albiz tract. 1. diſput. 3. docet Deum ſe ipſum re ipſa intelligere ex creaturis, quia hic modus ſe intelligendi, nullam dicit imperfectionem in ipſa intellectione poſteriori, qua ſe intelligit ex creaturis, nec ſupponit imperfectionem in ea priori intellectione, qua intelligit creaturas, & qua determinatur ad ſe intelligendum alia poſteriori intellectione: ergo hic modus

ſe

ſe intelligendi non eſt Deo denegandus: conſequentia patet, antecedens autem probatur quia in eo modo ſe intelligendi, nulla apparet, nec oſtendi poteſt imperfectio, quod latè proſequitur Albiz.

Herice verò, tract. 1. diſp. 4. cap. 3. & Alarcon tract. 2. diſput. 2. cap. 2. docent, Deum verè & re ipſa non ſe intelligere ex creaturis, & meritò: quia intelligere vnum obiectum ex alio, vt diſtinguitur ab eo, quòd eſt intelligere vnum in alio, ſupponit manifeſtam imperfectionem in intellectione diuina ſecundum ſe: ergo modus Deum ſe intelligendi ex creaturis, vt eſt diſtinctus à modo ſe intelligendi in illis, eſt Deo denegandus conſequentia patet, antecedēs autem probatur, quia modus intelligendi re ipſa vnum obiectum ex alio, vt eſt diſtinctus à modo intelligendi illud in alio, ſupponit duas intellectiones re ipſa diſtinctas, quarum priore intelligatur directè obiectum, ex quo aliud intelligitur, & poſteriore orta ex illa priore, etiam directè intelligatur illud obiectum, quòd ex illo alio intelligitur: quia vnum obiectum re ipſa intelligi ex alio, nihil aliud eſt, quam directè intelligi ab intellectu re ipſa ad id determinato ab alio obiecto prius intellecto, quòd nequit fieri ab eo immediatè obiectiuè, ſeu tanquā ab obiecto, quia alterum obiectum non continetur formaliter in eo, ſed tantum mediatè, tanquam à cauſa efficiente non phyſica, ſed rationali media intellectione ipſius obiecti, tanquam cauſalitate rationali dirigendo intellectum ad aliam intellectionem directam, illius alterius obiecti, ea proportione, qua cauſa finalis, nempè finis concurrit media intentione ſui ad electionem medij, & qua cauſa moralis, v. g. conſulens concurrit efficienter non phyſicè, ſed moraliter medio conſilio ad opus, & intellectus media intellectione obiecti ad amorem eiuſdem, de quibus non nihil dicimus 2. tract. de actibus, diſput. 3. diffic. 9. & tract. de fide, diſput. 4. diffic. 4. modus ergo intelligendi vnum obiectum re ipſa ex alio, & ſe intelligendi Deum ex creaturis, ſupponit duas intellectiones re ipſa diſtinctas, diſtinctio autem, ſeu pluralitas à parte rei intellectionum eſt in Deo impoſsibilis, & manifeſta imperfectio, quia Deus quoad eſſentialia eſt re ipſa omnino ſimpliciſsimus, ex quo conſtat ad rationem in oppoſitum.

Quod autem in Deo noſtro modo concipiendi ſint duæ diſtinctæ intellectiones, altera qua intelligantur creaturæ, & altera, qua Deus ab intellectione creaturarum determinatus, & quaſi dictus ſe ipſum intelligat, quanuis ſufficiat, vt Deus noſtro modo concipiendi dicatur ſe ex creaturis intelligere, nō tamē ſufficit, vt Deus verè, & re ipſa ſe ipſum ex creaturis intelligat, quia vt diximus vna, & indiuiſibilis re ipſa intellectio, qualis tantū in Deo reperitur, nequit re ipſa ad ſe ipſam Deum, nec creaturam determinare.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Deus se ipsum comprehendat.

NOn procedit difficultas de comprehensione sumpta protentione, seu adeptione rei, quia comprehensione sic sumpta, quælibet creatura beata comprehendit Deum, quia visione beatifica eum tenet, seu adipiscitur iuxta illud 1. ad Corinth. 9. *Sic currite, vt cõprehendatis*, sed procedit de comprehẽsione sumpta pro intellectione penetratiua rei intellectæ, & ei vt intelligibili adæquatè proportionata, ratione cuius res tota, & adæquatè intelligitur, tota quidem ita, vt nihil illius, & nihil ad eam pertinens cum quo habeat connexionem, lateat intelligentem, adæquatè verò, quia ex vi illius intellectionis intelligitur modo adæquato proportionato suæ intellectioni: ad comprehensionem ergo Dei sic sumptam, requiritur primo intellectio, qua intelligatur omnino infinitè, seu modo omnino infinito proportionato suæ intelligibilitati in ratione obiecti, quę vt sic est omnino infinita, intellectio videlicet infinitè substantialis, & infinitè intuitiua, quia intelligibilitati Dei omni modo infinitæ perfectio intelligibilis non proportionatur adæquatè, nisi intellectio omni modo infinitè perfecta, qualis est intellectio infinitè intuitiua, & infinitè substantialis identificata cum ipso Deo, qui est obiectum illius ad comprehensionem verò substantiæ creatæ non requiritur intellectio substantialis; sed sufficit accidentalis, quia substantia creata non exposcit nisi intellectionem accidentalem, quia per se ipsam, aut per speciem sui tantum mouet ad talem intellectionem: quòd si Deum mouet ad intellectionem substantialem non est ratione sui, vt patet; sed comitanter, quia scilicet Deus quem mouet, non intelligit, nisi intellectione substantiali, & omnino infinita, & non quia substantia creata ad eam intellectionem per se, & ratione sui moueat, & eam exposcat.

Hoc ergo supposito conueniunt Theologi, Deum se ipsum comprehendere comprehensione dicto modo sumpta, de qua procedit difficultas, & nullam creaturam adhuc animam Christi illum comprehendere, & in primis Deum se ipsum comprehendere negari nõ potest, quia Deus non solum se ipsum totaliter intelligit ita, vt nihil sui in ipso formaliter existens lateat: imò nec aliorum quæ ad ipsum aliquo modo pertinent (quanuis hoc posterius ad comprehensionẽ non sit necessarium, quia cum nulla re creata est connexus) sed etiã adæquatè, quia omni modo infinitè perfecto se ipsum intelligit, nempè

pè in infinitè intuitiue, & infinitè ſubſtantialiter; quia intellectio diuina neceſſariò eſt talis.

Quod verò anima Chriſti Domini, ſua viſione beatifica, Deum nõ comprehendat, dicimus tract. de Incarnat. diſp. 8. diffic. 4. & quod nulla pura creatura, viſione beatifica Deum comprehendat, dicimus tract. de attributis, diſp. 10. diffic. 18. quod in eis tractatibus probamus, quia quanuis anima Chriſti, & quæcumque alia beata, totum Deum intelligat, non tamen modo infinito intuitionis, nec ſubſtantialitatis, quo ſolus Deus ſe intelligit, & videt.

DISPVTATIO TERTIA.

De obiecto materiali creato neceſſario ſcientiæ Diuinæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſsibiles.

DIfficultas hæc tantum procedit de entibus, ſeu creaturis purè poſsibilibus, ſeu nunquam futuris, & non quatenus ſunt non entia actualia; quia de eis vt ſic agemus diffic. 5. ſed de illis vt ſunt entia poſsibilia, quæ ſunt ita neceſſaria, vt adhuc de potentia Dei abſoluta nequeant non eſſe poſsibilia.

Supponimus, in quo Theologi conueniunt, Deum cognoſcere entia purè poſsibilia, nunquam futura, quòd, quanuis nonnulli id, ex ſcriptura probare intendant, difficile tamen ex ea poteſt probari, quia quanuis in ea dicatur omnia eſſe aperta oculis Dei, difficile tamen poteſt probari nomine illorum omnium, non tantum exiſtentia in aliqua temporis differentia; ſed etiam purè poſsibilia ſignificari.

Ratione tamen naturali oſtendi poteſt; vt tamen id naturali ratione oſtendamus, prius examinandum eſt, an in entibus purè poſsibilibus, ſit aliquod eſſe proprium, & peculiare, ratione cuius poſsint à Deo cognoſci.

Circa quod Capreolus in 2. diſtin. quæſt. 2. art. 3. ad argumentum Aureoli contra quartam concluſionem indicat res poſsibiles ab æterno habere actu ſeu ſubiectiue proprium eſſe reale non exiſtentiæ, ſed eſſentiæ improductum, & independens à Deo, ratione cuius terminant ſcientiam, ſeu cognitionem diuinam, qua Deus illas cognoſ-

noscit: hic tamen modus dicēdi, nequit absque errore defendi, quia absque productione à Deo facta, nihil reale potest esse actu, nisi solus Deus.

Valentia quæst. 14. puncto 7. indicat res purè possibiles non habere aliquod proprium esse reale; sed tantum esse suæ causæ, quia nihil earum est à Deo productum, & ideò intellectionem, qua Deus dicitur eas cognoscere, tantum terminari ad esse causæ earum, & non ad aliquod esse proprium earum, quòd tradidisse videtur Aureolus in 1. distin. 35. par. 1. art. 4.

Hic modus dicendi, quatenus asserit intellectionem Dei, qua dicitur res purè possibiles cognoscere, non attingere aliquod esse reale proprium earum; sed tantum esse reale suæ causę, maximè displicet, aliàs Deus eas non cognosceret; sed tantum causam earum, ac proinde Deus nostro modo concipiendi non diceretur ad earum productionem, quasi duci earum cognitione, vt aduertit Suarez lib. 3 de attributis, cap. 2. imò nec eas produceret, quia vellet, quia nequit vellet quòd non cognoscit.

Theologi ergo communiter docent, & meritò res pure possibiles habere esse reale proprium, & peculiare, non esse actuale (quod tantum probatur ratione Valentiæ) sed tantum esse reale possibile; idem omnino à parte rei, quòd illud esse earum, quod actu existeret si produceretur, sicut esse rerū, quæ actu producuntur, quod est possibile, seu in potentia antequam producantur, vt aduertit Vazq. 3. p. disp. 72. n. 11. est idem omnino quod illud esse, quòd posteà actu est, & producitur, quia quod posteà actu est, seu existit, & producitur, est illud, quòd anteà poterat actu existere, seu produci; esse ergo reale rerum purè possibilium dicitur possibile relatiuè, seu denominatiuè à potentia productiua ipsarum, quia sunt obiecta, quæ possunt ab ea produci; absolutè verò dicitur possibile à potentia reali ipsis natiua, non subiectiua quasi fundata in aliquo ente in actu, & quasi præexistente, cui adueniat, aut aduenire possit ipsum existere, & illud recipere, sed à potentia obiectiua, quasi passiua, qua possunt produci, & existere, ad quam necessario cōsequitur in ipsis creaturis possibilibus carentia implicationis contradictionis sui fieri, quia res purè possibiles, talis naturæ sunt, vt in se ipsis non implicent, seu nō contineant contradictionem in suo fieri, & in suo esse actuali.

Ens ergo possibile, est ens, quòd potest produci, id autē potest produci, quod tale est, vt in eo sit carentia implicationis in sui existentia, & productione, quia scilicet est tale, vt in sui productione, & existentia, si fiat, non erunt duæ contradictoriæ, nempè quòd produceretur, & non produceretur, vt verè essent in productione, v. g homi-

minis equi, quia produceretur, vt ſupponimus, & non produceretur, quia hoc complexum homo equus nequit produci, quia homo connotat carentiam identitatis cum equo, & equus cum homine. Vnde ens purè poſsibile directè, & eſſentialiter eſt ens reale, nō ſubiectiuè, ſeu actu, ſed obiectiue, ſeu in potentia, quia eſt obiectum, quòd poteſt produci, & dicit dictam carentiam implicationis contradictionis, in ſui productione, & exiſtentia, non intrinſecè, quia verè eſt ens reale poſitiuum; in poſitiuo autem nulla carentia eſſentialiter imbibitur; ſed conſequutiue, quia conſequitur ad tale eſſe obiectum: ſed quamuis ſit ens reale poſsibile, actu tamen eſt nihil, ſeu non eſt actuale, ſeu ſubiectiue, & quādo à nobis concipitur ens actu, eſt actu ens rationis.

Poſsibilitas ergo rei poſsibilis, relatiuè eſt quædam extrinſeca denominatio ei rei conueniens à potentia productiua talis rei, & abſolute eſt ipſa entitas obiectiua rei poſsibilis, per rationem noſtram ab ea diſtincta, quia à nobis concipitur, quaſi denominatio, & ratio ſuperueniens, ſeu ſuperaddita ipſi entitati obiectiuæ.

Deus ergo vere intelligit, ſeu cognoſcit res pure poſsibiles diſtinctè, & in particulari ſecundum proprias rationes reales, quia vere eas habent non minus, quam res poſsibiles futurę antequam fiāt, & exiſtant actu, quia ex vna parte quæcumque ratio realis, non ſolum actu exiſtens, ſed etiam pure poſsibilis, vtpote vera ratio entis eſt vere intelligibilis, & ex altera Deus eſt in infinitæ perſpicacitatis in intelligendo.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ſe ipſo.

NOn procedit difficultas de creaturis, quatenus in Deo ſunt eſſe Dei, & vita ipſius, iuxta illud, Ioan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ſed de creaturis, ſecundum proprias earum rationes, vt diſtinctis à Deo, qua ratione ſunt eminenter in Deo.

Circa difficultatem ergo Durand. in 1. diſtin. 39. quæſt. 2. Argentina, quæſt. 1. Suarez lib. 3. cap. 3. Albiz tract. 1. diſp. 5. ſect. 12. Heric. diſp. 5. cap. 3. Ruizius diſput. 10. ſect. 4. Meratius diſput. 23. Faſolus quæſt 14 art. 5. dub. 1. & plures alij antiqui, & recētiores docent, Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo, tanquā in obiecto prius cog-

cognito, se obiectiuè excitante ad cognitionem earum, quòd videtur docuisse S. Thom. art. 5. dum de Deo ait: *Alia autem à se videt, non in ipsis, sed in se ipso*: imò id videtur tradidisse Dionisius 7. de diuinis nominibus, dum ait: *Deum non habere cognitionem creaturarum ex ipsis mendicatam, sed eas ex se, & in se, tanquam in causa cognoscere.*

Et ratione probatur, primò, quia in Deo est virtus productiua creaturarum possibilium, nempè omnipotentia, & etiam in eo sunt cognitio, & complacentia earum: ergo Deus cognoscendo suam omnipotentiam productiuam creaturarum possibilium, & suam cognitionem, & complacentiam earum, nequit non excitari ad cognitionem earum quia in dictis tribus prædicatis, seu rationibus diuinis, est respectus realis ad ipsas creaturas possibiles, qui nequit intuitiuè cognosci, vt cognoscitur à Deo, quin etiam ab ipso cognoscantur creaturæ possibiles. Secundò, quia Deus se ipsum perfectè comprehendit, vt diximus disput. 2. diffic. 5. ad perfectam autem comprehensionem rei, requiritur, quòd ex vi cognitionis illius, cognoscantur omnia quæ ad eam rem, quo quomodo pertinent, etiam si ei sint extrinseca, quia non sufficit, ea aliunde comitãter cognoscere, creaturæ autem, quanuis Deo extrinsecæ sint ad ipsum tamen, tanquam suam causam, & auctorem pertinent.

Gabriel verò in 1. distin 35. art. 2. Ocham quæst. 5. Vazquez disput. 60. cap 2. Becanus cap. 10 quæst. 4. Arrubal disput. 30. cap. 2. & plures alij recentiores docent, Deum nõ cognoscere creaturas possibiles in se ipso, tãquam in obiecto prius cognito, se ipsum obiectiue excitante ad cognitionem earum. Et meritò, quia ex vna parte creaturæ possibiles non continentur formaliter in Deo, vt patet, & ex altera, quanuis in Deo sit omnipotentia, quæ est virtus productiua creaturarum, & in eo sit earum cognitio, & complacentia in eis; hæ tamen tres rationes omnipotentiæ, videlicet, & cognitionis, & complacentiæ, sunt re ipsa in Deo absolutæ, absque aliquo respectu reali ad ipsas creaturas, sicut reliqua prædicata diuina, quia in Deo nullus est respectus, seu ordo realis ad illas, nec connexio realis cum illis, quia quanuis nulla creatura esset possibilis, nihilominus Deus verè esset, imò quantum est ex se ipso esset verè factiuus, & cognoscitiuus, & affectiuus earum, sicut etiam quantum est ex se esset visiuus creaturarum existentiam, quanuis nulla esset futura existens, quia Deus (& consequenter omnia prædicata intrinseca ipsius) est magis necessarius, quàm creaturæ possibiles & existentes, & ens firmius quàm ipse, vt patet: ergo Deus prius cognitus, nequit sibi esse mediũ se ipsum obiectiuè excitans, nec quasi ducens ad cognoscendas creaturas possibiles, quia ex re prius cognita, nequit quis excitari ad

cog-

cognoſcendam alteràm, quam nullatenus re ipſa reſpicit.

Reſpectus autem rationis, quem nos in Deo ad creaturas poſsibiles concipimus, & fingimus, quando eum in via non ſicuti eſt cognoſcimus, non ſufficit vt Deus prius à ſe, ſic cognitus, dicatur abſolutè in ſe ipſo cognoſcere creaturas poſsibiles, quia quamuis ſe ipſum ſub eo reſpectu rationis cognoſcat, & in eo reſpectu apprehendat indirectè creaturas poſsibiles, vt nos fatemur, reſpectus tamen iſte, vtpote à nobis fictus, & rationis non eſt aliquid Dei, quia Deus quoad omnia ſua eſt realiſsimus, & abſque omni ratione ficta.

Obſeruandum tamen eſt, vt optimè Vazq quòd quamuis Deus non cognoſcat creaturas poſsibiles in ſe ipſo, tanquam in obiecto, ſeu medio priuscognito, excitante ſe ipſum ad cognitionem earum, dicitur tamen cognoſcere, & intueri illas in ſe ipſo, tanquam in cognitione, ſeu quòd clarius eſt, per ſe ipſum, tanquam per cognitionē, quia eſſentia Diuina eſt ipſi Deo cognitio creaturarum poſsibilium eas repræſentans, & eſt cognitio qua eas cognoſcit quamuis omnino abſolutè, abſque reſpectu aliquo reali repræſentationis, & cognitionis ad illas, vndè in eſſentia Diuina, tanquam in cognitione ſunt obiectiuè creaturæ poſsibiles, quia eſſentia Diuina, tanquam cognitione ipſarum exprimuntur, & in hoc tantum ſenſu loquitur Sanct. Thomas, dum ait, Deum videre creaturas, non in ipſis, ſed in ſe ipſo, vt ipſe ferè exprimit, & dum art. 6. ait, creaturas cognoſci à Deo per ſuam ipſius eſſentiam, & in eodem etiam ſenſu loquitur D. Dioniſius. in eo cap. 7. quia in eo tantum vult Deum non accipere cognitionem creaturarum ab ipſis, ſicut nos accipimus media ſpecie impreſſa ab ipſis accepta, ſed eam ex ſe ipſo, & in ſe ipſo habere non mendicatam ab ipſis, quia ſcilicet ex ſe ipſo, & in ſe ipſo, tanquam in cognitione, quæ eſt cauſa creaturarum, quia cognitione earū, quaſi ductus cauſat creaturas, & non tanquam in obiecto, ſeu medio prius cognito eas cognoſcit, & id tantum vult illis verbis ſemel igitur diuina ſapientia cognoſcens cognoſcit omnia, addimus Dioniſium in eo capite, & S. Thom in eo art. 5. agere de creaturis in aliqua temporis differentia exiſtentibus.

Ad priorem verò rationem concedimus in Deo eſſe omnipotentiam productiuam creaturarum poſsibilium (& ex eo creaturas eſſe in Deo non formaliter, ſed eminenter) & etiam eſſe in Deo cognitionem, & complacentiam earum; negamus tamen Deum in eis rationibus, ſeu eas cognoſcendo cognoſcere creaturas, quia omnipotentia & cognitio, & complacentia diuina creaturarum (ſicut reliqua quæ ſunt formaliter in Deo) ſunt omnino abſolutè à reſpectu,

& ordine reali ad creaturas; ac proinde non ſufficiunt, vt prius cognitæ excitent ad cognitionem creaturarum: quòd ſi cauſa creata, & cognitio & complacentia creaturę excitant, cauſa ad cognitionem ſui effectus, & cognitio, & complacentia ad cognitionem ſuorum obiectorum eſt, quia includunt reſpectum, ſeu ordinem realem, cauſa ad ſuum effectum, cognitio, & complacentia ad ſua obiecta.

Et ad poſteriorem rationem concedimus, Deum ſe perfectè comprehendere, ad id autem non requiritur, quòd omnia extrinſeca poſsibilia, quanuis ad ipſum aliquo modo pertinentia ab ipſo cognoſcantur, cum ad illa non dicat reſpectum realem, ſed ſufficit quod ſe ipſum infinito modo intuitionis, & conſubſtantialitatis cognoſcat, vt diximus diſp. 2. diffic. 5.

Deus ergo cognoſcit ſuam omnipotentiam, & ſuam cognitionem, & ſuam complacentiam conceptu obiectiuo omnino abſoluto à creaturis, ita vt præciſsè ex vi cognitionis omnipotentiæ non cognoſcat ſuam omnipotentiam, eſſe factiuam creaturarum, nec præciſsè ex vi cognitionis, qua cognoſcit ſuam cognitionem, cognoſcat ſe cognoſcere creaturas, nec præciſsè ex vi cognitionis, qua cognoſcit ſuam complacentiam, cognoſcat ſe complacere in creaturis: Nihilominus Deus cognoſcit ſuam omnipotentiam eſſe factiuam creaturarum poſsibilium, cognoſcendo ſuam omnipotentiam, dicto conceptu obiectiuo abſoluto, & ſimul cognoſcēdo creaturas ipſas poſsibiles: & cognoſcit ſuam omnipotentiam efficere creaturas, quas efficit cognoſcendo ſuam omnipotentiam dicto cōceptu, & ſimul cognoſcendo effectionem earum: & cognoſcit ſuam cognitionem eſſe cognitionem creaturarum, cognoſcendo ſuam cognitionē, & ſimul creaturas ipſas, vt cognoſcibiles: & cognoſcit ſuam complacentiam eſſe complacentiam creaturarum, cognoſcēdo ſuam complacentiam, & ſimul creaturas ipſas vt amabiles, quia omni potentiam, eſſe factiuam creaturarum, dicit omnipotentiā abſolutam in recto, & creaturas in obliquo: & cognitionem diuinam eſſe cognitionem creaturarum, dicit in recto ſuam cognitionem abſolutam, & in obliquo creaturas vt cognoſcibiles: & complacentiam diuinam eſſe complacentiam creaturarum, tantum dicit in recto ipſam complacentiam abſolutam, & in obliquo ipſas creaturas, vt amabiles.

(§§)

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ipſiſmet.

NOn pauci ex his, qui exiſtimant Deum cognoſcere creaturas poſsibiles in ſe ipſo, tanquam in obiecto prius cognito, docent non cognoſcere illas in ipſiſmet, ita Caietan. Zumel quęſt. 14. art. 5. Bañez art. 6 Molina art. 5. & 6. Valen. puncto 3. Faſolus art. 5. dub. 1. & plures alij probari autem poteſt primò; quia ſi Deus cognoſceret creaturas poſsibiles in ipſiſmet, ſeu immediatè, & directè, eſſent Deo obiectum motiuum, ſeu formale, vt patet: ergo ab eis cognitio diuina ſumeret ſuam rationem ſpecificam; quia hęc in quacumque cognitione ſumitur à ſuo obiecto motiuo, ſeu formali, conſequens autem eſt abſurdum; quia aliàs Deus quo ad hoc prædicatum eſſentiale ſuæ cognitionis penderet à creaturis, ac proinde eis deficientibus, deficeret Deo ſua cognitio. Secundò probatur; quia ſi Deus cognoſceret creaturas immediatè, & directè, ſeu in ipſiſmet, cognitio Dei quodammodo vileſceret ex eis; quia cognitio ex obiecto immediato, & directo vili vileſcit, ſicut ex obiecto immediato, & directo perfecto perficitur.

Gabriel verò in 1. diſtin. 35. art. 2. Ocham quæſt. 3. Vazquez diſput. 60. cap. 2. Becanus cap. 10. quæſt. 4. Arrubal diſput. 30. Albiz diſput. 5. ſect. 2. Heric. diſput. 5. cap. 4. & plures alij recentiores, docēt Deum cognoſcere creaturas poſsibiles in ipſiſmet, ſeu immediatè, & directè, & meritò; quia ex vna parte creaturæ poſsibiles, vt diximus diffic. 1. in ſe ipſis habent eſſe reale proprium, & peculiare; quanuis non actuale, ſeu exiſtens; ſed tantùm poſsibile idem omnino à parte rei, quòd eſſe earum, quòd actu exiſteret, ſi producerentur, quod eſſe reale eo modo quo eſt eſſe reale, eſt verè intelligibile, ſeu cognoſcibile; quia cognoſcibilitas eſt quaſi paſsio entis, ſaltem entis realis, & ex altera parte Deus eſt infinitæ perſpicacitatis in cognoſcendo: ergo Deus verè cognoſcit creaturas in ipſiſmet, ſeu immediatè, & directè, tendendo immediatè & directè ad earum proprium, & peculiare eſſe reale, quòd in ſe ipſis habent.

Ad priorem ergo rationem aduerſariorum concedimus, creaturas poſsibiles eſſe Deo obiectum excitans ad cognitionem ipſarum; quia ab ipſis, ſeu ab ipſarum eſſe excitatur ad cognitionē ipſarū, nō tanquā ab obiecto formali, ſeu motiuo ad eas cognoſcēdas, tanquā obiecta materialia; quia Deus nullo motiuo formali ducitur

ad intelligendum (imò nec nos nisi ad actum fidei) sed excitatur tanquam ab obiecto materiali directo, extrinsicè solum excitante non intrinsicè media, videlicet specie impressa in se ipso recepta ab ipsis missa nec influxu aliquo reali immediatè ab ipsis proueniente, quia Deus vtpote infinitè, & completè intellectiuus non eget ope, & iuuamine obiecti, sicut eget intellectus creatus ob suam finitam rationem intellectiui, ob quam ex ipso solo non adiuto ab obiecto mediante specie sui, aut aliter non generatur notitia, seu cognitio: vnde axioma illud *ex obiecto, & potentia paritur notitia*, tantum habet locum in notitia, seu cognitione creata, proueniente ab intellectu creato, & eadem proportione, concedimus cognitionem diuinam creaturarum extrinsecè specificari ab eis, nempè terminatiuè, quia ab eis solum, tanquam à termino extrinseco, habet cognitio à diuina, quòd sit creaturarum, quia si ipsę non terminarent cognitionem diuinam, hæc non esset cognitio creaturarum, & ab eis non specificari intrinsecè, quia non habet ab eis, tanquam ab obiecto, nec aliter deriuatam suam intrinsecam perfectionem, sicut habet cognitio creata, quia cognitio diuina à nullo adhuc diuino habet suam perfectionem deriuatam, sed ex se ipsa habet infinitam perfectionem, ratione cuius attingit omne cognoscibile, sicut est eo cognoscibile, & ob id cognitio diuina, non vilescit ex obiecto vili nec perficitur ex obiecto adhuc diuino, sicut vilescit & perficitur cognitio creata, quia scilicet cognitio diuina ex nullo obiecto accipit suam perfectionem, sicut accipit cognitio creata, sed eam in se, in ipsa, & ex ipsa habet, ex quo constat ad posteriorem rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm Deus cognoscat creaturas possibiles infinitas in actu.

SVpponimus Deus omnes creaturas possibiles cognoscere, quòd negari non potest: & earum multitudinem esse infinitam, saltem in potentia, seu synchategorematicè, quia Deus potest efficere creaturas sine fine, seu termino aliquo.

Hoc ergo supposito, difficultas est, an tota earum multitudo sit infinita in actu, seu cathegorematicè, an tantum infinita in potentia, vbi particula, *actu & potentia*, immediatè afficiunt non res ipsas, sed ipsam infinitatem, seu ipsum numerum infinitum.

Du-

Durand. in 1. distin. 39. quæst. 2. Valen. quæst. 14. puncto 6. Suarez 3. par. disp. 26. sect. 3. Pesantius art. 12. & Raguſa 3. par. disput. 39. dub. 2. docent multitudinem omnium creaturarum possibilium, quæ verè est, & quam Deus cognoscit, non esse infinitam in actu, quia multitudo omnium creaturarum possibilium, non est infinita in actu; sed tantum finita in actu, & infinita in potentia, ita vt ei multitudini possit addi alia, & alia creatura sine fine, aliàs omnipotentia Dei maneret exhausta, & deficiens, & quasi impotens, quia vltra multitudẽ infinitam in actu nihil supereſſet Deo faciendũ: ergo Deus non cognoscit multitudinem creaturarum possibilium infinitam in actu, quia verè non est sic infinita, sed tantum finita actu, cui possit addi alia, & alia creatura sine fine, quam semper Deus posset efficere.

Bonauentura verò in 1. distin. 39. art. 1 quæst. 3. Caiet. Molina, & Vazq. quæst. 14. art. 12. Ruizius disput. 20 sect. 5. & plures alij recẽtiores, docent Deum cognoscere multitudinem creaturarum possibilium infinitam in actu: & meritò; quia in multitudine creaturarũ possibilium, quam Deus cognoscit, seu habet in suo pro pectu nõ est aliqua vltima: ergo est actu infinita; antecedens patet, consequentia autem probatur, quia in eo differt multitudo infinita in actu, à multitudine infinita in potentia, quòd hęc ex vna parte est multitudo rerum, quæ omnes à prima, vsque ad vltimam possunt actu numerari, aut assignari vna post alteram, quia est multitudo actu finita, & ex altera parte ei multitudini, quia est infinita in potentia potest vlterius alia, & alia addi sine fine, seu sine vltima, id est, absque eo, quòd perueniatur ad aliquam, quæ sit vltima quoad additionem: multitudo verò infinita in actu, est multitudo rerum, ex quibus numeranti, aut assignanti vnam post alteram, semper restant aliæ, & aliæ sine fine, & sine vltima numerandæ, aut assignandæ, id est, absque eo quòd peruenire possit ad aliquam vltimam, sed multitudo creaturarum possibilium, quæ verè est, & quam Deus cognoscit, est tanta, vt numeranti, aut assignanti partes huius multitudinis vnam post alteram, semper restant aliæ, & aliæ numerandæ, aut assignandæ, sine fine, seu absque eo, quod peruenire possit ad aliquam vltimam, vt patet: ergo multitudo creaturarum possibilium, quæ verè est, & quam Deus cognoscit, est infinita in actu, seu cathegorematicè: imò in quolibet continuo possibili, & in qualibet parte parte proportionali illius, est multitudo partium proportionaliũ infinities infinita in actu.

Et confirmatur, quia si Deus faceret omnia possibilia, quæ cognoscit, diceretur facere multitudinem infinitam in actu: ergo quãdo

ea omnia cognoſcit, vt Deus cognoſcit, dicitur cognoſcere multitudinem infinitam in actu.

Addimus, in quo non pauci contra nonnullos conueniunt, Deum, non ſolum cognoſcere multitudinem infinitam in actu creaturarum poſsibilium; ſed etiam infinitam in actu creaturarum aliquando exiſtentium, quia earum multitudo eſt infinita in actu, vt patet in multitudine cogitationum beatorum, & damnatorum, quæ pro tota æternitatis congerie ſunt futuræ, quia in earum multitudine nulla eſt futura vltima, & eam multitudinem cognoſcit Deus: imò Deus cognoſcet multitudinem creaturarum aliquando exiſtentium infinities infinitam in actu, quia verè eſt tanta in quolibet continuo aliquando exiſtente: imò & in qualibet parte proportionali illius, & eam Deus cognoſcit. Vtraque autem multitudo infinita in actu, tam poſsibilium, quàm aliquando exiſtentium, quam dicimus Deum cognoſcere, non ſolum eſt indiuiduorum, ſed etiam ſpecierum, de quo latè egimus tractat. de Incarnatione, diſputat. 8. difficult. 8. vbi animæ Chriſti conceſsimus cognouiſſe vtramque dictam multitudinem infinitam in actu, & infinities infinitam, quanuis anima Chriſti non cognouerit omnes creaturas poſsibiles, quas Deus verè cognoſcit: ille ergo particulæ *actu*, & *potentia* additę, infinito afficiunt, & referuntur non ad res ipſas, ſeu vnitates multitudinis, ſed ad ipſas infinitates, ſeu multitudines infinitas, quia infinitum non dicitur in actu, quia eius vnitates infinitæ ſint actu exiſtentes in rerum natura, & infinitum non dicitur in potentia, quia eius infinitę vnitates non ſint actu exiſtentes in rerum natura, ſed tantùm in potentia, ſed illa multitudo dicitur infinita in actu, in qua reperiuntur, ſeu aſſumuntur vnitates ſine fine, ſeu ſine vltima, ſiue actu exiſtant in rerum natura, ſiue non, & illa multitudo dicitur infinita in potentia, in qua reperiuntur, ſeu in quam quaſi ingrediuntur vnitates actu finitæ, & eis poteſt addi alia, & alia ſine fine.

Ad rationem ergo aduerſariorum negamus, multitudinem omnium creaturarum poſsibilium non eſſe infinitam in actu, nihilominus quamuis Deus faceret omnes, quas poteſt ita, vt nulla ſupereſſet de nouo facienda, eius omnipotentia non maneret exhauſta, ſeu deficiens, tum quia omnipotentia in eo conſiſtit, quòd poſsit omnia quæ non implicant contradictionem fieri pro tali, aut tali tempore, quòd autem omnibus productis, & perſeuerantibus, non poſſet aliquam aliam producere, non eſſet, omnipotentiam exauriri, & deficere, quia ſi non poſſet aliquid, eſſet, quia nihil eſſet, non implicans contradictionem fieri, ſicut nec eſt diminutio om-

omnipotentiæ, quòd creaturas ſemel productas, & perſeuerantes nequeat eas iterum producere, quia id implicat contradictionem pro tempore quo productæ perſeuerant; tum etiam, quia res omnes poſsibiles ſemel productas, Deus, vt omnipotens efficienter conſeruaret, & etiam quia poſſet eas deſtruere, & iterum producere.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Deus cognoſcat non entia, & quomodo.

DIfficultas hæc procedit, non ſolum de non entibus poſsibilibus, quæ impoſsibilia, ſeu non entia ſimpliciter dicuntur, ſed etiam de non entibus actualibus, non quatenus entia poſsibilia ſunt, quia de eis vt ſic, iam egimus, ſed de illis, vt ſunt non entia actualia.

Pro clariori tamen huius difficultatis intelligentia obſeruandum eſt, primò impoſsibilia, ſeu non poſsibilia dici talia à non eſſe ſimpliciter, ſeu à carentia veri eſſe, quæ eſt ſtrictè negatio, quia repugnat, ſeu contradictionem implicat, illud eſſe reperiri, vt hominem equum ſimul, & ideò ea non entia complexa ex extremis, ſibi inuicem repugnantibus, dicuntur, & verè ſunt negationes, quia ſunt non entia, & nequeunt eſſe entia, quia implicant contradictionem, & ſunt negationes extra ſubiectum, & quaſi per ſe ſtantes: verum eſt in quolibet extremo ex illis, quaſi in ſubiecto reperiri negationem ſimplicem alterius extremi, quia in homine, v.g. eſt carentia equi, abſque aptitudine, vt poſsit eſſe equus, & è contra in equo eſt ſimilis negatio hominis, & quælibet negatio ex his ſimplicibus melius dicitur negatio, quàm ipſa non entia complexa, quia hæc eſt carentia in ſubiecto inepto, & ipſa non entia complexa ſunt negatio, abſque ſubiecto.

Non entia verò actualia, vt Petrum purè poſsibilem actu exiſtentem, ſimul dici talia à non eſſe actuali, ſeu à carentia eſſe actualis, quæ non eſt ſtrictè negatio, ſed priuatio, quia entia purè poſsibilia, quæ ſunt non entia actualia, poſſunt eſſe actualia (quamuis de facto per accidens non ſint futura entia, quia Deus nō vult) & ob id dicūtur poſsibilia, vnde nō entia actualia complexa ex dictis extremis nēpè ex Petro purè poſsibili, & ex actu exiſtēte, & ex ſimilibus extremis per accidens non cohærentibus, poſſunt dici priuationes, quia ſunt non entia actualia, & poſſunt eſſe talia, & ſunt priuationes extra ſubiectum, & quaſi per ſe ſtantes: melius tamen dicitur priuatio

carentia illa ſimplex vnius extremi reperta in altero extremo, quòd eſt quaſi ſubiectum illius, alterius vt carentia eſſe actualis in Petro purè poſsibili, quia hęc eſt carentia in ſubiecto apto, & non carentia illa non entium actualium complexorum.

Obſeruandum eſt ſecundo, impoſsibilia, ſeu non poſsibilia, ſeu negationes ſumptas pro ipſis complexis, ex extremis ſibi inuicem repugnantibus, vt hominem, & equum ſimul poſſe à nobis dupliciter concipi, vno modo diſſentiendo, iudicando videlicet vnum non conuenire alteri, altero modo, ea duo extrema apprehendendo, ſeu concipiendo inſtar, ſeu admodum cuiuſdam ſimplicis ſubſtantiæ, compactæ ex illis extremis, quam chimeram vocamus, & eſt ens rationis, quia nullum habet eſſe, niſi obiectiuè in intellectu, ad differētiam non entis actualis, ſeu priuationis ſumptæ pro complexo ex extremis diuerſis, & per accidens non cohærentibus, quòd quanuis cōcipiatur à nobis, ac ſi eſſet ens actuale, & ex eo diceretur ratione noſtra actu exiſtere, non tamen eſt, nec fit ens rationis, quia cum habeat eſſe reale, quamuis tantum poſsibile, non dicitur totū ſuum eſſe habere ab intellectu, & fictum, in quo conſiſtit eſſentia entis rationis: ipſas tamen ſimplices negationes, quæ ſunt in ipſis extremis repugnantibus: & etiam ipſas priuationes ſimplices repertas in ſubiectis, ſiue poſsibilibus, ſiue actualibus capacibus eorum, quorum ſunt carentiæ concipimus, & fingimus quaſi formas, & qualitates afficientes ſubiecta in quibus reperiuntur.

His ergo ſuppoſitis difficultas eſt, an Deus cognoſcat dicta non entia, & quomodo.

Circa quam certum eſt, Deum cognoſcere non entia complexa, quæcumque illa ſint, ſiue non poſsibilia, ſiue non actualia, quia cognoſcit extrema complexionis, v.g. hominem equum ſimul, & Petrum purè poſsibilem actu exiſtentem ſimul, & Petrum non album, album ſimul, & diuiſionem inter ea, ſeu non cohærentiam, ea autem non entia, & diuiſionem inter ea cognoſcit priori modo, ex duobus prædictis, nempè eis diſſentiendo, vtpote obiectis complexis falſis, ſed abſque diuiſione conceptuum formalium, & cognitionum, quia vnico conceptu formali, nempè ſua ſimpliciſsima eſſentia, quę ſibi eſt cognitio, & conceptus formalis: complexa verò contradictoriè oppoſita dictis complexis, vt hominem non equum, & Petrum purè poſsibilē non exiſtentem & Petrum non album, nō album cognoſcere aſſentiendo, vtpote obiectis complexis veris (abſque cōpoſitione tamen, vt generaliter dicimus de cognitione diuina, diſp. 2. diffic. 3.) quia propoſitio obiectiua vera, quamuis negatiua ſit, proportionatur aſſenſui, & falſa, quanuis affirmatiua ſit, tantum proportionatur diſſenſui.

Ipſas

Ipſas quoque ſimplices negationes, & priuationes cognoſcit Deus; quia ſunt in rerum natura (abſque iudicio tamen; quia ſunt ſimplices) & earum format proprios conceptus obiectiuos (vt aduertit Vazq. diſp. 61. nu. 5. & 6.) quia omnia obijciuntur Deo, ſicut ſunt, aut non ſunt, vnde Deus cognoſcit Petrum cœcum, non ſolum negando non eſſe videntem; ſed etiam affirmando eſſe cœcum, & carentem viſu, ſeu eſſe non videntem: quia non ſolum cognoſcit viſum, & diuiſionem viſus à Petro, ſed etiam carentiam viſus, proprio conceptu obiectiuo, & coniunctionem illius carẽtiæ cũ Petro, quamuis ea carẽtia concipi nequeat non concepto viſu; quia eſſentialiter eſt carentia viſus.

Superſt tamen difficultas, an Deus prædicta non entia, tàm actualia, quàm poſsibilia poſſit cognoſcere poſteriori modo, nempè ad modum vnius entis coaleſcẽtis ex extremis diuiſis, & an etiã cognoſcat prædictas negationes, & priuationes ſimplices, ad modũ formæ, aut qualitatis poſſitiuę afficiẽtis ſubiectum, ſicut nos cognoſcere ſolemus.

Difficultas hæc duobus modis procedere poteſt, vno modo loquendo de cognitione, quam Deus ex ſe ipſo, ſeu primariò, & immediatè habet non relatam ad cognitionem noſtram, nec ad noſtros conceptus obiectiuos, ſeu ex eis non occaſionatam: altero modo loquendo de cognitione, quã Deus habet ſecundario, & mediate relatam ad cognitionem noſtram actualem, aut poſſibilẽ, & ad noſtros conceptus obiectiuos, ſeu ex eis occaſionatam.

Circa difficultatem in priori ſenſu, & modo, Henr. Quodl. 1. quæſt. 1. Canar. q. 28. ar. 2. diſp. 2. Molina diſp. 3. & 5. & alij Recentiores exiſtimant Deum ex ſe ipſo ea non entia, & eas ſimplices carentias, ſeu negationes, & priuationes concipere ad modum entis; quia prædicta non entia, & carentiæ, ſunt intelligibilia ad modum entis: ergo Deus qui eſt infinitè intellectiuus, poterit ea dicto modo intelligere.

Vazq. verò diſp. 61. & 118. Arrubal diſp. 34. cap. 4. Suarez in Metaphy. diſput. 7. ſect. 1. & plures alij docent Deum ex ſe ipſo, ſeu immediatè non poſſe ea non entia, nec eas ſimplices carentias ad modum entis cognoſcere, & meritò; quia Deus eſt omnino, & infinitè intellectiuus, & perſpicax: ergo ea ad quæ ex ſe ipſo, & immediatè fertur perſpicit, & cognoſcit ſicut ſunt, aut non ſunt, & non aliter: ergo ea, quæ non ſunt, nequit concipere vt entia; ſicut ea, quæ ſunt, nequit, vt non entia conciperet: quia eſt imperfectio, & defectus perſpicacitatis, res aliter concipere, quàm ſunt, aut non ſunt, & eſt imperfectæ cognitionis non adæquari; & confor-

ma-

mari rei cognitę, ſicut in ſe eſt, aut non eſt.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, ea non entia, & eas ſimplices carentias, eſſe intelligibilia admodum entium, non à quocunque, ſed tantùm ab intellectu imperfectè attingente obiecta, qualis eſt noſter intellectus; quia ea ſic intelligere, eſt aliter, quàm in ſe ſunt cognoſcere, nō verò â Deo, qui ex ſe ipſo ob ſuam infinitam perſpicacitatem, omnia concipit, ſicut in ſe ſunt, aut non ſunt.

Circa difficultatem in poſteriori ſenſu, & modo, Vazquez diſp. 61. & 118. conſtanter defendit, Deum nullo modo, nec ſecundariè, ſeu cognitione habita, & occaſione noſtri intellectus, illa cognoſcentis, admodum entis, poſſe ea, admodum entis cognoſcere, id autem probat primo à priori; quia quanuis Deus cognoſcat cognitionem noſtram, qua dicta non entia, & carentias concipimus admodum entis, illa tamen, vt ens fictum à nobis concepta, non obijciuntur intellectui diuino; quia in eo non eſt noſtra cognitio, ratione cuius, illa ſic fictè, obijciuntur nobis; quia conceptus obiectiuus, vt obiectiuus dependet à cognitione, & à conceptu formali, & ei correſpondet: & ex eo ait Vazquez prouenire, quod quanuis Deus cognoſcat noſtrum diſcurſum formalē, ipſe tamen nō dicatur diſcurrere, & quòd quanuis cognoſcat conceptionem, qua nos concipimus res ſpiritales, vt corporeas, ipſe tamen eas non ſic concipiat.

Secundò, id probat ab abſurdo; quia ſi Deus ea non entia admodum entis cognoſceret, & ſuo intellectui ſic obijcerentur, effingeret ens illud, ad cuius modum illa non entia cognoſceret, & illud efficeret ens rationis, quanuis aliàs ſupponatur fictum, & factum ab intellectu creato; quia hoc non tolleret, quin intellectui diuino; ita obijceretur, vt abſque cōcurſu intellectus creati, ens illud fictum eſſet ſufficienter obiectiuè in intellectu diuino, quod ſufficeret, vt illud fieret ens rationis à Deo, id autem videtur abſurdum, vt pote Deo indignum.

Molina verò quæſt. 14. ar. 9. Suar. & Arrubal vbi ſuprà, & plures alij docent Deum, ſecundariè, & mediatè, & occaſionaliter ea non entia complexa, & eas ſimplices carentias, admodum entis cognoſcere, quatenus ea cognoſcit, prout à nobis cōcipiuntur, aut concipi poſſunt.

Et id abſque dubio docet Sanctus Thomas articul. 9. dum ait. *Deum cognoſcere omnia, quæ à nobis cogitari, & imaginari poſſunt.*

Et meritò; quia Deus eſt infinitè perſpicax: ergo omnia perſpicit, vt ſunt, & habent eſſe, vel reale, vel fictum, vel fingibile

le à nobis ; eſſet enim defectus perſpicacitatis , non attingere omnia , quæ ſunt , & poſſunt eſſe , non ſolùm extra mentem noſtram , ſed etiam in ea , & non ſolùm conceptus noſtros formales , ſed etiam obiectiuos , quales fuerint , ſiue reales , ſiue tantùm rationis.

Et id non leuiter confirmatur, primò ; quia Deus comprehendit omnes noſtras fictiones formales : ergo etiam obiectiuas eis formalibus correſpondentes ; quia formales eſſentialiter dicunt reſpectum realem ad obiectiuas; quia eſſentialiter ſunt fictiones obiectiuarum.

Et confirmatur ſecundò; quia negari non poteſt, Deum cognoſcere propoſitiones noſtras formales , quibus affirmamus , aut negamus ea non entia cognita à nobis, admodum entis, verbi gratia ; qua dicimus , *chimera eſt ens rationis* , aut *non eſt ſubſtantia realis* . Et etiam cognoſcere, an ipſe propoſitiones formales , & propoſitiones obiectiuæ earum , ſint veræ , vel falſæ : ergo nequit non cognoſcere extrema earum propoſitionum obiectiuarum, quæ ſunt entia rationis.

Ad priorem, ergo rationem in oppoſitum , Reſpondemus ex eo, quòd in Deo non ſit noſtra cognitio , & fictio formalis, qua illa non entia concipimus, vt ens tantùm ſequi , quod Deo ratione illius noſtræ cognitionis, & fictionis non ſic obijciantur; quia tamen in eo ſua eſſentia eſt ſibi cognitio , & conceptus formalis , ideo ratione illius; quia infinita eſt, poſſunt Deo obijci, & apparere talia, qualia, nobis obijciuntur, & apparēt: Nec obſtat, quòd ſit diſtincta à cognitione, qua nos ſic illa cōcipimus; quia quòd vni obijcitur, poteſt alteri obijci, & eodemmodo ſe tenente ex parte eius , quòd obijcitur; ita vt vni talis appareat, qualis alteri, vt videre eſt in duabus diſtinctis cognitionibus de vna re, quibus vnus, & idem cōceptus obiectiuus correſpōdet; quia ex eo dicuntur veræ; quia repræſentāt rē eo modo quo eſt , ſeu talem qualis in ſe eſt: id autem, quòd dicitur, quòd cōceptus obiectiuus, vt obiectiuus dependet à formali , in eo tantùm ſenſu, eſt verum, quòd ſcilicet res non appareat, nec obijciatur intellectui, niſi ratione cognitionis , & conceptus formalis : & quòd eis ſecundùm proportionem correſpōdeat, nō verò, quòd alij cognitioni, & cōceptui formali non poſsit, vt talis obijci . Vnde Deo nō ſolum obijcitur noſter diſcurſus formalis, ſed etiam obiectiuus, quanuis tantùm ſecundariè, & occaſionaliter , non tamen dicitur re ipſa diſcurrere ; quia conceptus ille obiectiuus in Deo non reſpondet pluribus cognitionibus, quòd requiritur ad diſcurſū formalem, ſed vni tantùm, & ſimpliciſsimæ: & eodēmodo nō ſolum ob-

obijcitur Deo noſtra conceptio formalis, qua concipimus res ſpirituales quaſi corporeas, ſed etiam res ipſæ tales quales à nobis conceptæ ſunt, non ex ſe ipſo; quia vt ſic eas, vt in ſe ſunt ſpirituales concipit, ſed ſecundarie, & occaſionaliter quatenus eas cognoſcit, vt à nobis conceptas vnde ex ſe ipſo, & immediatè eas concipit, vt ſpirituales, ſecundariè verò, & perſpiciens quòd à nobis concipitur, & quòd nobis apparet, eas perſpicit, vt materiales, quales nos perſpicimus.

Ad poſteriorem rationem ab abſurdo deſumptam. Reſpondemus, aut id non eſſe in toto rigore Deum facere, ſeu effingere entia rationis; quia ſolum ea cognoſcit: quia præſupponuntur ficta à nobis, vel fingibilia, aut ſi id ſit entia rationis facere, & effingere (vt nos exiſtimamus) quia ex eo dicta entia tantùm ſunt obiectiuè in intellectu diuino, & non à parte rei, in quo conſiſtit eſſentia entis rationis, id tamen non efficit Deus primariè, ſeu ex ſe ipſo, ſed ſecundariè, & quaſi occaſionatus ex intellectione noſtra, quòd non exiſtimamus abſurdum, nec Deo indecens imò eſſet defectus perſpicacitatis in Deo, non cognoſcere res, & immediatè, ſeu prout in ſe ſunt, & ſecundariè, & occaſionaliter, prot ſunt prius obiectiuè in intellectu noſtro; quia in eo res ſunt aliter quam in ſe, ad infinitam autem perſpicacitatem ſpectat res omni modo quo ſunt, & eſſe poſſũt perſpicere, nihilominus, quanuis prædicta tantùm cognoſcat ſecundariè, & occaſionaliter, ea tamẽ non ſolùm cognoſcit indirectè in noſtra videlicet cognitione, tanquam obiecta ipſius, ad quæ eſſentialiter dicit reſpectum, ſed etiam directè ea etiam in ſe ipſis cognoſcendo.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Deus cognoſcat mala, & quomodo.

SVpponimus mala eſſe in triplici differentia, nempè mala naturæ & mala pœnæ, & mala culpæ, mala naturæ ſunt, quæ ſunt phyſicè mala, ex quibus aliqua conſiſtunt in poſsitiuo, vt calor reſpectu aquæ, & aliqua in priuatione perfectionis naturalis, vt cæcitas in homine, & aliqua in deſtructione rei, vt corruptio hominis: mala pœnæ ſunt ſupplicia, ex quibus aliqua conſiſtunt in poſsitiuo, quæ regulariter ſunt mala naturę, vt combuſtio hominis; & aliquando non ſunt mala phyſicè, ſed tantùm politicè, vt reprehenſio; & aliqua conſiſtunt in priuatione bonitatis, aliquando phyſicæ, aliquando

do politicę, mala culpæ, vt peccata, quorum ratio formalis, aut consistit in positiuo reali, aut in positiuo rationis, aut in priuatione rectitudinis, seu bonitatis moralis, iuxta varias opiniones, quas retulimus, Tract. de peccat. disp. 1.

Hoc ergo supposito, saltem fide negari non potest, Deũ omnia tria dicta mala cognoscere: mala naturæ, vt constat ex illo Sapientiæ 8. *Monstrat scit antequam fiant*, & mala pœnæ, vt constat ex illo Amos 3. *Si est malum in ciuitate quòd non fecerit Dominus*, quòd autẽ à Deo fit, necesse est ab illo cognosci: & mala culpæ, vt cõstat ex illo Amos 5 cognoui scelera vestra.

Est tamen discrimen, quòd mala pœnæ, & naturæ cognoscit, non tantùm ea nude cognoscendo, sed etiam illa approbando, & ideo dicitur ea scire scientia approbationis, mala verò culpæ, nuda tantùm cognitione, & ideo Habacuc. 1. dicitur mundi sunt oculi tui, ne videas malum, quòd de cognitione approbationis intelligendum est.

Omnia autem prædicta mala, non solum, quoad positiua realia, quæ dicunt, Deus cognoscit proprio eorum conceptu obiectiuo, quod certissimum est, sed etiam quòd ad carentias, & quo ad rationes rationis, si aliqua mala eas dicunt, vt diximus difficultate præcedente; quia Deus ob suam perspicacitatem infinitè perfectã ex se ipso, & absque speciebus desumptis ab obiectis, ea concipit sicut sunt, aut non sunt, nempè entia realia, vt realia, & rationis, vt rationis, & non entia, seu carentias, vt non entia, seu vt carentias, ac proinde ea omnia proprio conceptu obiectiuo, & non alieno ad differentiam nostri intellectus, qui ideo nequit res spirituales, nisi, vt corporeas concipere; quia eas non nisi per species rerum corporearum concipit, & carentias, seu non entia nõ nisi admodũ entis, seu quasi entia cõcipit, quia ea nõ nisi per species, ab entibus acceptas cõcipit, & ideo sola entia sunt à nostro intellectu per se, seu proprio cõceptu obiectiuo intelligibilia.

Ita tamen dictæ carentię, tàm destructionis, quàm priuationes perfectionis à Deo proprio earum conceptu obiectiuo cognoscuntur, vt Deus nullã possit cognoscere, quin etiã cognoscat bonitatẽ, cuius est carentia, quia quælibet carentia, essentialiter est carentia illius bonitatis.

Est tamen difficultas, cuius bonitatis cognitio sufficiat Deo ad cognoscendas dictas malitias in dictis carentijs consistentes.

Ægidius in 1 dist. 36. 1. par. dict q. 2. Palatios distinct. 38. disp. 1. Nauarrete, & Zumel q. 14. ar. 10. docent, ad id sufficere Deo cogno-

noscere suam bonitatem. Quòd indicare videtur D. Dionysius 7. de Diuinis nominibus, dum ait. *Quòd animus diuinus non nouit existentiae ex existentibus, sed omnem scientiam ante eo ambit ex se, & in se, sicut, & lux in se cognitionem tenebrarum præambiait, non aliunde videns tenebras, quàm lumine*, indicat ergo, quod Deus, qui est summa lux tenebras peccati, & alias malitias in carentijs consistentes in se ipso, seu in sua bonitate, cognoscat sicut lux, si cognoscitiua esset, cognosceret tenebras in se ipsa.

Et ratione probatur primò: quia malitia sufficienter cognoscitur, cognita bonitate cuius est carentia, sed in Deo est bonitas formaliter, cum sit summè, & infinitè bonus: ergo Deus cognita sua bonitate, cognoscit omnem malitiam in carentia bonitatis existentem; & id specialiter de malitia peccati.

Probatur secundò; quia hæc malitia est priuatio Dei, seu auersio à Deo: ergo Deus eam malitiam cognoscit, se ipsum cognoscendo, tamquam id quo priuat, & à quo auertit.

Durandus verò in prima distinct. 36. quæstio. 1. Suarez libr. 3. de Attributis capit. 3. Molina, Valentia, Vazquez, Herice, Albiz, & Fassolus quæst. 14. articul. 10. (quibus in eo articul. fauet Sanctus Thomas) docent ad cognitionem cuiuscumque malitiæ, non sufficere Deo cognitionem suæ bonitatis, sed ipsi esse necessarium bonitates creatas, quarum sunt carentiæ cognoscere.

Et meritò; quia nulla est, nec esse potest malitia, quæ sit destructio bonitatis Dei, vt patet, nec quæ sit priuatio bonitatis Dei, tamquam propriæ formæ, seu habitus, sed tantum bonitatis creatæ, vt etiam patet: ergo nulla malitia in priuatione bonitatis consistens, potest à Deo sufficienter cognosci, non cognita bonitate creata, etiam si cognoscatur bonitas diuina, consequentia patet; quia nulla est carentia, quæ sit destructio, aut priuatio in quarum vna, aut altera consistat, dicta malitia cognosci potest, nisi cognito eo cuius est destructio, aut priuatio; quia essentialiter est carentia destructiua, aut priuatiua illius: & quia etiam est carentia Dei, quamuis non tamquam formæ, sed tantùm tamquam causæ, & aliquando, etiam tamquam obiecti, aut finis, & ideò non immediatè, & proximè, sed mediatè, & remotè; nempè mediante ipsa bonitate, cuius dicta carentia est destructio, aut priuatio, & cuius Deus est causa, & aliquando etiam obiectum, aut finis, sicut cœcitas priuat immediatè visu, tamquam forma, & mediatè colore, tamquam obiecto ipsius visus; ideò, vt Deus dictas malitias cognoscat, etiam est necessariũ se ipsũ cognoscere ea proportione, & quasi eo loco, quo respicitur

ab

ab ipsa malitia destructiua, aut priuatiua, vt statim declarauimus.

Ita tamen est Deo necessarium, ad cognitionem cuiuscumque malitiæ in carentia destructiua, aut priuatiua, consistentis, cognoscere bonitatem creatam, cuius est carentia, & se ipsum, vt non sit ei necessarium eam bonitatem, nec se ipsum præcognoscere, seu prius nostro modo concipiendi cognoscere, quam ipsam malitiam, seu carentiam (quidquid dicant Arrubal disput. 36. & Fasolus quæstion. 14. articul. 10. dub. 2.) quia ex vna parte dicta malitia, seu carentia est ratione sui, proprio conceptu obiectiuo cognoscibilis à Deo, vt de quacumque creatura diximus difficul. 5. & ex altera parte, ad cognoscendam dictam malitiam, nullo cogitur Deus, ad prius cognoscendam bonitatem, cuius est carentia, nec se ipsum; quia essentialis respectus negatiuus malitiæ ad bonitatem, cuius est carentia, nō cogit, nisi, vt in ipsa malitia, seu carētia indirectè cognoscatur bonitas cuius est carētia, sicut essētialis respectus positiuus rei ad alterā, v.g. creaturarū ad Deū, tantū cogit, vt in re respiciente alterā, hæc altera indirectè cognoscatur.

Ex eo, ergo quòd dicta malitia dicat essentialiter respectum negatiuum immediatè ad bonitatem creatam, & mediatè ad Deum, media scilicet bonitate creata, cuius tāquam formæ est carentia, Deus quasi cogitur, & necessitatur cognoscēdo primario malitiā, ad cognoscēdū in ea secūdariò bonitatē creatā, & hāc cognoscēdo, ad se ipsum cognoscēdū, quasi tertio loco cōparatione malitiæ, & secūdo loco cōparatione bonitatis, in qua quasi proximè cognoscitur. Dionys. autē ab aduersarijs adductus in eo, c. 7. nō agit de cognitione malitiæ, quasi eam Deus intelligat, & per suam bonitatē, sed de cognitione, & modo quo omnia creata cognoscit, & nihil aliud vult, nisi quòd Deus sui intellectus perspicacitate, & claritate habeat ex se ipso omniū notitiam, nō mēdicatam à rebus ipsis, sed ad eas anticipatā, sicut lux si cognoscitiua esset, cognosceret ex se ipsa tenebras, & nō notitia à tenebris mēdicata, id tamē non tollit Deo ad cognoscēdam malitiā, necessariū esse cognoscere bonitatē creatā, quòd nō est mēdicare notitiā à bonitate creata; quia ab hac nō habet eam notitiam, nec media aliqua specie missa ab ipsa bonitate, nec medio aliquo vero influxu ipsius bonitatis creatæ. Ad prio rē, ergo rationē aduersariorū admittimus malitiā in carētia cōsistē tē sufficiēter cognosci cognita bonitate, vel cuius est destructio tāquā termini, vel cuius est priuatio, tāquam formæ (& etiam cognitis necessarijs ad cognitionem illius bonitatis) quia dicta malitia essentialiter cōsistit in carētia destructiua, aut priuatiua dictæ bonitatis, nulla autē malitia, potest esse carentia, nec destructiua bonitatis

Dei

Dei, vt termini nec priuatiua illius, vt formæ; quia nullius formalitatis in Deo existentis, potest esse destructio, vt termini, nec priuatio, vt formæ, vt patet. quanuis mediatè sit priuatio Dei, vt causæ, & possit etiam esse, vt obiecti, vel vt finis: Ex eo autem, quod malitia sit destructio bonitatis creatę, vel priuatio illius, vt formæ nõ fit quod etiam, sit destructio bonitatis diuinæ, vt patet, nec quòd sit priuatio illius, vt formę; quia bonitas creata, & est distinctissima à bonitate diuina, & non est in Deo, sed extra Deum, Deus igitur dicitur infinitè bonus non quasi extensiuè; quia formaliter contineat omnes bonitates creatas; quia eas non sic continet; sed quia est bonus bonitate essentialiter infinitè perfecta, distinctissima à bonitatibus creatis, & rationis, seu quasi speciei infinitè sublimioris.

Et ad posteriorem rationem respondemus ea sola probari ad cognoscendum malitiam peccati, necessarium esse Deo se ipsum cognoscere, vt finem creaturæ rationalis; quia est priuatio Dei, vt sic, non tamen sufficit, nisi etiam cognoscatur bonitas creata, cuius est priuatio tamquam formæ: imò & prius nostro modo concipiendi quam ipse.

DISPVTATIO QVARTA.

De obiecto materiali creato libero diuinæ scientiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus habeat scientiam futurorum contingentium.

SVpponimus id quòd nullus, quanuis insanus, Deo negauit, nempè Deum scire, seu cognoscere omnia entia creata præsentia, & etiam pręterita, & non solùm necessaria, sed etiam contingentia, seu libera; quia etiam possunt ab Angelis, imò & ab hominibus certo cognosci, quanto magis à Deo, cuius intellectiua perspicacitas est omnino infinita præsens: ergo difficultas est, an Deus etiam habeat scientiam, seu certam cognitionem futurorum contingentium, seu liberorum.

Pro huius autem resolutione obseruandum est, primò, rem esse fu-

futuràm eſſe, exiſtentiam rei, eſſe exercendam tempore futuro, cum connotatione, ſeu habitudine, ad carentiam talis exiſtentiæ tempore antecedente, itaut res futura directè, ſit exiſtentia rei tempore futuro exercenda, ſeu ponenda, & connotans, non ſolum tempus ipsũ futurum, ſed etiam carentiam, illiusexiſtentiæ tempore antecedẽte, ſicut res præterita directè eſt exiſtentia rei tempore præterito exercita, & connotans dictum tempus præteritum, & carentiam talis exiſtentiæ tempore ſequente; & res præſens eſt directè, exiſtentia rei exercita, & connotat ipſum tempus præſens, & coexiſtentiam rei tẽpore ipſo præſenti, ita tamen res futura, quando eſt purè futura, connotat carentiam exiſtentiæ, vt quando nõ eſt purè futura, ſed etiam præſens nõ cõnotet abſolutè carentiam, exiſtentiæ tempore antecedente ipſam futuritionem, ſed carentiam perſeuerantiæ; quia tunc non eſt abſolutè futura, ſed tantum futura, quoad perſeuerantiã, res autem purè futura, tempore præſenti, eſt à parte re purè futura, non ſubiectiuè, quaſi antefuturitionem, ſit aliquid actu cui cõueniatfuturitio, quaſi ſubiecto præxiſtenti; quia actu non eſt aliquid, ſed nihil, ſed tantũ eſt à parte rei obiectiuè; quia ſcilicet eſt producenda, & extitura: eſſe autem ipſius rei futuræ, eſt re ipſa diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ; quia eſſe ipſius eſt producendum à ſua cauſa, & nihil à ſe producitur: futuritio verò ipſa potius eſt denominatio extrinſeca ipſi rei futuræ proueniẽs ex eo, quòd res nõ exiſtens à parte rei, ſit producenda, quam ſit aliquid rei intrinſecum, aliàs quãdo rei deficeret futuritio, quæ ei deficit, quãdo producitur deficeret ei aliquid intrinſecum, quòd eſt manifeſtè falſum; quia totum eſſe rei, quòd in ipſa erat futurum producitur, & fit.

Obſeruandum eſt ſecundò, futura â cauſa creata de quibus procedit hæc diſputatio eſſe in dupli differentia; quia alia ſunt futura omnino neceſſaria, illa ſcilicèt, quæ proueniunt à cauſa naturali, ad vnum determinata, quę à nulla alia cauſa creata, nec naturali, nec libera impediri poteſt, vt ortus Solis, & Eclypſis: Alia ſunt futura contingentia, illa ſcilicèt, quæ ita fiunt à ſua cauſa proxima, vt poſſent ab ea non fieri: hæc tamen futura contingentia, ſunt etiam in duplici differentia: quia alia ſunt, quæ ab intrinſeco ſunt contingentia, qualia ſunt opera libera, quæ ſcilicet pendent à cauſa, quæ poſitis omnibus requiſitis, ad operandum manet indifferens ad operandum, & non operandum: & alia ſunt, quæ tantum, per accidens, & ab extrinſeco ſunt contingentia, vt ægritudo, & pluuia, quæ ſcilicèt pẽdẽt à cauſa naturali, quę impediri poteſt a alia cauſa creata: & hæc futura cõtingentia per accidẽs, & ab extrinſeco, etiam ſunt in duplici differentia; quia alia ſunt, quæ proueniũt à cauſa pro

xima naturali, quæ solum potest impediri ab alia creata naturali, & alia sunt, quę pẽdent à causa naturali, quæ impediri potest, ab alia causa creata libera.

His ergo suppositis, difficultas non est, an Deus sciat, seu certo cognoscat futura omnino necessaria: quia hęc non solum à Deo, sed etiam ab Angelis: imo etiam ab hominibus sciuntur, seu certò cognoscuntur nec an cognoscat futura, quæ sunt per accidens contingentia, quæ tantum possunt impediri ab alijs causis naturalibus; quia hæc etiam certò cognoscuntur ab Angelis; quia optimè cognoscant omnes occursus, & oppositiones causarum naturalium quanto magis à Deo, sed an cognoscat futura, ab intrinseco contingentia, qualia sunt, quæ proximè, aut remotè pendent à libero arbitrio, quòd suaptè natura potest operari, & non operari: & an etiam cognoscat futura, per accidens contingentia, quæ pendent à causa naturali impedibili, per causam liberam creatam; quia horum futurorum contingentium, eadem est ratio, ac de futuris ab intrinseco contingentibus; quia etiam pendẽt à libero arbitrio: procedit autem hęc difficultas: imo & plures sequentes de futuris contingentibus absolutis; quia de futuris cõtingentibus cõditionatis agemus à dif. 9.

Circa hanc difficultatem Cicero. lib. de Fato. & lib. 2. de Diuinatione scientiam infallibilem horum futurorum contingentiũ, etiam Deo denegauit, qui (vt ait Augusti lib. 5. de Ciuitate c. 9.) vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos; quia existimauit sciẽtiam infallibilem horum futurorum, non posse cum libertate cohærere, & in eodem errore cogitur esse, Arist. 1. de Interpretatione cap. 8. dum negauit in propositionibus de futuro cõtingenti, reperiri veritatem determinatã, cogitur autẽ; quia quòd determinatè non est verum, sed quasi suspensum, & indifferens ad veritatem, & falsitatem, nequit, vt verum sciri, præsertim à Deo, qui non cognoscit res aliter quam sunt, & generaliter, quòd non est verum, nullo potest sciri, seu certò cognosci.

Nihilominus de fide est Deum futura contingentia, quæ à libero arbitrio pendent, præscire antequam sint, & ea certò, & infallibiliter præcognoscere, vt constat ex innumeris Sacræ Scripturæ testimonijs, præsertim. Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe: omnes vias meas præuidisti.* Ecclesiast. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominis, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in abscónditas partes, Domino enim Deo, antequam crearentur omnia sunt agnita.* Et Eccl. 39. *Opera omnis carnis, coram illo à sæculo, vsque in sæculum respicit,*

&

& nihil nouum in oculis eius. Et Daniel 13. *Deus æternè, qui abscondi-torum est cognitor, & qui nosti omnia, antequam fiant.* Et Psalm. 19. *Præsciebat enim futura illorum.* Deut. 31. *Scio cogitationes eius, quæ facturus sit hodie.* Et Ioa. 14. *Nunc dixi vobis prius quam fiat, vt cum factum fuerit credatis.* Ex his ergo testimonijs constat, Deum certo scire opera nostra, libera futura antequam sint; quia in eis est sermo de operibus nostris liberis futuris, vt patet, & etiam de certa scientia illorum; quia in eis Deus dicitur ea prœuidere, & respicere, & circunspicere, & prœscire, & scire, quibus certa scientia significatur.

Et sanè si Deus non certò præcognosceret futura contingentia, perirent Prophetiæ; quia hæ fiũt nomine Dei: vnde Tertul. lib. 2. cõtra Marcion. pulcherrimè ait. *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.*

Ratione etiam naturali à priori, quàm paulatim in sequentibus difficultatibus inuestigabimus, ostendemus Deum futura contingẽtia præscire, certoq; & infallibiliter præcognoscere, & non conjectura, tantum cui possit subesse falsum, quia hæc est adeo imperfecta cognitio, vtique periculo falsitatis, & deceptionis exposita, vt Deo, qui est infinitè verax, & perspicax, & omnis imperfectionis expers, cõuenire non possit. Quomodo autem certitudo, & infallibilitas præscientiæ, quã Deus habet futurorum liberorũ, & contingentium cohæreat cum perfectissima libertate circa illa, & cum cõtingentia eorum, postea explicabimus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia, quia ei sint ab æterno realiter præsentia.

POstquam vidimus Deum certò, & infallibiliter præcognoscere futura cõtingentia, antequam sint præsentia inuestigãda, est à nobis ratio, & causa dictæ certitudinis, & infallibilitatis, quã difficile est inuenire; quia cũ futura cõtingentia dimanent à causa, non determinata, sed indifferente, vt ea efficiat, & non efficiat, vix potest percipi quomodo, antequam actu fiant, certò prœcognoscantur à Deo, cũ antequam actu fiant sint quasi suspensa ad esse, & non esse, seu possint fieri, & nõ fieri. Nõ defuerũt Theologi, qui hac difficultate oppressi, dixerint nõ posse a nobis, dũ viatores sumus rationẽ & modũ dictæ diuinæ certitudinis assignari, sed satis esse, id ad infinitã per-

perfectionē diuini intellectus reducere, ita Ocha. & Gab. & Greg. Arim. in 1. d. 38. & Marsil. etiam in 1. q. 40.

Reliqui verò Theologi conati sunt rationem, & modū assignare, quo Deus certo præcognoscat futura contingentia, ante quam fiant.

Caiet. ergo q. 14. ar. 13 Catherinus in Opuscul. de præscientia, & prouidentia. Ferrar. 1. contra gentes c. 66. Bañez ar. 13. dub. 2. Gonzal. disp. 43. sect. 3. Carmelitæ Tract. 3. disp. 8. dub. 3. & plures alij docent Deum, certo præcognouisse omnia futura contingentia, antequam actu fiant; quia secundùm realem existentiam, quam habēt in propria duratione, semper, & ab æterno fuerunt realiter Deo præsentia, & coexistentia, quòd videtur sensisse S. Thomas ar. 13. dum ait, manifestum est, quòd contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur diuino conspectui, secundum suā præsentialitatem: & quòd omnia, & futura cōtingentia, secundùm suā realem existentiam, quam habent in sua duratione propria, sint ab æterno præsentia, & coexistentia æternitati Dei, videtur docuisse in eodem ar. dum ait, omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes: quòd etiam videtur docuisse Aug. 4. ad Simplician. 2q. & alij PP. (quos referunt Vazq. disp. 32. & 64. Suar. lib. 1. cap. 7. Aluar.) lib. 2. disp. 8. & Albiz disp. 6. sect. 4.) dum dicunt scientiam, qua Deus cognoscit futura esse scientiam ei præsentium, non futurorem: & ideò propriè in Deo, non esse præscientiam, sed scientiam, dicit tamen in propriè præscientiam, ait Gregorius; quia est scientia eorum, quæ nobis futura sunt, & dum dicunt Deo, nihil esse futurum, nec præteritum, sed in ipso tantum reperiri *est*, non verò *erit*, nec *fuit*.

Et ratione probatur primo à priori; quia ex vna parte æternitas est duratio infinita, sine principio, & sine fine, & ex altera est tota simul; quia est indiuisibilis: ergo æternitas ab æterno simul, & absque sui successione complectitur durationes omnium, etiam futurorum, & contingentium: ergo nulla res in sui existētia, & duratione est æternitati futura, nec præterita, sed omnia sunt illi ab æterno præsentia, etiam res, quæ nondum est in sua propria duratione, aut quamuis iam fuerit.

Secundò probatur, ratione qua vtitur Aug. vbi supra, quia si futura nondum sunt apud Deum, sicut accidit in ipso ordine rerum, & ob id Deus dicitur sua scientia præuenire futura: ergo Deus bis cognoscit futura, semel præscientia futurorum, quando nōdum sunt, & ite-

iterum ſcientia præſentium, quando iam ſunt actu facta, & præſentia: cõſequẽs autem eſt falſum; quia ſecunda cognitione, inciperet Deus nouo, & diſtincto modo cognoſcere futurũ, ab eo quo prima cognitione cognouerat illud, vt futurum; quia iam, vt præſens cognoſcit, quòd eſſet defectus perſpicacitatis in Deo.

Tertiò probatur; quia ſi futura, quandiu futura non ſunt Deo realiter præſentia, & coexiſtentia, cognitio qua ea cognoſceret, non eſſet intuitiua, quæ ſolum ad præſentia, & coexiſtentia terminatur, ſed abſtractiua.

Si ergo futura etiam contingentia ſunt Deo ab ęterno realiter præſentia, & coexiſtentia, nequit id non eſſe Deo ſufficiẽs, vt futura cõtingentia ab ipſo infallibiliter, & certo cognoſcantur; quia quòd alicui eſt realiter præſens, eo ipſo eſt determinatum reſpectu illius; (quanuis aliàs comparatum cum ſua cauſa, ſit in determinatum, & indifferens) quàm autem alicui, vt præſens, & determinatum eſt illi aptum, vt certo, & determinatè ab eo cognoſcatur; imò neceſſariũ videtur, quòd futura cõtingẽtia, ſint Deo ab æterno realiter præſentia, vt poſſint ab æterno à Deo certo cognoſci; quia ſolũ, vt præſentia poſſunt eſſe determinata, & non indifferentia.

Bonauentura verò, Scotus, Durandus, Aureolus, Gabr. Greg. quos referunt, & ſequuntur Vazq. diſp. 64. Suar. libr. 1. cap. 7. Arrubal diſpu. 41. Albiz vbi ſupra, Herice diſpu. 6. cap. 4. Ruyzius diſp. 18. ſectio. 9. Mæratius diſpu. 24. Faſolus dub. 7. & plures alij docent. Et meritò nulla futura eſſe ab æterno realiter præſentia, & coexiſtentia Deo, ſed tantum eſſe ei realiter præſentia, quando ipſa realiter exiſtunt in ſua duratione; & conſequenter, non ideò futura contingentia certo cognoſci à Deo; quia ei ſint ab ęterno realiter præſentia.

Quòd autem futura non ſint Deo ab æterno realiter præſentia, ſeu coexiſtentia, ſed tantum eo tempore, quo ipſa exiſtunt: probatur efficaciter; quia quod in ſe non exiſtit, & durat, nequit condurare, & coexiſtere alteri; quia coexiſtere, & præſens eſſe alteri, ſupponit, aut includit durationem, & exiſtentiam rei prẹſentis, & condurantis, & coexiſtentis; quia quoexiſtit alteri, verè exiſtit, ſed futura, adhuc neceſſaria, non exiſtunt realiter, nec durant ab ęterno; quia non propria duratione, & exiſtentia, vt patet; quia exiſtentia hæc in tempore, & futuro producitur, nec exiſtentia, & duratione propria Dei, quæ eſt æternitas; quia ea non exiſtunt intrinſecè, vt patet; quia æternitas non eſt duratio, & exiſtentia intrinſeca creaturarum; quia quælibet res intrinſecè exiſtit, & durat exiſtentia, & dura-

tione propria, imo realiter indistincta ab essentia ipsius rei: Nec æternitate existunt extrinsecè, quia nihil existit extrinseca existentia, & denominatione, nec durat extrinseca duratione, & denominatione; quia existere, & durare est, quid intrinsecum; quanuis coexistere, quod est existere, simul cum alio præter intrinsecam existentiam, qua res dicitur existere, etiam dicat extrinsecam relationem, seu denominationem simultatis, à qua res existens dicitur, simul existere cum altera, supponente tamen existētiam, & durationem intrinsecam rei coexistentis.

Futura ergo cum non existant, & durent ab æterno, nec propria existentia, & duratione, nec existentia, & duratione Dei, non dicuntur coexistere, & præsentia esse Deo æterno, non solum in propria existentia, & duratione ipsorum, sed nec in existentia, & duratione æternitatis: Ex eo autem, quòd æternitas sit duratio infinita, & suprà omnem durationem, & sit indiuisibilis, solùm fit, vt quandocumque res existat, & duret dicatur complecti ab ipsa duratione æterna, & tunc ei coexistere, & præsens esse non verò, quando nō existit, & durat.

Si ergo futura contingentia, non sunt Deo præsentia, & coexistentia antequam fiant; id nequit Deo esse causa, vt illa certo cognoscat antequam sint: imò quanuis essent, sic præsentia, & coexistentia; id non esset Deo necessarium, vt certo à Deo cognoscerentur (quānuis esset sufficēs) quia vt dicemus dif. 8. res ipsas esse futuras est Deo sufficiens causa, & ratio, eas certò cognoscēdi: ad hoc autem, quod sint futuræ, non esset necessariū esse ipsi Deo realiter ab æterno præsentes, & coexistentes: imò è cōtra, esse futuras in propia duratione, & existentia, esset necessarium, vt essent Deo præsentes, & coexistentes ab æterno; quia ideo coexisterēt Deo ab æterno; quia in propria duratione futuræ essent existentes, non è contra.

Addimus dictam præsentiam futurorum contingentium, qua sint Deo realiter ab æterno præsentia, non solum, non esse necessarium, vt à Deo infallibiliter, & certo cognoscantur, sed nec, vt à Deo intitiuè cognoscantur; quia ad cognitionem intuitiuam rei, sufficit, quòd cognoscatur proprio conceptu obiectiuo, vt in se est, præsertim quando cognoscitur, vt est præsens in sua duratione, qua ratione futura cōtingentia cognoscuntur à Deo; quanuis non sint eo modo realiter præsentia.

Iam verò fundamentis aduersariorum satisfaciamus, & in primis S. Th. eis nullatenus fauet, dum ait, contingentia infallibiliter à Deo cognosci, in quantum subduntur diuino conspectui, secundum suam præsentialitatem, quibus verbis non reddit rationem, ob quā

fu-

futura contingentia cognoſcantur à Deo; ſed ob quam ab eo infalli biliter cognoſcantur: & eam ait eſſe; quia ſuo intuitu fertur in exiſtentiam, & præſentialitatem eorum, quam in propria duratione habitura ſunt, ac ſi iam exiſterent actu, & eſſent præſentia in ſe ipſis, nō verò; quia ſint Deo ab æterno realiter præſentia: hæc autem ratio eadem eſt cum ratione, quam eiuſdem infallibilitatis in cognitione futurorum contingentium, prius reddiderat in eodem ar. 13. & 1. cō tra gentes, c. 66. ratione 6. illis verbis. *Quia, ſcilicet, Deus cognoſcit contingentia prout vnum quodque*, eorum eſt actu in ſe ipſo, id eſt: quia fertur ſua cognitione in exiſtentiam, & præſentiam futurorum cōtingētium, quam in ſe ipſis habitura ſunt, in ſua propria futura duratione: & illis verbis eiuſdem ar. *Omnia quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum, quia habet rationes rerum apud ſe præſentes*, nō adſtruit dictam realem præſentiam, ſed tātum obiectiuam, qua obiecta, quæ ſunt in quacūq; temporis differentia, ſecūdum ſuam exiſtētiam, & præſentiam realem, quàm habitura ſunt in ſua propria futura duratione, obijciūtur conſpectui, & intuitui Dei, vt cōſtat ex ratione, ob quam dicit eſſe præſentia, nō ſcilicet ſolum; quia habet rationes rerum apud ſe præſentes, ideſt non ſolum; quia rationes rerū ſint in eſſentia diuina; tanquam in cognitione ſimplicis intelligētiæ, vel quaſi in ſpecie impreſſa (quòd S. Th. admittit ex opinione aliorū) ſed quia intuitus eius fertur in illa, prout ſunt in ſua propria præſentialitate, ideſt; quia actualiter intuetur exiſtētiā, & præſentialitatem eorum, quam ſunt habitura in ſuo tempore futuro.

Quia ergo Deus, ita diſtinctè, & clarè fertur in exiſtentiam, & præſentialitatem, quam futura contingentia habitura ſunt in propria duratione, vt ea dicatur intueri, ac ſi iam actu eſſent exiſtentia, & præſentia; ideo Auguſtinus, & alij Patres dicunt cognitionē, qua Deus cognoſcit futura; nō dici propriè præſciētiam; quia loquūtur de præſciētia, humano modo, quæ eſt obſcura, quædam futuri præcognitio; quia homines communiter futura, quanu s neceſſaria, obſcurè, & immaturè præcognoſcunt; quia ea non intuentur: Deus autē; quia infinitè perſpicax eſt, & ea ita intuetur, ac ſi tunc actu exiſterēt: ideo nō dicitur præſcire futura, ſicut homines: nihilominus propriè dicitur præſcire, ſicut prædifinire, & prædeſtinare, ſumpta illa particula *præ*, prout ſolum denotat anteceſsionē durationis, & non immaturitatem, & obſcuritatem cognitionis.

Patres verò, qui aſſerunt nihil in Deo eſſe futurum, nec præteritum, ſed in eo tantum reperiri *eſt*, non verò *erit*, nec *fuit* tantum intendunt negare ſucceſsionem; nempè præteritionē, & futuritionē

in ipſo Deo, & in his, quę in Deo formaliter ſunt; quia duratione omnino infinita, & indiuiſibili durant: non tamen intendunt negare creaturas, quę ſunt ſub differentijs præteriti, & præſentis, & futuri coexiſtere ſucceſsiuè æternitati Dei, ideſt, eſſe præteritas Deo æterno quãdo iam fuerint, & futuras antequã ſint, ſicut ſibi inuicem futuræ, & præteritæ dicuntur, & ſunt.

Et ad primam rationem, concedimus æternitatem Dei eſſe durationem omnino infinitam, & indiuiſibilem, ſeu totam ſimul; ex eo autem, quod ſit infinita, ſeu abſque principio, & fine, ſolum fit, quod complectatur omnes creaturas, in quacumque differentia temporis exiſtant, ita vt dicantur coexiſtere, & præſentes eſſe æternitati; non tamen ſemper, nec omnes ſimul, ſicut nec omnes ſemper, nec ſimul exiſtunt in ſuis proprijs durationibus; quia eas non complectitur, niſi quando ipſæ exiſtunt, & ita nec ſemper, nec ſimul ei coexiſtunt, ac proinde Deo dicuntur realiter futuræ, quæ nondũ in propria duratione exiſtunt, & præteritæ, quę exiſterunt, & iam nõ exiſtunt; & ex eo, quòd æternitas ſit omnino indiuiſibilis, ſolum fit, quòd abſq; ſui ſucceſsione eas complectatur; nõ tamẽ ſemper, nec omnes ſimul ob rationem dictam.

Ad ſecundam rationem reſpondemus; augmentum ſolum deducere, tãquam abſurdũ, quòd Deus bis cognoſceret futura, ſi in Deo admittatur præſciẽtia illa futurorũ obſcura, & immatura, qualẽ homines communiter habent futurorum; quia tũc poſterior cognitio, ob præſentiam obiecti eſſet clarior, & perfectior, & diſtincta à priori, & in hoc cõſtituit abſurdũ ea bis cognoſcẽdi, quòd ſcilicet Deus, ita imperfectè cognoſcat res futuras, vt eas clarius cognoſcat quãdo ſunt præſentes, vt contingit hominibus: id verò non deducitur ex eo, quòd futura ſint Deo futura, quoad exiſtentiam, & præſentiã realem, ſi cognitio, qua Deus ea cognouit, antequam ſint, nõ ſit obſcura, ſicut re vera nõ eſt; quia ea ita clarè, & perfectè, & proprio cõceptu fertur in eorum exiſtẽtiam, & præſentiam realẽ futurã, vt quãdo futurum ſit poſtea præſens, & actu exiſtẽs, nihil nouũ, nec nouo modo cognoſcat; quia ſua infinita perſpicacitate à lõge alta, & abſentia, cognoſcit eo modo quo erũt, & exiſtẽt: & ideò cognitio diuina futurorũ cõmuniter dicitur ſcientia viſionis, & intuitiua, ſicut etiam ſciẽtia præteritorum, quãuis hanc nonnulli recẽtiores nolint, niſi ſcientiam ſimplicis intelligentiæ appellare.

Sed an ſcientia diuina debeat ratione noſtra diſtingui, & diuidi in ſcientiam futurorum, & in ſcientiam præſentium, ſicut in ſciẽtiam poſsibilium, & in ſcientiam aliquando exiſtentium, non multum refert; quia ſi non admittamus cognitionem diuinam futurorum eſſe

ob-

obſcuram, & immaturam, vt admitti non poteſt, potius videtur quæſtio de nomine, quàm de re. Grabiel tamen in 1. diſtin. 39. inſinuare videtur debere diſtingui in ſcientiam futurorum, & in ſciētiam præſentium: immerito tamen; quia ob eandem rationem, etiam diuidēda eſſet in ſcientiam præteritorū, quòd nullus hactenus dixit, & ideò Doctores communiter non diſtinguunt ſcientiam Dei, niſi in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ſit rerum poſsibilium, vt poſsibilium, & in ſcientiam viſionis, quę vna ſola ſit futurorum, & præſentium, & præteritorum. Et meritò, quia futura præſentia, & præterita, ſunt idem omnino obiectum adhuc ad noſtrum modum intelligendi, namque eadem res cum ſua exiſtentia actuali diſtinctè cognita, quæ prout refertur ad vnum tempus, dicitur futura, & prout refertur ad aliud, dicitur, præſens, & prout refertur ad aliud, dicitur præterita, quòd non eſt eſſe diuerſa obiecta, ſed diuerſa tēpora ad quæ res cognita refertur: ſcientia verò ſimplicis intelligentiæ, reſpicit obiectum ratione noſtra diuerſum ab obiecto ſcientiæ viſionis; quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, reſpicit rem, vt poſsibilem; ſcientia verò viſionis, reſpicit rem vt exiſtentem, & ideò dictæ duæ ſcientiæ, noſtro modo concipiendi, diſtinguuntur in Deo.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Deus certò cognoſcat futura contingentia in cauſa libera creata ipſorum, tanquam in obiecto prius cognito.

COnueniunt Doctores, ex eo quòd Deus cognoſcat voluntatem creatam, nude ſumptam, quæ eſt cauſa libera futurorum cōtingentium, ſeu liberorum non cognoſcere certo futura contingentia; quia voluntas creata nudè ſumpta, eſt omnino indifferens ad facienda ea futura, & ad non facienda: ergo ex eo ſolum, quòd Deus cognoſcat voluntatem creatam nudè ſumptam, nequit certo, & determinatè cognoſcere effectum contingentem eſſe futurum.

Eſt ergo controuerſia, an cognitione voluntatis ad operandum completè diſpoſite cum hac, videlicet, cogitatione, & affectione, & cum omnibus alijs ad operandum requiſitis, Deus certo cognoſcat effectum contingentem, ſeu liberum eſſe futurum.

Durand in 1. diſtin. 38. quæſt. 3. Argentina in 2. diſtin. 40. art. 3. Bañes & Molina quæſt. 14 art. 13. Aluarez lib. 2. de auxilijs, diſp 12. Becanus cap. 10. quæſt. 7. & alij recentiores partem affirmatiuā tuentur, & ratione probatur, primo à priori; quia voluntas creata comple-

pletè disposita,& expedita,seu non impedienda;quanuis sic disposita maneat indifferens ad operandum, & non operandum;nihilominus liberè se determinabit ad operandum, & operabitur infallibiliter,& producet suum effectum contingentem, seu liberum: ergo Deus, qui optimè penetrat, & super comprehendit voluntatem, & cognitionem,qua excitatur,& completè disponitur, & quòd non impedietur,eam penetrando,& super cõprehendendo; optimè cognoscet,quòd se determinabit,& operabitur sicut verè est operatura, ergo in ipsa sic completè disposita, & non impedienda, Deus certò cognoscet effectum contingentem,seu liberum futurum illius.

Secundo probatur: Angelus cognoscendo voluntatem creatam completè dispositam, cognoscet aliquali cognitione,saltem coniecturali,voluntatem liberè operaturam: ergo etiam Deus id cognoscet, sed non cognitione coniecturali;quia Deo repugnat: ergo cognitione certa,& infalibili.

Sanct. Thomas verò,Caietanus,& Valentia,quæst.14.art.13.Scotus, Capreolus,& Ocham in 1.distin.38. Suarez lib.1. cap.3. Heric. disput.6. cap.2. Mæratius disput.25. Ruizius disputat.73.section.4. Fasolus artic.13. dub.9. & plures alij docent, Deum non cognoscere futura contingentia, seu libera dependentia à voluntate creata in ipsa,quantumuis completè disposita ad operandum, & meritò; quia voluntas creata,quantumuis completè disposita cum omnibus prerequisitis in actu primo ad operandum, etiam cum auxilio efficaci,non est determinata ad vnum,sed manet indifferens ad operandum,& non operandum quousque operetur, vt omnes fateri tenentur;quia quantumuis completè disposita cum omnibus præuijs,seu prærequisitis ad operandum,est causa libera: de ratione autem causæ liberę est,quòd positis omnibus prærequisitis ad operandum maneat in actu primo indifferens quousque operetur: ergo ex eo,quòd Deus cognoscat voluntatem creatam, & eam videat completè dispositam in actu primo ad operandum; quanuis ipsam volũtatem,& completam dispositionem comprehẽdat,& super comprehendat,non cognoscet certò,quòd operatura sit. Consequentia patet;quia operatio liberè futura à voluntate nullum in ipsa voluntate habet esse determinatum;quia ipsa in actu primo non est ad eam determinata,sed indifferens in ea autem, quanuis super comprehensa nequit à Deo cognosci operatio illius, nisi eo modo, quo est in illa.

Ad priorem autem rationem aduersariorum respondemus,quòd, quanuis voluntas creata completè disposita re ipsa, & determinatè operatura sit effectum determinatum, ipsa tamen etiam completè

dis-

diſpoſita non operatur illum neceſſario, ſed liberè, & contingenter: ergo ita eum efficit, quòd poſſet non efficere; quia non fuit in actu primo determinata, ſed manſit indifferens, & libera vſque ad operationem, & actum ſecundum, quo determinari dicitur, vnde in ea, & in eius completa diſpoſitione, quantumuis à Deo penetratis, nequit ab ipſo effectus futurus certò, & infallibiliter cognoſci, quanuis eum in ipſomet infallibiliter cognoſcat; quia determinatè eſt futurus à ſua cauſa indifferente in actu primo.

Ad poſteriorem rationem admittimus: Angelũ cognoſcendo voluntatem creatam completè diſpoſitam ad operandũ, aliquando ex circunſtantijs cognoſcere, cognitione coniecturali, eam eſſe liberè operaturam, quia ex vna parte aliquando eſt ſufficiens fundamẽtum ad cognitionem coniecturalem, & ex altera Angelus eſt capax illius; negamus tamen, Deum ſimili cognitione id cognoſcere; quia talis cognitio, vtpote expoſita periculo falſitatis, repugnat Deo, nec id cognoſcere cognitione certa, & infallibili; quia ad id non ſufficit Deo, quòd comprehendat, & ſuper comprehendat voluntatem, & eius completam diſpoſitionem in actu primo ad operandum, cũ ſic diſpoſita, ſit libera, ſeu indifferens in actu primo: Deus ergo cognoſcendo voluntatem, & eius completam diſpoſitionem ad operandũ, cognoſcit contingentiam effectus futuri, ſeu voluntatem eſſe ſufficientem, & indifferentem ad operandum, & ad non operandum: & etiam cognoſcit, eam eſſe, aut æqualiter propenſam ad operandum, & ad non operandum, aut magis propenſam ad vnã partem, quàm ad alteram ratione maioris diſpoſitionis, & aliarum circunſtantiarum, prout verè, & in re fuerit: non verò cognoſcit voluntatem eſſe operaturam; quia hoc tantum cognoſcit ex eo, quod ipſa ſit re ipſa operatura, ſeu ex ipſa operatione futura; quia vt ſic futura obijcitur ſuo infinito proſpectui, vt dicemus difficult. 7. quod inſinuat S. Thomas art. 13. dum ait: *Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſeipſo.* Quibus verbis, alijs paulò anteà præſupoſitis, ſignificat Deum in voluntate creata, quæ eſt cauſa futurorum contingentium, cognoſcere contingentiam, & coniecturam eorũ, & voluntatem poſſe ad ea determinari, nõ cognitione formaliter, & ſubiectiuè coniecturali, ſed obiectiuè, id eſt cognitione habente pro obiecto contingentiam, & coniecturam futurorum, formaliter tamen, & quaſi ſubiectiuè certa, & infallibili, & ſimili certa cognitione cognoſcere futura contingentia, prout ſunt futura in ſe ipſis.

(§§)

DIF-

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia in ipsorum ideis, tanquam in obiectis prius cognitis.

CAietan. & Bañez quæst. 14. art. 3. Molina disput. 15. Aluarez lib. 2. de auxilijs, disp. 14. Ruizius disput. 24. sect. 3. & plures alij Thomistæ partem affirmatiuam tuentur, quia in Deo sunt omnium, etiã futurorum contingentium ideæ per quas ad viuum omnia, etiam futura contingentia in Deo repræsentantur: ergo in eis, tãquam in obiectis prius cognitis certò à Deo cognoscuntur futura contingentia, ac si præsentia essent.

Scotus verò in 1. distin. 39. Gregorius Ocham, & Gabriel dist. 38. Vazquez disput. 65. Suarez lib. 1. cap. 4. Albiz disput. 6. sect. 7. Fasolus dubio 10. & plures alij, partem negatiuam tradunt, & meritò; quia futura contingentia in primis nequeunt à Deo certo cognosci in idea, sumpta pro cognitione, seu specie expressa simplicis intelligentiæ creaturarum, vt à pluribus Auctoribus sumitur; quia præterquam quòd omnis cognitio diuina creaturarum, siue simplicis intelligentiæ, siue visionis est omnino absoluta, absque respectu reali ad illas, & consequenter quælibet sit insufficiens ad excitandum Deũ ad cognitionem earum, quia nullum obiectũ potest excitare ad cognitionem illius rei, quàm re ipsa non respicit; hæc scientia simplicis intelligentiæ specialiter non potest; quia hæc tãtum attingit sua obiecta, vt possibilia, seu factibilia, non vt futura, seu facienda, & ea tãtum vt possibilia repræsentantur, & nõ vt futura; ergo idea sic sumpta, nequit excitare Deum ad cognoscenda illa vt futura.

Nec possunt futura contingentia à Deo certò cognosci in idea, sumpta pro cognitione, seu specie expressa, quæ est visio futurorum (quauis admittamus, ideam sic sumi) quia præterquam quòd, vt anteà diximus, cognitio visionis est omnino absoluta à respectu reali ad sua obiecta, & consequenter sit insufficiens ad excitandum Deũ ad cognitionem illorum: idea sumpta pro dicta cognitione visionis, specialiter dici nequit, esse id in quo Deus, tanquam in obiecto prius cognito cognoscat futura contingentia; quia idea sic sumpta prius, & potius est ipsa visio, & certa cognitio futurorum, quàm sit obiectum, in quo prius cognito videantur à Deo futura: & ob dictam rationem futura contingentia nequeunt à Deo certò cognosci in idea creaturarum, à nonnullis sumpta pro essentia diuina, vt est physicè imi-

imitabilis, seu participabilis à creaturis; quia scilicet essentia diuina, vt sic etiam est re ipsa omnino absoluta à respectu reali ad creaturas. Quod verò idea sic sumpta dicat respectum rationis, à nobis, quasi fictum, ad ipsa futura, non sufficit, vt Deum excitet ad certò cognoscenda ipsa futura; quia Deus non respicit illum respectum rationis (vt plures existimant) vel quia quanuis Deus illum cognoscat (vt nos existimamus) non tamen nisi prius visis ipsis futuris, quę nobis sunt fundamentum ad concipiendum eum respectum, ac proinde potius visio futurorum excitaret Deum ad cognoscendum dictũ respectum, quàm iste ad videnda futura; quia iam supponitur excitatus ad illa videnda, aut à propria intelligibilitate, seu visibilitate ipsorum, vt nos dicemus diffic. 7. aut aliter.

Deinde futura contingentia non possunt certò cognosci à Deo in idea, sumpta pro ipsis futuris, vt obiectiuè præcognitis à Deo; quia in primis non in idea sumpta pro ipsis futuris, vt posibilibus præcognitis à Deo, scientia simplicis intelligentiæ in priori signo rationis ante decretum, illa producendi (qua ratione ideam esse sumendã dicemus disp. 6. diffic. 2.) quia res tantum cognita, vt posibilis, seu factibilis, nequit excitare ad cognitionem sui vt futuræ, seu faciendę; quia res vt posibilis est indifferens, vt fiat, & non fiat, & non est determinata, vt fiat. Deinde futura contingentia non possunt dici, cognosci à Deo in idea, sumpta pro ipsis fundamentis contingentibus, vt à Deo præuisis, vt futuris, quia id nihil aliud est, quàm dicere, quòd futura contingentia certò cognoscantur à Deo in ipsismet, ob ipsorum intelligibilitatem (quod verum esse nos dicemus diffic. 7.) & non in aliquo ab ipsis distincto.

Ad fundamentum ergo aduersariorum negamus, ideas futurorum contingentium repræsentare ipsa futura cõtingentia; quia ideę creaturarum futurarum, non consistunt in cognitione aliqua, seu specie expressa diuina, vt dicemus disp. 6. difficult. 2. sed sunt ipsæ creaturæ præconceptæ à Deo, vt posibiles, seu factibiles. Et quanuis ideæ consisterent in cognitione, seu specie expressa diuina creaturarũ, adhuc, vt futurarum eas repræsentante; vt futuras, non sufficerent ad excitandum Deum ad cognoscendas ipsas creaturas; quia vt iam diximus, cognitio diuina, siue simplicis intelligentiæ, siue visionis eas repræsentans, repræsentat eas omnino absolutè, absque respectu aliquo reali ad illas, absque quo nequit Deum excitare ad cognitionem illorum.

(§§)

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia ex efficacitate suæ cognitionis, qua ea cognoscit fore?

PAlatios in 1, distin. 38. quæst. 2. disput. 2. dubio penultimo docet, Deum certò cognoscere contingentia fore, seu futura esse, nõ esse reducendum ad aliud extra ipsam diuinam scientiam, sed ad efficacitatem ipsius circa ipsa futura: ait enim, ex eo Deum videre, & certò cognoscere ea esse futura; quia ea efficit cognoscendò fore. Vnde hic auctor ad solam causalitatem, & efficacitatem ipsius diuinæ scientiæ, & cognitionis futurorum, eius infallibilitatem, & certitudinem reducit, non tanquam ad medium, seu obiectum prius cognitum, excitans, & ducens; sed tanquam ad causam, & rationem ob quam Deus ea certò cognoscat.

Quod autem scientia futurorum, quæ est scientia visionis, sit causa ipsorum, deduci ur ex Augustino 6. de Trinitate. cap. 10. & lib. 15. cap. 13. & lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 9 qui ait: *ideò res esse futuras*; quia Deus scit illas, & non è contra, quòd etiam docent non pauci recentiores, & docere videtur Sanct. Thomas, quæst. 14. art. 8. ad primum, vbi renuit concedere, rem futuram esse causam scientiæ illius, & ideò causalem illam: *Ideò à Deo cognoscuntur futura, quia futura sunt* (quam sibi obiecerat ex Origine) ait intelligendam esse de causa inferendi, & non de causa essendi.

Et ratione probatur; quia si ideò Deus præscit, seu præcognoscit rem esse futuram; quia futura est, & non è contra: ergo futuritio rei est causa præscientiæ diuinæ, quòd videtur absurdum; quia creatum, & temporale nequit esse causa increati, & æterni, qualis est scientia diuina.

Suarez verò, lib. 1. de scientia futurorum, cap. 5. docet, & meritò, præscientiam, qua Deus certò cognoscit, contingentia futura, ex se, & ex vi suæ efficacitatis non esse sufficientem causam, ob quam Deus determinetur ad iudicandum, contingentia esse futura, & consequenter certitudinem scientiæ eorum non posse in efficacitatem huius scientiæ reduci. Ratio huius doctrinæ est; quia scientia, seu præscientia, qua Deus certò cognoscit, contingentia esse futura, nõ est factiua, & causa ipsorum futurorum: ergo certitudo illius non est reducenda in eius efficacitatem erga ipsa futura. Consequentia patet: antecedens autem probatur ratione, & auctoritate. Et in primis ratione; quia scientia, qua Deus

cog-

cognoscit contingentia esse futura, præsupponit effectionem eorum iam futuram; quia Deus ea intuetur, & videt iam futura, & futuro tempore existentia, & ideò dicitur, & est scientia visionis, sicut cognitio, qua cognoscit creaturas, iam factas supponit effectionem earum, iam factam; quia eas intuetur, iam factas: ergo scientia, qua Deus cognoscit contingentia esse futura non est practica, seu factiua, & causa eorum; quia causa supponitur ad effectum, & non effectus ad causam. Deinde idem antecedens; nempè, quod scientia, qua Deus certò cognoscit, contingentia esse futura non sit causa ipsorum futurorum, probatur auctoritate; quia Sanct. Thomas id docuit, quæst. 6. de verit. artic. 3. & id significant Patres, qui dicunt; ideò rem futuram præsciri à Deo esse futuram; quia futura est, non verò esse futuram; quia præscitur à Deo, esse futuram, ita Origenes lib. 7. super epistol. ad Roman. in illud: *Quos autem prædestinauit.* Et Hieronymus, Ezechiel. 2 & Ieremiæ 26. & Isaiç 16. Iustinus, Chrysostomus, Damascenus, Cyrillus, Boerius, & Beda, quos refert, & sequitur Vazquez disp. 68. cap. 6. Et idem docet Augustinus 5. de ciuitate, cap. 10. propè finem, dum loquens de peccato ait; ideò præsciri à Deo esse futurum; quia futurum est, non è contrà.

Quod si ad hæc testimonia respondeas, intelligenda esse secundum vim consequentiæ, & illationis conditionalis, in qua ponitur particula *si*, aut rationalis, in qua ponitur particula *ergo*, & non secundum vim consequentiæ causalis, ita vt sit bona consequentia, & illatio rationalis: *futurum est*: *ergo præscitum à Deo*, & conditionalis: *si futurum est*, præscitur à Deo, quòd optimè stat etiam si præscientia sit causa futuritionis rei, quia etiam ab effectu ad causam est bona consequentia. Contra hanc responsionem est primo, quòd particula *quia*, qua vtuntur prædicti Patres, plus denotat, quàm vim consequentiæ conditionalis, aut rationalis, & ideò non licèt dicere: ideò peccatum est futurum, quia Deus præscit esse futurum, quamuis vi consequentiæ, seu illationis conditionalis, aut rationalis ex præscientia futuritionis peccati optimè inferatur, peccatum esse futurum, optimè enim valet, si Deus præscit peccatum futurum, verè futurum est: & Deus præscit peccatum futurum: ergo verè est futurum. Secundò, quia dicti Patres, ita affirmant, ideo Deum præscire futura contingentia, quia futura sunt, vt negent, ideo rem esse futuram, quia præscitur à Deo esse futura: ergo particula *quia*, in dictis testimonijs tantum denotat vim causæ, seu consequentiæ causalis, quia consequentiâ rationali optimè infertur: Deus præscit rem futuram: ergo est futura,

& idem

& idem est de consequentia conditionali. Patres igitur inductis testimonijs denotant præscientiam, qua Deus certò præscit futura, non esse priorem, & causam futuritionis eorum, sed posteriorem, & quasi effectum.

Addimus, scientiam practicam qua Deus simul cum sua voluntate efficit, quòd contingentia sint futura, non posse esse causam sufficientem, ob quam ipse determinetur ad iudicandum, illa esse futura, & consequenter certitudinem præscientiæ eorum futurorum, nõ posse reduci in efficacitatem præscientiæ ipsorum; quia vt posteà dicemus, hæc scientia practica nihil aliud est, quàm quædam cognitio, qua Deus cognoscit res possibiles, seu factibiles, & modũ, quo possunt fieri, & qua iudicat, bonum, seu conueniens esse, eas hoc, aut illo tempore facere, & id proponit suæ voluntati; quia Deus ea scientia nihil efficit, nisi id proponendo voluntati, eà autem scientia, seu cognitione voluntas diuina non cogitur ad eas faciendas, sed relinquitur libera, & indifferens, vt faciat, vel non faciat prout maluerit, & ita ex his, quæ faciendæ proponuntur plures; imò, & infinitæ non fiunt; ergo nequit in eam solam reduci certitudo cognitionis futurorum, sicut nec ab ea sola prouenit determinatio futuritionis eorum.

Ex quo etiam deducitur, eam scientiam, seu cognitionem practicam Dei non posse versari circa res, vt futuras, & per ipsam nõ cognoscei, res esse futuras, ac proinde eam non esse scientiam visionis earum; quia post eam scientiam superst decretum voluntatis diuinæ, vt futuræ sint: nequit ergo esse scientia, seu cognitio visionis earum, quas proponit voluntati diuinæ; quia ea possibilia in eo priori signo non sunt futura; quia ea cognitio non efficit immediatè ea, vt futura attingendo immediatè eorum futuritionem, & effectionem, sed solùm mediatè, & vt propositio, qua ea possibilia proponit voluntati, vt si velit, ea faciat.

Et quanuis hæc scientia practica, & factiua futurorum in Deo ponatur post decretum voluntatis diuinæ, vt à nonnullis ponitur: nihilominus tamen nequit esse visio futurorum, tum quia ab eis Auctoribus non ponitur vt cognitio, & iudicium, sed vt imperium, tum etiam, quia secundum ipsos non fiunt creaturæ immediatè ab ipsa, sed mediante potentia executiua, quam constituunt posteriorem decreto voluntatis, & posteriorem eo actu imperij intellectus, ac proinde actus iste in eo priori signo ante executionem omnipotentiæ non versatur circa futura, vt futura; quia scilicet sunt futura per executionem omnipotentiæ posteriorem eo actu imperij.

Augustinus autem pro opposita sententia adductus ei non fauet; quia

quia in eis locis nō loquitur de ſcientia viſionis, qua futura præcognoſcuntur futura, ſed de practica, qua nō cognoſcuntur futura; quia ex hac cognitione non ſunt immediatè futura. Et S. Thomas quādo negat, rem futuram eſſe cauſam præſcientiæ forſam, tantum negat, eſſe cauſam phyſicam præſcientiæ Dei, quoad ſubſtantiam, quòd eſt veriſsimum, non verò eſſe aliquo modo cauſam, quoad denominationem præſciētiç, aut quoad reſpectū rationis ad ipſam rem futurā ſuper additū eſſentiæ diuinæ, qui non eſt increatus; quia futuritio dicitur cauſa dictæ denominationis; quia præſupponitur vt fundamentū ad ipſam denominationē. Vnde quanuis futuritio rei, ſit quaſi cauſa præſcientiæ Dei, quoad denominationē, non eſt ex eo cauſa alicuius increati; quia denominatio eſt creata, imò quaſi ficta, eſt tamen cauſa æterni, & non eſt mirū; quia futuritio ipſa eſt æterna; quia res eſt ab æterno futura, & prius ratione, quàm denominatio præſcientiæ in Deo, de quo latiùs tractatu de voluntate. Ad rationem ergo aduerſariorum conſtat ex dictis.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Deus certò cognoſcat futura contingentia in decreto ſuæ voluntatis, tanquam in obiecto prius cognito?

SVpponimus primò, vt dicemus tract. de voluntate diuina, nullam rem quantumuis contingentem, ſeu liberam eſſe futuram, abſque decreto efficaci voluntatis diuinæ, quo ab æterno diſtinctè, & in particulari decreuit eas res tempore ſibi placito facere quaſdam ſe ſolo, & aliàs ſimul cum cauſa creata libera concurrendo cum ea, quia Deus omnia immediatè operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuç, aut ſe ſolo, aut ſimul cum cauſa creata.

Supponimus ſecundò, dictum diuinū decretum ordine cauſalitatis prçcedere rem futurā etiā à nobis futuram, quia eſt cauſa illius; ideò enim res eſt futura; quia Deus decreuit, aut eam ſe ſolo efficere, aut ad eam concurrere cum cauſa creata: decretū enim Dei circa futura à nobis ſolum eſt decretum concurrendi, ſeu cooperandi nobiſcum, de quo dicemus tractatu de voluntate diuina.

His ergo ſuppoſitis circa difficultatem, Bañez quæſt. 14. art. 13. dub. 3. Ledeſma diſp. de ſcientia futurorum, dub. 3. Aluarez lib. 2. de auxilijs, diſp. 1. & 11. Diſcalciati diſp. 8. dub. 1. Ruizius diſp. 25. ſect. 1. & plures alij recentiores docent, Deum certò cognoſcere

noſtra futura contingentia, ſeu libera in decreto ſuo efficiaci eorum futurorum, tanquam in obiecto prius cognito, quibus maximè fauēt Scotus in 1. diſtin. 39 quæſt. vnic. Richardus diſt. 38. artic. 1. quæſt. 5. Alenſis quæſt. 24. memb. 7. & Caietanus art. 13. Et id tradidiſſe videtur Hilarius 9. de Trinitate, dum ait: *Quæ Deus facere decreuit in ſua voluntate cognouit.* Et ratione videtur probari; quia dictum decretum eſt cauſa efficax futurorum contingentium immutabilis, & indefi ciens: ergo in eo cognito (quòd certum eſt, à Deo cognoſci) nequit non cognoſci ab ipſo infallibiliter contingentia eſſe futura.

Bellarminus verò lib. 2. de amiſſione gratiæ, cap. 2. Molina art. 13. diſput. 28. Suarez lib. 1. de abſoluta ſcientia futurorum, cap. 6. Vazquez diſput. 65. cap. 2. Arrubal diſp. 43. Heric. diſp. 6. cap. 3. & Faſolus dub. 11. docent, Deum ex eo, quòd videat ſuum decretum, ſeu in ſuo decreto viſo non cognoſcere certò contingentia eſſe futura: & meritò; quia decretum Dei, quanuis à nobis nequeat concipi, abſq; reſpectu ad creaturas, intrinſecè tamen, & prout in ſe eſt, nihil aliud eſt, quàm eſſentia diuina nuda, qua infallibili quodam modo, abſque aliquo ei ſuper addito, & abſque reali reſpectu ad res creatas, quas facit, eas decernit facere, vt dicemus tractatu de voluntate Dei: ergo Deus, qui ex ſe ipſo non aliter cognoſcit decretum ſuę voluntatis quàm vt in ſe eſt, nequit in eo tanquam in obiecto, & medio prius cognito cognoſcere certo futura, quæ facere decreuit. Et quanuis nos in decreto Dei concipiamus reſpectum rationis ad creaturas, quem Deus ſecundario, & occaſione noſtri intellectus cognoſcit, nequit ipſi eſſe medium ad eas cognoſcendas; quia ſicut nos non cōcipimus eum reſpectum, niſi prius cognitis ipſis rebus decretis; quia ab eis, vt à fundamētis extrinſecis illum ſummimus, ſeu concipimus: ita etiā Deus, qui quando ſecundario, & occaſione noſtri intellectus cognoſcit, non fertur ad noſtros conceptus formales, & obiectiuos, niſi prout ſunt in nobis non poteſt illum reſpectum cognoſcere, niſi etiam prius cognitis ipſis futuris, potius ergo ipſa futura ſunt Deo medium cognoſcendi illum reſpectum rationis, quàm è contra. Vnde ad rationem aduerſariorum reſpondemus concedendo antecedens, & negando conſequentiam ob defectum reſpectus realis in decreto diuino ad creaturas.

Scotus tamen & Vazquez, quanuis in ea ſint ſententia, quòd Deus nequeat in ſuo decreto, tanquā in medio prius cognito præcognoſcere futura contingentia: addunt tamen decretum Dei eſſe cauſam ſufficientem, quanuis remotam certitudinis præſcientiæ futurorum contingentium, quia ex eo decreto poſito, tanquam ex cauſa res cō-

tin-

tingens eſt futura, ex eo autē, quòd res contingens eſt futura certò, & infallibiliter cognoſcitur à Deo. Hæc tamen additio quāuis vera ſit de decreto futurorū contingentiū à ſolo Deo faciendorū; quia decretum Dei eſt cauſa ſufficiens futuritionis eorū, & conſequenter certitudinis præſcientiæ eorū: eſt tamen falſa reſpectu futurorū contingentium etiam à nobis faciendorum; quia ſolū decretum Dei nō eſt cauſa ſufficiens futuritionis eorū, ſed etiā noſtra voluntas, ex eo autem, quòd decretum Dei nequeat irritari ſolum fit, quòd ex eo decreto optimè inferatur Logicè, quòd res futura ſit, ſi Deus decreuit circa illam, Deo autem repugnat inferre, & diſcurrere; quia tamē ex eo ſolo decreto, res non eſt futura, ideò ipſum ſolum non eſt cauſa ſufficiens adhuc remota certitudinis præſcientiæ eorum.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo ergo Deus certò, & infallibiliter cognoſcat futura contingentia?

RAtio difficultatis eſt; quia futura contingentia, ſeu libera non poſſunt à Deo cognoſci certò in ipſorum cauſa proxima partiali, quanuis auxilio efficaci præuenta, nec in ipſorum diuinis ideis, nec in ſcientia diuina ipſorum, nec in præſentia aliqua reali eorum in æternitate, nec in diuino decreto ipſorum, vt conſtat ex dictis: nec videntur, poſſe cognoſci in ipſiſmet; quia quouſque actu fiant videntur eſſe indifferentia, & ſuſpenſa ad fore, & non fore, cùm ſint contingentia, ſeu libera.

Dicēdum nihilominus eſt, ex eo Deum certò, & infallibiliter cognoſcere futura contingentia; quia ſua infinita perſpicacitate attingit, & intuetur exiſtentiam determinatam, quàm futura contingentia poſteà, ſeu tēpore futuro re ipſa habitura ſunt, quòd docuit Scotus in 1. diſt. 39. quæſt. 1. quē ſequuntur Vazq. diſp. 65. cap. 4. Suarez lib. 1. cap. 8. Aluarez lib. 2. diſp. 13. Ruizius diſp. 25. ſect. 8. & id abſq; dubio ſentit S. Thom. art. 13. dum in fine corporis ait: *Contingentia infallibiliter à Deo cognoſci in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundum ſuam præſentialitatem*, id eſt; quia ſubduntur diuino conſpectui ſecundum ſuam præſentialitatem, ſeu actualem exiſtentiam; quā poſteà ſunt actu habitura.

Concludimus ergo, propriam, & proximam cauſam certitudinis, & infallibilitatis præſcientiæ diuinæ futurorum contingentium eſſe hæc duo; nempè infinitam perſpicacitatē, ſeu virtutem infinitā Dei ad cognoſcendum, & ipſum eſſe reale actualè determinatè futu-

turum, quòd futura contingentia re ipsa habitura sunt suo tempore; quia quamuis dictum esse quoad existentiam sit absens, & futurum; quia tamen Deus est infinitè perspicax, illud sua perspicacitate attingit, ac si præsens esset; quia ens, quòd in vniuersum est obiectum intelligibile, non solùm est ens præsens, sed etiam præteritum, & futurum, & possibile; quia hæc omnia entia sunt vera entia; imò eadem cum præsente, & intelligibilitas est quasi passio entis; quia ergo ex vna parte esse futurum rei contingentis re ipsa, & determinatè est futurum, vt statim ostendemus, & ideò quantum est ex se, potest esse obiectum cognitionis certæ, & infallibilis, cui nequeat subesse falsum: quia supposita futuritione obiecti, quā ea præscientia supponit, nequit quantum est ex parte ipsius obiecti futuri eius præsciētiæ subesse falsum, quia futurum ex suppositione, quòd est futurum, nequit non esse futurum, etiamsi absolutè, seu simpliciter potuerit non esse futurum, & ex altera parte, ita Deus est infinitè perspicax, vt alta, & absentia, vt in se sunt, cognoscat ideò futura contingentia; quia re ipsa sunt determinatè futura ea, quanuis sint absentia quoad existētiam, certò, & infallibiliter à Deo cognoscuntur, & quia ab æterno futura sunt, ideò etiam ab æterno à Deo infallibiliter cognoscuntur: ita tamen sunt ab æterno futura, vt prius nostro modo concipiendi intelligatur diuinum decretum ea faciendi, si solus Deus est illa facturus, & si noſtra voluntas etiam sit illa factura prius ex eo decreto, & ex voluntate creata sunt futura, & non ex se ipsis. Vnde dicta futura non repræsentantur in essentia diuina ante decretum diuinum, seu independenter ab eo, vt contra nonnullos aduertūt Vazquez, & Aluarez, etiam si ante illud repræsententur vt possibilia; quia ex se ipsis sunt possibilia, seu non implicant contradictionem, & non ex diuino decreto.

Pro plena autem confirmatione nostræ conclusionis probandum superst, futura cōtingentia vt lectio futura peccatum futurum, Antichristus futurus, & alia esse determinatè, & distinctè futura, & cōsequenter enuntiationes singulas de ipsis, vt hęc lectio erit, peccatum hoc, erit Antichristus, erit esse determinatè, & distinctè veras; quia ab eo, quòd res est, vel non est propositio, est vera, vel falsa, & eo modo propositio formalis, siue mentalis, siue externa, vocalis videlicet, aut scripta est vera, aut falsa, quo res per eam significata, vel repræsentata est, aut non est, vt dicemus disputat. 7. Ex quo patet solutio ad rationem difficultatis in principio huius, & secundæ difficultatis positam; nempè, quòd futura contingentia, quanuis nequeant in suis causis, nec in reliquis prædictis certò cognosci ob rationes adductas: in ipsismet tamen certò cognoscantur

cog-

cognitione immediatè terminata ad ipsa, quia in se ipsis habent esse reale determinatum quanuis futurum, & acceptum à suis causis, ratione cuius certò obijciuntur diuino conspectui, quia ei obijciuntur prout sunt determinatè futura.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm in futuro contingente sit determinata veritas?

QVia nihil, quòd est cognoscibile, vt est in se extra cognitionem, quòd eo ipso est cau aliter, seu transcendentaliter, verũ potest effugere perspicacitatẽ diuinam; quia hæc est omnino infinita, ideò quando inquirimus: An Deus certò cognoscat, contingentia esse futura, non dubitamus de perspicacitate diuina: sed an futurum cõtingens sit determinatè cognoscibile, vt in se est, seu an sit determinatè verũ causaliter, seu transcendentaliter, v.g. lectio Petri futura; quia si id sit sic cognoscibile, seu transcendentaliter verum, Deus id absque dubio cognoscet certò, & ideò inquirimus, an id sit determinatè cognoscibile, vt est in se, seu an sit verũ causaliter, seu an in eo futuro sit determinata veritas causalis, quòd est idẽ, ac quærere. An propositio singularis de futuro contingente, v.g. *Petrus peccabit*, sit determinatè vera, quòd directè inquirimus de propositione obiectiua, & indirectè de formali; quia si obiectiua, est determinatè vera; formalis etiã erit determinatè vera; quanuis hæc tantũ secundario & deriuatiuè ab obiectiua, & etiã obiectiua sumpta, vt potente obiectiuè causare iudicium sui, vt est in se, qua ratione est vera transcendentaliter, seu in essendo est secundario, & deriuatiuè vera à se ipsa, vt iam iudicata: ipsa verò sumpta, vt jam iudicata, vt est in se, erit primario vera, de quo dicemus disp. 7. de veritate, diffic 3.

Pro huius tamen clariori intelligentia supponimus, propositionem, aliam esse formalem, aliam obiectiuam. Propositio formalis est propositio, vel repræsentans obiectiuam, si formalis sit mentalis, vel significans obiectiuam, si formalis sit externa, vocalis videlicet, aut scripta. Propositio obiectiua est illud cõplexum, v.g. *Petrus peccabit*, vel quod repræsentatur per formalẽ mentalẽ, seu quod obijcitur ipsi propositioni mentali, vel quod significatur per propositionẽ formalẽ extremã, & propositio obiectiua est duplex: vna est illud complexũ vt iudicatum, vt est in se extra iudicium, in qua veritas reperitur primario, & altera est illud complexũ, non vt iudicatum, sed vt est extra iudicium, seu vt non iudicatum, in qua non est veritas primario,

sed secundario, & deriuatiuè, quia est causa, seu potens esse causa iudicij ipsius complexi; veritatem verò tantum esse vnam, vt dicemus in ea, disputat. 7. nempè conformitatem rei complexæ, seu propositionis obiectiuæ, vt iam iudicatæ cum ipsa re, vt est in se extra iudicium, & eam primario reperiri in ipsa re complexa, seu propositione obiectiua, vt iam iudicata conformitet ipsi rei, vt est in se extra iudicium, & secundario, & deriuatiuè in propositione formali, quia hæc est signum propositionis obiectiuæ iudicatæ, vt est in se, sicut vrina dicitur secundario sana; quia est signum sanitatis, quę primario est in animali, & etiam secundario, & deriuatiuè reperitur in ipsa re complexa, vt est in se extra iudicium; quia sic considerata est potens obiectiuè causare verum iudicium sui, vt est in se, sicut medicina dicitur sana à sanitatè animalis, in quo primario reperitur; quia est causatiua sanitatis, existentis primario in animali.

Ob mutuam ergo relationem propositionis formalis, & obiectiuæ, quòd dictum fuerit, quo ad veritatem, de propositione obiectiua singularis, de futuro contingente, etiam est suo modo, & proportionabiliter intelligendum, & applicandum propositioni formali, & è contrà. Et ob subordinationē quo ad veritatē propositionis formalis, & obiectiuæ nō iudicatæ ipsi obiectiuæ iudicatæ, in qua primario reperitur veritas, quod dictum fuerit de veritate cuiuslibet, applicādum est alijs duabus suo modo; quia si vna ex illis est suo modo vera, aliæ duæ etiam erunt veræ, quælibet suo modo, v.g. si propositio obiectiua non iudicata est vera causaliter, & secundario; ipsa iam iudicata erit vera formaliter, & primario, & propositio formalis erit vera repræsentatiuè, vel significatiuè, & secundario, de quo latè dicemus in ea disput. 7. de veritate.

Hoc ergo suppositio circa difficultatem Aureolus in 1. distin. 39. quæst. 1. art. 1. Catherinus in opusculo, de veritate enuntiationum. Ægidius in 1. dist. 38. quæst. 3. & Rubius 1. de interpretatione, cap. 8. docent, nullam propositionem singularem de futuro contingente, v.g. *Petrus peccabit*, esse determinatè verā, nec determinatè falsam, sed tantum esse veram, vel falsam disiunctim, non disiunctiuè, quibus maximè fauent Caiet. quæst. 14. art. 13. Toletus, Fonseca, Molina, imò & Aristoteles 1. de interpretatione, cap. 8.

Sententia hæc probari videtur; quia propositio est, vel dicitur vera, ab eo, quòd obiectum illius est, & falsa ab eo, quòd non est, v.g. si propositio sit formalis dicitur vera, vel falsa ab eo, quòd res complexa, quam repræsentat, vel significat est, aut non est in se, & propositio si sit obiectiua siue iudicata, siue nondum iudicata dicitur vera, vel falsa ab eo, quòd res repræsentata, vel significata est, aut non est

in

in ſe, ſeu quod idē eſt, propoſitio formalis eſt vera, ſi ſit cōformis ſuo obiecto complexo, quòd repræſentat, aut ſignificat, & eſt falſa, ſi nō ſit ſuo obiecto conformis modo prædicto. Et propoſitio obiectiua eſt vera, ſi res repræſentata, vel ſignificata per formalem repræſentetur, vel ſignificetur vt eſt in ſe: ſed futurum contingens, v. g. peccatum Petri futurum, quod eſt obiectum propoſitionis formalis ſingularis de futuro contingente repræſentatum, aut ſignificatum per illam non eſt determinatè futurum, nec determinatè non futurum, ſed eſt indifferens, & quaſi ſuſpenſum ad fore, & ad non fore, quouſque actu fiat; quia quouſque fiat eſt contingens, & liberum, & dependens à cauſa indifferente, & nondum determinata ad fore illius, ac proinde eſt in ſe indifferens, & tantum futurum, aut non futurum indeterminatè, & diſiunctim: ergo propoſitio formalis repræſentans, vel ſignificans futurū contingens, & obiectiua repræſentata, vel ſignificata per ipſam formalē, non eſt determinatè vera, nec determinatè falſa, ſed eſt indeterminata, & indifferens, & quaſi ſuſpenſa, vt ſit vera, vel falſa diſiunctim quouſque cauſa illius determinetur, & illud efficiat.

Et confirmatur; quia ſi propoſitio ſingularis de futuro contingente eſſet determinatè vera, nihil eſſet contingens, ſeu liberum, ſed omnia neceſſariò euenirent, quod eſt maximè abſurdum. Conſequētia conditionalis probatur; quia ſi talis propoſitio, v. g. Petrus peccabit, eſt determinatè vera erit neceſſario vera, & conſequenter futurum repræſentatum, vel ſignificatum per formalē eueniet neceſſario Quod autem ſi propoſitio ſingularis de futuro contingente ſit determinatè vera, ſit neceſſario vera, probatur; quia ſi ſemel eſt vera, nequit non eſſe vera ab æterno; quia eadem eſt ratio illius durationis in qua ſemel fuit vera, & cuiuſcumque alius durationis præcedentis in infinitum, quod autem eſt ab æterno verū, nequit nō eſſe verum, ſi ergo illa propoſitio nequit nō eſſe vera, eſt neceſſario vera.

Scotus verò Bonauent. Gregor. Gabr. Ricard. Maior, Ocham, Capreol. & Marſil. in 1. diſtin. 38. Vazq. diſp. 66. Sotus, Suarez, Corduba, & alij, quos referunt, & ſequuntur Arrubal diſput. 41. cap. 2. Ruizius diſput. 23. ſect. 2. & Heric. diſput. 6. cap. 7. docent, & meritò, propoſitiones ſingulas de futuro contingente eſſe diſtinctè, & determinatè veras, vel diſtinctè, & determinatè falſas, ſeu eſſe veras, vel falſas diſiunctiuè, non diſiunctim.

Id autem à nonnullis probatur ratione Theologica, deſumpta ex prædictione, & ex ſcientia diuina, qua reuelat, & ſcit propoſitiones ſingulares de futuro contingente, ſeu ipſa futura contingentia; nos tamen eà non vtimur, quia ſi ex prædictione, & ex

scientia diuina futurorum contingentium, probemus futura contingentia esse determinatè futura ex futuritione determinata eorum probari ex prædictione, & ex scientia diuina qua ea prædicit, & præscit, non possumus probare præscientiam diuinam eorum, aliàs de primo ad vltimum probaremus, Deum præscire futura contingentia; quia ea prædicit, & præscit.

Nostra ergo sententia ratione naturali probatur; quia quando effectus contingens fit, v.g. quando Petrus peccat, tunc eo tempore est verum, quod Petrus determinatè peccat: ergo propositio formalis (& suo modo obiectiua) antea, & ab æterno prolata significans illum effectum eo tempore esse futurum, erit determinatè vera; quia significat posteà futurum esse determinatè, quòd re vera posteà erit determinatè; illa autem propositio formalis, quæ significat rem sicuti est pro eo tempore, pro quo eam significat, est determinatè vera.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, concedendo maiorem: negando tamen minorem; nempè futurum contingens, quòd est obiectum propositionis singularis, de futuro contingente non esse determinatè futurum, & ad eius probationem concedimus, futurum contingens esse verè contingens, & liberum, non tamen esse indifferens ad fore, & non fore; quia contingentia, & libertas effectus non consistit in aliqua indifferentia sui, sed in eo tantum, quòd determinatè proueniat à causa in actu primo indifferente ad faciendum, & non faciendum illum, in quo libertas effectus distinguitur à libertate causæ; quia libertas causæ in eo consistit, quòd ita sit in actu primo indifferens ad faciendum, vel non faciendum illum, vt sicut fecit illum potuerit pro sua libertate non facere illum: ergo futurum contingens, quamuis sit contingens, seu liberum, potest esse determinatè futurum; quia contingentia, seu libertas effectus non consistit in indifferentia aliqua sui ad esse, & ad non esse, sed in eo tantum, quòd proueniat à causa in actu primo non determinata ad effectum, sed indifferente, seu potente cum efficere, & non efficere prout maluerit; ita tamen, vt quãdo effectus liber actu producitur proueniat à causa, quæ in actu primo est indifferens, seu à nullo alio determinata, eo tamen tẽpore productionis pro sua libertate determinata in actu secundo, ipsa videlicet productione effectus, quæ est actus secundus, & quando effectus contingens, seu liber nondũ actu producitur, sed posteà est producendus, sit futurus ab ipsa causa non determinata, sed in actu secundo determinanda pro sua libertate in ea duratione, in qua illum producet.

Ad confirmationem respõdemus ex eo quòd propositio de futuro cõtingẽte sit semel, & ab æterno vera solũ sequi esse necessario verã, & ip-

& ipſum futurum, per eam ſignificatum eſſe neceſſario futurum, neceſsitate tantum conſequente, & ex ſuppoſitione, quòd ipſa fuerit ſemel, & ab æterno vera, & futurum ſignificatum, per ipſam fuerit ſemel, & ab æterno futurum, non tamē neceſsitate antecedente, & ſimpliciter; quia id ex cuius ſuppoſitione eſt neceſſariò vera, potuit liberè nō poni, ſeu ſupponi, ſed pro libito cauſæ potuit enūciatio illa nō eſſe vera, & ſignificatū per ipſam, nō eſſe futurum: hęc autem neceſsitas ſecundum quid, ſeu ex ſuppoſitione futuritionis effectus liberi, & veritatis enuntiationis de illa, ſufficit vt cognitio Dei eam futuritionem, & veritatem attingens, ſit certa, & infallibilis, cui ne quidem ſubeſſe falſum; quia hæc cognitio ſupponit obiectum cognitū eſſe futurum, quod autē eſt futurum ex ſuppoſitione, quod ſit futurū, nequit ex ſuppoſitione nō eſſe futurum; quāuis ſimpliciter potuerit non eſſe futurum, de quo latius dif. 13.

Ex dictis conſtat, quod quanuis futurum contingēs, ſeu liberū non exiſtat actu, eſt tamen actu, & ab æterno verum obiectiuè cauſaliter, ſeu tranſcēdentaliter; quia verum obiectiuè cauſaliter cōſiſtit in eo, quòd poſsit objici iudicio, vt eſt in ſe.

Et futurum contingens, quanuis actu non exiſtat, poteſt tamen obijci actu iudicio, vt in ſe eſt, ſicut prēteritum, quanuis actu non exiſtat; eſt tamen actu obiectiuè verum cauſaliter, ſeu tranſcendentaliter; quia quantum eſt ex ſe poteſt obijci iudicio, ſeu illud obiecti uè cauſare.

Et poſsibilia, quanuis actu non exiſtant; ſunt tamē actu vera obiectiuè tranſcendentaliter; quia quantum eſt ex ipſis poſſunt obiecti uè cauſare iudicium ſui, vt in ſe ſunt.

Verum ergo obiectiuè, adhuc tranſcendentale diſtinctum eſt ab ipſo ente, quod objicitur, aut poteſt objici iudicio; quia ens non eſt actu ens, niſi actu exiſtat, eſt tamē actu verum obiectiuè, quanuis actu non exiſtat, nec extiterit, nec extiturum ſit; quia iudicatur; aut quia poteſt iudicari, vt eſt in ſe: eſt enim veritas obiectiua, etiam tranſcendentalis, extrinſeca denominatio conueniens enti: veritas obiectiua formalis eſt extrinſeca denominatio iudicati, vt eſt in ſe, & veritas obiectiua tranſcendentalis, eſt extrinſeca denominatio iudicabilis: & verum obiectiuum eſt concretū pro materiali dicens *ens*, & pro formali ipſam extrinſecam denominationem actu conuenientem enti, quanuis non exiſtenti; quia quanuis actu non exiſtat, iudicatur tamen, aut poteſt iudicari, vt in ſe eſt.

Vnde verum obiectiuè, etiam tranſcendentalem diſtinguitur ab ente, tanquam includens ab incluſo; quia eſt concretum includes ipſum ens, tanquam ſubiectum, & ipſam extrinſecam denomi-

na-

natione, tãquam formam ea proportione, qua album distinguitur à corpore, & includit corpus, & albedinem.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia conditionata.

DIfficultas hæc procedit de futuris contingentibus conditionatis, in quibus particula conditionalis, v.g. *si*, vel alia æquiualens significat coniunctionem in tempore vnius cum alio, non puram absque aliqua conducentia vnius ad aliud, vt contingit in hoc futuro: si Petrus est dives: Ioannes est nobilis, in quo particula *si*, tãtum significat cõiunctionem, puram in tempore Petri diuitis cũ Ioanne nobili, absq; cõducentia Petri diuitis ad nobilitatem Ioannis, quæ vt sic nõ est cõditionalis, sed purè copulatiua, æquialẽs cõiũctioni &; quia sensus illius est: Petrus est dives, & Ioannes est nobilis; sed procedit de futuris, in quibus particula cõditionalis est, copulatiua cau saliter, seu significat coniunctionem causalem vnius cum alio, vt cõtingit in hoc futuro: si Petrus vocetur à Deo, respondebit vocationi: & procedit nõ solum de futuris cõtingẽtibus sub cõditione, quę nunquam sunt futura absolutè, v.g. si Petrus vocaretur respõderet, qui tamẽ non est vocandus nec responsurus, sed etiã de futuris sub cõditione, quæ sunt absolutè futura in aliquo posteriori signo; quan uis in aliquo priori sint futura sub conditione, v.g si Petrus vocetur, respondebit.

Difficultas ergo procedit de contingentibus sub conditione causalis futuris, tàm de nũquam absolutè futuris, quàm de absolutè futuris in posteriori signo; quia cognitio omnium eorum, & præcipuè eorum, quæ in posteriori signo sunt absolutè futura, est Deo necessaria ad prædestinationem, & prouidẽtiam erga creaturas rationales, vt eorum cognitione, quasi dictus rectissimè, & prudẽtissimè, vt ipsum decet, illis prouideat; quia absq; ea scientia ignorabit, quæ cogitatio erit efficax; quia scientia simplicis intelligentiæ tantum scit, quæ sit possibiliter efficax, non verò, quæ re ipsa erit efficax.

Circa difficultatem ergo Thomistæ, præsertim illi qui physicam prædeterminationem admittunt, constanter affirmant, Deum non cognoscere certò contingentia sub conditione futura, v. g. quòd Petrus consentiret, si tali vocatione excitaretur, aut quòd consentiet,

ret, si vocetur; concedunt tamen Deo cognitionem, coniecturalem eorum futurorum, non cõiectura se tenẽte ex parte, actus cognitionis diuinæ; quia talis coniectura est Deo indigna, & impossibilis; sed coniectura se tenente ex parte obiecti; quia Deus cognoscit certò esse probabile, aut probabilius, aut moraliter certum, quòd voluntas, posita hac, aut illa conditione consentiret, aut consentiet, ita Cabrera 3. par. quæst. 1. ar. 3. disp. 1. Ledesma disp. 2. de scientia contingentium, Curiel lib. 1. controuers. 7. art. 1 & id insinuant Catherinus opusc. de præd. p. 2. & Ianſen. c. 47 concordan.

Idem, quamuis obscurè docere videtur Nauar. controu. 36. dum ait, in Deo non reperiri formaliter scientiam horum futurorum, sed eminẽter, seu virtualiter in eo constituens hanc eminentiam, quòd scilicet Deus certò cognoscat causas ex quibus, probabiliter potest colligi veritas eorum futurorum.

Sententia hæc suaderi potest 1. ex Scriptura, vbi sæpè quando à Deo prædicuntur futura contingentia, conditionata, additur particula *fortè*, quę est coniectantis, non certò scientis, vt denotetur incertitudo cognitionis, & prædictionis eorum, vt Matth. 11. *Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hunc diem.*

2. ex August. 1. de prædest. Sanctorum cap. 14. qui explicans illud Sapient. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, ait: *Dictum est secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quòd futurum erat, non quod non futurum erat*: Augustin. ergo dum ait, contingens quòd subcõditione prędicitur; nẽpè, quòd si viueret intellectus illius esset malitia mutandus non fuisse prædictum; quia præsciretur à Deo, sed quia pericula præsentis vitæ id indicabant: sentire videtur contingentia sub conditione futura non certò cognosci à Deo, & idem significat Prosp. in Epist ad eundem Augustinum.

Et ratione probatur; quia propositio conditionalis de futuro contingente non est vera: ergo nequit à Deo sciri, seu certo cognosci.

Consequentia patet, antecedẽs autem probatur 1. quia veritas cõditionalis consistit in bonitate illationis, seu consequẽtiæ, quia propositio cõditionalis, nihil aliud significat, quã vnum inferri ex alio: sed in propositione cõditionata de futuro cõtingenti, vnum nõ benè infertur ex alio; quia non sequitur, seu infertur necessariò ex illo, sed contingenter, seu defectibiliter, v. g. in hac: *si Petrus vocetur respondebit*, illatio autẽ, seu consequentia, quę non est necessaria, non est bona; quia in ea antecedens potest esse verũ, & cõsequẽs falsum:

er-

ergo propositio cõditionalis de futuro contingenti, nõ est vera, cũ non sit bona illatio, seu consequentia.

Secundò probatur idem primum antecedens: nempè quod propositio conditionalis, de futuro contingenti non sit vera; quia significat rem forè aliter, quàm futura est; quia significat, effectum contingentem, sub conditione esse futurum determinatè, & tamen non est determinatè futurus; quia non est vnde sit, aut esset futurus; quia non à causa secunda; quia ex ea quamuis completè disposita, & sub conditione efficaci præuenta, omnino, liberè, & indifferenter futurus est, aut esset effectus, nec ex decreto aliquo: quia in Deo nõ est decretum, quo statuat quod illum producet, si talis adsit conditio, aut quo illum produceret, si talis adesset cõditio, quia ad id vanè, & superfluè poneretur decretum, præsertim quãdo conditio nũquam est futura, & futurum nunquam est futurum.

Et confirmatur hæc secunda probatio antecedentis; quia absque decreto aliquo absoluto aut ante illud, nihil est determinatè futurum absolutum: ergo nec absq; decreto, quo Deus decernat futurum sub conditione, vel ante tale decretum erit aliquid, aut esset determinatè futurum sub conditione.

Molina verò disp. 14. Vazq. disp. 67. Suarez lib. 2. cap. 1. Lesius in Opusculo cap. 19. Albiz disp. 7. sect. 1. Herice disp. 7. Fasolus dub. 13. Mæratius disp. 28. Ruyz. disp. 61. sect. 3. disp. 7. sect. 1. & plures alij docent, & merito, Deum certò cognoscere contingentia futura sub cõditione, quòd etiam admittunt Aluar. lib. 2. de Auxilijs disp. 7. Gonz. disp. 44. Zum. disp. 8. & Rip. dub. 4. & id satis indicat S. Th. 3. p. q. 1. ar. 5.

Probari autem potest primo ex Scriptura, 1. Regum 23. vbi Dauid, qui timens Saulem fugerat in Ceilam, consuluit Deum, an si ipse maneret in Ceila, Saul descenderet aduersus eum, & an si descenderet, ciues Ceilæ traderent eum in manus Saulis, & ad vtrumque respondit Dominus, *Descendet, & tradent te.* Et 3. Reg. 11. *Non ingrediemini ad eas, certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Et Ieremiæ 38. ipsi Ieremiæ suadenti fugam Regi ad Caldeos, ait Rex *Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum,* & respondit Ieremias: *Non te tradent.* Et Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Ergo Deus certò præcognoscit cõtingentia futura sub cõditione, aliàs eius prædictioni, & oraculo posset subesse falsum.

Ad hæc, & ad alia similia testimonia, quibus contingentia forè

sub

ſub conditione prædicuntur à Deo reſpondent aduerſarij, in eis nõ prædici à Deo quid certò euenturum eſſet, ſed quid appareat forè, conſiderata earum perſonarum affectione, & diſpoſitione.

Hæc tamen interpretatio, & reſponſio, in primis eſt contra proprietatem verborum, quibus ſignificatur cõtingentia illa futura eſſe, ſub aſsignatis conditionibus, & non, quod appareat.

Deinde h c interpretatio, non ſatis commendat perfectionem præſcientiæ, & prædictionis Dei, qui nequeat certò cognoſcere, & aſſequi euentum futurum, ſed tantum cauſas ex quibus probabiliter appareat futurum, ita vt quando de eo interrogetur, poſsit reſpondere, ſe eum non poſſe certò præſcire, ſed tantùm quòd præſens diſpoſitio rerum ſit talis, vt ex ea appareat eum euentum futurum.

Vnde 3. non magis tribueretur Deo in prędicendo, quàm poſſit dæmon prædicere, qui ex rerum diſpoſitione prædicere poteſt, & ſæpè prædicit. Et quartò, cùm euentus poſſet aliter euenire: vel quia præſens diſpoſitio, & affectio poſſet poſtea mutari; vel quia quãuis perſeueraret, nõ ſemper cogeret ad euentum illi, quibus diuinæ prædictiones fierent, manerent anxij, & dubij de euentu.

Deinde aduerſarij alijs modis conantur prædictis, & alijs ſimilibus teſtimonijs reſpondere, quos omittimus; quia facilimè impugnari poſſunt; videri tamen poterunt apud Suarez, Leſium, Herice, Faſolum, & Ruyzium.

Secundò, ſententia noſtra probatur ex Patribus; quia plures hanc præſcientiam contingentium ſub conditione futurorum apertè cognoſcunt, aut ſupponunt.

Auguſtinus 1. ad Simplicianum q. 2. eam ſupponit, dum de reprobis ait: *Si vellet* (nempè Deus) *etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſſet, vt conuerterentur*. Supponit ergo Auguſtinus Deum præſciuiſſe, quòd ſi reprobi taliter vocarentur, reſponderent. Et eamdem ſcientiam conditionalem apertè indicat de bono perſeuerantiæ cap. 8. & 9. & 14. & libr. de ſex quæſt. contra Paganos quæſt. 2. & de prædeſtinatione Sanctorum cap. 9. & ſæpè alibi.

Præterea Sancti Patres varias tractant quæſtiones, in quibus dicta præſcientia conditionata neceſſariò ſupponitur; quia quærũt: cur Deus creauit dæmones, quos præſciebat, futuros eſſe malos, id eſt. Cur Deus decreuit eos creare, cùm præſciret, quòd ſi crearentur, futuri erant mali. De quo Damaſcenus, Dialogo contra Manichęos, & Auctor Homiliæ de Adam, & Eua apud Chryſoſtomum tom. 1. & Baſilius homil quòd Deus non ſit auctor malorum; quæ-

runt

runt etiam: cur Deus creat eos, quos scit, futuros esse peccatores? Et non acturos pœnitentiam? de quo idem Damascen. lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 22. & Gregor. Nissenus orat. Cathequit c. 7. Et etiam quærunt: cur Deus permisit hominem tentari à diabolo, cùm præsciret casurum? & cur si præsciuit casurum, non impediuit? De quo Tertul. lib. 2. & cur Deus iustos nõ aufert ex hac vita, quos præscit peccaturos, & damnandos, si sinantur viuere? De quo August. lib. de Correption. & gratia cap. 8. & cur homini primo dedit mandatum, a quo præsciebat, eum præuaricaturum? De quo auctor homiliç de Adam, & Eua.

Hæc & similia tractantur à SS. Patribus, quæ in Deo supponunt dictam præscientiam conditionatam ex parte obiecti, & tamẽ nullus Patrum negat, id sic præsciri à Deo, sed eas quæstiones soluũt adducendo alias causas.

Et ratione probatur, & in primis à priori; quia sicut contingentia absolutè futura certò cognoscuntur à Deo futura; quia ipsa sunt futura determinatè; quia suspensio ad forè, & non forè est impossibilis; quia res tempore futuro, quod ipsi rei erit præsens, erit determinatè, & ita ante illud, & ab æterno est determinatè futura: ita etiam in contingente sub conditione futuro, quòd nunquam est absolutè futurum, est impossibilis suspensio ad forè, & non forè ex suppositione illius conditionis; quia si ea conditio poneretur, res non maneret suspensa ad forè, & non forè; sed determinatè esset futura, aut determinatè nõ esset futura: ergo à Deo infinitè perspicaci, seu intellectiuo certò, & infallibiliter cognoscitur, quòd si ea conditio poneretur res cõtingens esset determinatè futura, aut quod non esset determinatè futura.

Et simili, aut eadem ratione probatur contingentia, quæ in posteriori signo sunt absolutè futura, in priori signo antequam sint absolutè futura certò præcognosci à Deo futura sub conditione positionis causæ, aut dispositionis, ex qua in posteriori signo futura sunt absolutè, ex quo magis declarabitur, & cõfirmabitur, quod dictum est de contingentibus sub conditione futuris, quç nunquam sunt absolutè futura.

Probatur ergo quia in eo priori signo sunt distinctè, & determinatè futura sub cõditione positionis causæ, aut dispositionis, v. g. Petrus, ex tali vocatione consensurus est absolutè in priori signo ante decretum Dei dãdi Petro vocationẽ, ex qua cõsensurus est absolutè, & verũ est, quòd si Petrus vocetur, cõsentiet determinatè, quia ea vocatione re ipsa posita, Petrus verè, & determinatè cõsentit: ergo in eo priori signo hęc contingentia certò à Deo pręcog-

noſ-

noſcuntur futura ſub ea conditione; quia Deus, vt potè infinitè per ſpicax certò cognoſcit omne verum, & omne futurum, & quomodo libet futurum.

Ex eo ergo Deus certò cognoſcit, contingentia ſub conditione futura; quia ſua infinita perſpicacitate immediate attingit exiſtẽtiam, quàm determinatè ſunt, aut eſſent habitura ex hypotheſi cõditionis, itaut proxima cauſa certitudinis ſcientię eorum ſit infinita perſpicacitas intellectus diuini, & eſſe reale determinate futurum, quòd ſub conditione ſunt, aut eſſent habitura, ratione cuius propoſitiones conditionales, quæ de illis fiunt, ſunt determinatæ veritatis, quæ nequit ſubterfugere perſpicacitatem infinitã diuini intellectus qui omne cognoſcibile, & verũ, immediatè, & eo modo, quo eſt ens, & verum attingit.

Secundò probatur à poſteriori; quia aliàs Deus abſq; ea præſcientia contingentium ſub conditione futurorum, tanquam cœcus procederet in prouidẽdo creaturę rationali; quia decerneret vocare hac, aut illa vocatione, aut omitteret decernere non præſciendo certò, quid ex ea vocatione, aut ex omiſsione vocationis ſequuturum ſit, aut eſſet, niſi poſtquam vocare decreuit, aut omiſsit decernere: vt ergo Deus circunſpectè, & perfectè, vt ipſum decet, prouideat creaturæ liberæ, & circa eam decernat, aut ommittat decernere, debet prius certo cognoſcere quid ſequetur, aut ſequeretur, ſi hoc, aut illud concedat, aut concederet; quia abſque ea ſcientia ignorabit, quę cogitatio erit efficax; quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ tantum ſcit, quæ ſit, aut eſſet poſsibiliter efficax; nõ verò quæ re ipſa erit, aut eſſet: eſt ergo Deo neceſſaria dicta ſcientia conditionata ex parte obiecti ad prouidentiam creaturæ liberæ; quia ea ſola cognoſcit certo, quæ cogitatio erit, aut eſſet efficax, & ea quaſi ductus decernet illam concedere, aut id non decernet.

Omnibus prædictis fundamentis, quibus noſtra ſentẽtia probata eſt, probatur Deum non ſolùm certò cognoſcere cauſas, ex quibus probabiliter poſsit colligi futuritio conditionata contingentium, in quo Nauarrete conſtituit eminentiam cognitionis diuinæ futurorũ contingentium conditionatorum, ſed etiam certò cognoſcere ipſa futura contingentia cõditionata in ipſis formaliter, & actu, quia ea actu, & formaliter in ipſismet prędicit, & reuelat, non poſſet autem ea formaliter, & in ipſismet prædicere, ſi ea formaliter, & in ipſismet non ſciret.

Quòd ſi obijcias: Deus prius ratione, quã decernat aliquid facere, & quam voluntas noſtra ſit aliquid abſolutè operatura, certò ſcivit, quid

quid voluntas nostra sit sub conditione aliqua operatura: ergo ea cõ ditione posita, non potest non operari; quia nequit reddere falsam prescientiam Dei.

Respondemus, ea scientia diuina conditionata, non auferri libertatem nostræ voluntatis, vt latius dicemus difficul. 13. quia ea præscientia diuina supponit nostram liberam determinationem sub conditione futuram, quamuis antecedat eam absolutè futuram, vt suæ prouidentiæ sternat viam ad suauiter prouidendum.

Ad fundamenta ergo aduersariorum respondeamus, & ad primum desumptum ex particula *fortè*, addita nonnullis diuinis prædictionibus contingentium, seu liberorum sub conditione futurorum.

Respondemus, eam particulam non esse additam ob incertitudinem aliquam præscientiæ, aut prædictionis diuinæ, vt aduertunt Hieronymus in cap. 2. Ezechiel, & in 26. Ieremiæ, & Theodoretus super eisdem locis. Gregor. Homil. 9. & 18. in Ezechielem. Ambrosius lib. 2. de pœniten. cap. 5. Chrysostomus homil. 78. in Matthæũ, Augustinus in illud Psalmi 2. *Ne quando irascatur*, & Tractat. 37. in Ioannem S. Thomas, & alij, & meritò, quia incertitudo, & dubitatio repugnant cognitioni, & prædictioni diuinæ, ea ergo particula *fortè*, additur diuinis prædictionibus, vel vt denotetur libertas effectus, vt aduertunt Hieronymus, Remigius, & alij, vt contingit in testimonio illo Matth. 11. ab aduersarijs adducto, vel ad significandam difficultatem futuritionis effectus, vt aduertit Greg. homil. 18. citata.

Et ad testimonium Augustini respondemus, cùm quando ait illud Sapientiæ 4. *Raptus est*, &c. non esse dictum secundum præscientiam, loqui de præscientia absoluta, qua Deus præcognouerit in paruulis merita absolutè futura, ob quæ præmaturè rapiantur; quia Deus ea non prę sciuit; quia verè non erant futura, & ideo ait, non fuisse dictum secundum præscientiam meritorum absolutè futurorum, quæ confert ad præmium, vel ad pœnam; quia ibi loquitur contra quosdam, qui existimabant paruulos propter merita, aut demerita quæ Deus præsciebat, eos habituros esse, si viuerent obtinere à Deo exire ex hac vita cum baptismo, vel sine illo; sed ait dictum fuisse secundum pericula huius vitę; quia secundum ea, quæ in tanti occurrerent, si viueret, certò præcognouit Deus, intellectum illius mutandum forè.

Et eodem modo Prosper. qui ista proposuerat Augustino contra eosdem, docet ea merita sub conditione esse commentitia, & absurdum esse merita, quæ non sunt absolutè futura esse præscita,

cita, intelligit præcientia absoluta, quæ conferat ad premium, vel ad pœnam.

Et ad rationem respondemus negando, quòd propositio singularis cõditionalis de futuro cõtingenti non sit vera; quia vt iam diximus, id, quòd per ipsam significatur ex hypothesi, seu sub cõditione futurum, sic est verè futurum.

Et ad primam probationem cõcedimus, quòd in ea propositione vnum nõ inferatur ex alio, nec id ea significatur; quia quãdo eã proferimus nõ intendimus argumentari, sed solũ significatur cõiunctio causalis vnius cum alio, vel ex alio sub cõditione concepto, non vt necessaria, sed vt futura; quia solũ intendimus significare, quid re ipsa sequuturum sit, aut esset, si talis cõditio ponatur, aut poneretur, & quem effectum ea cõditio sit, aut esset habitura, vt patet ex omniũ intentione, & sensu: qui enim certò præcognoscẽs, Petrum peccaturum crastina die, si viuat, affirmaret: *si Petrus viuit crastina die peccabit*, nõ proferret falsum: signum ergo est, ea propositione nõ significari necessariam illationẽ vnius ex alio, sed cõiũctionem, vel connexionem causalem vnius cum alio; ac proinde nõ est generaliter verum, quòd veritas propositionis conditionalis consistat in bonitate illationis, seu consequẽtiæ, nisi quando ea propositione intenditur significari illatio vnius ex alio: imò existimamus, quòd vt est illatio, nequeat dici vera, sed bona: quia vt illatio non tam est iudicium, seu affirmatio vnius de alio sub conditione concepto, quã discursus, seu argumentatio vnius ex alio.

Vnde cõditionalis necessaria, *vt si sol lucet dies est*, quatenus infert vnum ex alio, solum erit bona, & ad eã vt sic requisita est necessaria cõnexio inter solam lucẽtem, & diem: poterit tamẽ etiam esse vera, quatenus etiam est affirmatio vnius de alio sub cõditione cõcepto, & ad eã vt sic non erat requisita illa necessaria connexio, sed sufficeret coniũctio causalis vnius cũ alio, seu dimanatio vnius ab alio quãuis non necessaria, quãdo autem inter extrema cõditionalis nulla est connexio, seu coniũctio causalis vnius cum alio; quia vnum non cõducit ad alterum, vt quando dicitur: si Petrus est dives, Ioannes est nobilis, si ea propositione solùm intendatur significari comitantia, erit vera, si ita est: hęc autem sola videtur significari 4. Reg. 13. quãdo Elisæus dixit Regi Israel *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam vsq; ad consummationem*, quia ibi nulla est connexio, nec causalis, nec illativa, sed solùm comitantia futura sub cõditione reuelata Prophętæ: Particula autem *sit* rarò significatur pura comitantia, sed connexio, præsertim illativa, de quo latius diximus diffic. 12.

Et ad ſecundam probationem eiuſdem antecedentis negamus, id, quòd ea propoſitione cõditionali ſignificatur nõ eſſe determinatè futurũ ex ſuppoſitione cõditionis; quia ſi cõditio exiſteret, ex ea aliquid ſequeretur, aut ſi cõditio exiſtat ex ea aliquid determinatè ſequeretur; quia nõ poſſet manere ſuſpẽſum ad forè, & non forè, vt iam diximus, eſſet autem, vel erit ex ſuppoſitione cõditionis determinatè futurũ, ſeu determinãdum à ſua cauſa, non quia in cauſa ſit, aut eſſet aliquid, quòd in effectum futurũ inclinaret neceſſario; ſed quia liberè determinanda eſſet, vel erit operatione ipſa; quia ſi conditio exiſteret, aut exiſtat, cuuſa non maneret, nec manebit ſuſpenſa ad futuritionem, vel non futuritionem operationis, ſeu determinationis. Et ad confirmationem eiuſdem probationis reſpondemus, quòd ſicut abſq; decreto abſoluto, aut ante illud res nõ eſt abſolutè futura: ita etiam abſq, decreto cõditionato, aut ante illud nihil eſt, nec eſſet futurum ſub conditione, hoc tamen decretum conditionatum, abſque quo, aut ante quod res non eſt futura ſub conditione non eſt abſolutum ex parte actus, quo Deus actu decernat, quòd ſi talis conditio ponatur, aut poneretur, concurret, aut concurreret cũ cauſa ſecunda: ſed eſt conditionatum, nõ ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte actus; quia hìc actus non eſt, ſed vel eſſet, ſi conditio poneretur, vel erit in poſteriori ſigno, ſi conditio ipſa eſt re ipſa ponenda. De quo latius diffic. ſequenti.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Deus certò cognoſcat contingentia futura ſub conditione independenter à ſuo decreto abſoluto ex parte actus.

SVpponimus, poſſe nos in Deo concipere duplex decretum circa contingentia futura ſub cõditione: alterum, quod ſit abſolutũ ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, quale eſſet, aut erit decretum, quo Deus decernat, quòd fiat aliquid, ſi aliqua ponatur conditio, verbi gratia, decretum, quo Deus actu, & abſolutè decernat, quòd ſi Petrus ab ipſo vocetur, reſpondeat: alterum, quòd ſit conditionatum non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte actus, quale eſſet, aut erit decretum, quòd non eſt actu, & abſolutè, ſed erit, aut eſſet, ſi ponatur, aut poneretur aliqua conditio.

Hoc

Hoc ergo ſuppoſito Aluar.lib.2.de auxilijs diſp.7.Cabrer.3.p. q.62.ar 1.diſp.12.§.7 Gonzal.diſp.44.Riſpol.libr. de auxilijs concluſ.2.Blaſius Verdu.in relect.contra ſcientiam mediam,Cabezud. & alij non audentes negare Deo certam ſcientiam contingentium ſub conditione futurorum,docent,eam conuenire Deo ratione decreti efficacis præſuppoſiti abſoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti contingentis, quo Deus abſolutè, & actu decreuit, & prædeterminauit antecedenter ad noſtrum conſenſum,ſeu effectum contingentem,ſeu liberum eum forè ſi conditio ponatur, aut poneretur,& in eo decreto Deum ea contingentia certò cognoſcere tanquam in medio prius cognito. Quòd ſignificare videntur Auguſtin. & Proſper relati à Gonzal.diſp. 44.ſect.3.dum à gentes contra Maſilienſes ſignificare videntur,propoſitum,ſeu decretum prædeſtinationis,& electionis præſupponi in Deo ad præſciẽtiam futurorum contingentium ſub conditione.

Et ratione poteſt probari;quia nequit à Deo certò cognoſci, contingens eſſe ſub cõditione futurum,niſi re ipſa, & determinatè ſit ſub ea conditione futurum:ſicut nequit certò cognoſcere contingens abſolutè futurum,niſi ſit re ipſa,& determinatè abſolutè futurum:ſed nihil eſt futurum,nec abſolutè, nec ſub conditione abſq; decreto efficaci actuali Dei,quo actu velit efficaciter,rem efficere, vel abſolutè,ſi contingens eſt abſolutè futurum, vel ex ſuppoſitione conditionis,ſi contingens eſt futuum ſub conditione:ergo ſicut præſcientia contingentium abſolutè futurorum præſupponit in Deo,noſtro modo concipiendi,decretum omnino abſolutum efficax circa illa,ita etiam præſcientia cõtingentium ſub cõditione futurorum, præſupponit in Deo decretum efficax actuale circa illa, quo actu velit, illa forè ſub conditione hac, vel illa,imò in eo, vt pote relato ad illa, tanquam in medio prius cognito cognoſcit illa.

Doctores verò noſtræ ſocietatis,& Albiz,quos diffic præcedenti retulimus pro noſtra ſentẽtia docẽt,& meritò,Deum certò cognoſcere cõtingẽtia futura ſub conditione independenter ab omni decreto,quo actu decreuerit,illa forè ſub conditione.

Et in primis nõ leuiter indicatur in teſtimonijs Scripturæ(ea ſcilicet cognoſcere independenter â decreto aliquo prędeterminãte) quibus teſtimonijs difficultate præcedenti probauimus, in Deo eſſe certã cognitionẽ eorum cõtingẽtium ſub conditione futurorum; quia in eo loco 1.Reg.23.prædictio fuit deſcẽſus Saulis,& traditionis Dauid à ciuibus Ceilæ,& 3.Reg.11.prædictio diuina fuit auerſionis Iudæorum à vero Deo,& conuerſionis ad falſos gentilium,&

tamen descensus ille,& traditio illa,& auersio à vero Deo, & conuersio ad falsos gentilium, sunt peccata, quorum futuritionis nequit in Deo esse decretum prædeterminans antecedenter ad nostrum consensum; aliàs Deus esset Auctor eorum: ergo ad certam prædictionem,& cognitionem eorum non fuit in Deo præsuppositum actuale decretum absolutum ex parte actus, quo actualiter prædeterminauerit futuritiones eorum,si conditiones ibi assignatę ponerentur.

Ad hæc respondent aduersarij: eorum tamen responsiones omittimus;quia facilè possunt impugnari,& videri apud Heric. disp. 7.c.7.& apud Fasol.dub.17.

Deinde,quòd Deus independenter ab omni decreto absoluto ex parte actus,tàm prędeterminante,quàm non prædeterminante Deus cognoscat contingẽtia sub conditione futura, probatur ratione;quia absq;omni decreto absoluto ex parte actus, solo conditionato etiam ex parte actus,quãtum est ex parte ipsius decreti,cõtingens ipsum erit,aut esset determinatè futurum sub cõditione: ergo absq;omni decreto absoluto ex parte actus cõtingens sub cõditione futurum certò cognoscitur à Deo.

Cõsequentia patet;quia cõtingens sub conditione futurum ex eo à Deo certò cognoscitur,vt probauimus diffic.præcedenti;quia verè est determinatè futurum sub cõditione:antecedens autem;nẽpè cõtingens sub cõditione futurum esse determinatè futurum sub cõditione absq;omni decreto absoluto ex parte actus solo decreto etiam ex parte actus cõditionato quantum est ex parte decreti, probatur;quia amnia,quæ ex parte causæ absolutè positasufficiũt,vt cõtingens sit absolutè futurum,etiã sufficiũt,vt sit futurũ sub cõditione,si ea omnia supponantur,seu ponantur sub cõditione;quia cõditionatum sola purificatione,seu positione cõditionis,seu eorũ,quæ ponuntur pro conditione,fit absolutum:ergo sicut decretum omnino absolutũ quantũ est ex parte decreti,sufficit ad futuritionem absolutam cõtingentis:ita etiam decretum omnino cõditionatum,tã ex parte actus,quàm ex parte obiecti,quantum est ex parte decreti, sufficiet ad futuritionem cõditionatam contingentis:quòd ergo cõtingens sit determinatè futurum sub conditione,nõ cogit ad admittendum in Deo,nisi decretum conditionatũ etiam ex parte actus, quòd in Deo actu non sit,sed quòd erit in posteriori signo, si ponatur conditio,vel quòd esset,si poneretur conditio; & nõ decretum prædeterminans;quia eo auferretur contingentia, seu libertas actibus nostræ voluntatis:sed tantùm decretum concurrendi: ita vt circa cõtingentia,quæ in posteriori signo sunt absolutè futura,verũ

sit

ſit in eo priori ſigno, ſi Deus vocet Petrũ, & ipſe Petrus quantũ eſt ex ſe ſit reſpõſurus, Deus decernet cõcurrere cum eo, & cõcurret, & circa contingẽtia, quæ nũquam ſunt abſolutè futura verum ſit, ſi Deus vocaret Petrũ, & ipſe quãtum eſt ex ſe eſſet reſpõſurus, Deus decerneret cõcurrere cum eo, & concurreret, hæc enim decreta, etiam ex parte actus conditionata ſufficiunt quantum eſt ex ſe ad futuritionem conditionatam contingentium.

Addimus: primò dictum decretum prædeterminãs abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, quòd aduerſarij concedunt Deo, non ſolùm, non eſſe Deo neceſſarium ad certam cognitionem contingentium ſub conditione futurorum ob rationẽ dictam: ſed nec in Deo repiriritum, quia in Deo eſſet ſuperfluum, ſeu otioſum, ſicut etiam decretum cõcurrendi cũ voluntate creata nõ prędeterminans, quia non apparet, ad quid ſit Deo neceſſarium, tã vnum, quàm alterum, tum etiam; quia eo decreto prædeterminãte admiſſo, nullum in nobis eſſet futurũ cõditionatum contingens, ſeu liberum: quia ei decreto, vt pote diuino, & efficaci, & antecedẽti noſtrum conſenſum, voluntas noſtra non poſſet reſiſtere, & eo neceſſitaretur, ſicut ſimili decreto omnino abſoluto prædeterminante, ſi daretur in Deo, voluntas noſtra abſolutè neceſsitaretur, vt dicemus Tract. de Prædeſtin.

Addimus ſecundò, quòd quanuis admitteremus in Deo dictũ decretum, etiam prædeterminans abſolutum ex parte actus, & etiã quod ex eo admiſſo cõtingẽtia eſſent ſub cõditione determinatè futura, & verè contingentia, & libera, & quòd quia eſſet cauſa dictę futuritionis conditionatæ eorum conduceret Deo mediatè, ſeu remotè ad certam cognitionẽ eorum mediãte ſcilicet dicta futuritione; quia quòd eſt determinatè futurum, quãuis tãtum ſub cõditione, ne quit non certo cognoſci à Deo, ipſum tamẽ decretum immediatè, & in ſe ipſo nõ poſſet Deo cõducere, tãquam medium ad cognitionẽ eorum futurorum ſub cõditione; quia quodcũq; decretum diuinũ re ipſa eſſet omnino abſolutũ à reſpectu reali ad ea futura, & nullã cum ipſis haberet connexionem iuxta ea, quæ diſſi. 6. diximus de decreto omnino abſoluto.

Ad prius ergo fundamentum aduerſariorum deſumptũ ex Auguſtino, & Proſpero reſpondemus, hos Patres non egiſſe de decreto diuino noſtrorum operum, de quo eſt præſens difficultas. An ſcilicet decretum iſtud abſolutũ ex parte actus præſupponatur ad præſcientiam cõditionatam eorum operum; quia hi Patres diſputabãt contra Maſilienſes, qui circa hoc non errabant; ſed egiſſe de tota prædeſtinatione, circa quam Maſilienſes errabant exiſtimantes, par

uulos prędestinari, aut reprobari à Deo ob opera bona, aut mala, quę fecissent, si viuerent: & contra eos docuerũt, Deum prædestinasse aut reprobasse paruulos independenter ab ea præscientia conditionata, operum videlicet, quę, si illi viuerent, fecissent; quia ea opera sic conditionata non poterant esse causa moralis præmij, nec pœnæ, nec præordinationis ad præmium, nec ad pœnam, de quo latius Tract. de prędestin.

Vnde dicti Patres nullatenus significant, nec est verum, prędscientiã contingentium sub conditione futurorum, præsupponere in Deo decretum absolutũ ex parte actus circa opera nostra libera sub conditione futura, de quo tãtum est præsens difficultas; sed tantũ docent, prædestinationem nostram, qua Deus nobis prędparat media, quibus saluamur, dependenter fieri à præscientia operum sub conditione futurorum; tanquam à directione, qua Deus quasi dirigitur ad prudentissimè nos prędestinandum, & nobis prouidendum, & eã præscientiam præsupponere.

Ad rationem autem eorum constat ex dictis in ratione facta pro nostra sentẽtia, ad futuritionem conditionalẽ determinatã contingentium, quæ necessaria est in eis, vt à Deo certò cognoscãtur, sufficere decretum conditionatum etiam ex parte actus, quo nos sumus contenti; imò non prædeterminans, & non requiri decretũ aliquod absolutum ex parte actus, quòd aduersarij requirunt.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Deus cognoscat sua decreta conditionata.

NOn procedit difficultas de decretis absolutis ex parte actus, & conditionatis tantum exparte obiecti: quia hæc cognoscit Deus sicut sua decreta omnino absoluta; quia est verè in se absolutum; sed de decretis conditionatis etiam ex parte actus, & tam de decretis nunquam futuris; quia nunquam est ponenda conditio, de quibus est verum dicere, quòd si poneretur talis conditio Deus ab æterno decreuisset aliquid, verbi gratia, si Deus alium mundum conderet, decreuisset ab æterno Petrum Regem illius; quàm de decretis, quæ Deus verè habuit quia posita sunt cõditiones, sub quibus erant futura.

Circa difficultatem ergo Molin. disp. 22. qui docuit, Deum cognoscere actus nostros liberos conditionatos, negat Deũ cognoscere sua decreta libera conditionata (quẽ nonnulli ex negantibus Deum cog-

cognoſcere contingentia creata ſub conditione futura ſequuntur) quia ea ſciētia conditionata ſuorū decretorū auferret Deo libertatē in decernendo; quia ea ſcientia, vt potè diuina non poſſet falſificari: ergo Deus nō poſſet, non decernere ex ſuppoſitione cōditionis, vel quæ ponenda erat, quæ eſſet ponenda; quia aliàs non decernēdo falſificaret eam ſuam ſcientiam.

Vazq. verò à diſp. 65. Suar. lib. 2. c. 8. Ruyz. diſp. 77. Mærat. diſp. 28. ſect. 6. Arrub. ſect. 2. diſp. 47. Albiz diſp. 7. ſect. 4. & Faſolus dub. 18. docēt Deum certò cognoſcere omnia ſua decreta cōditionata, & meritò; quia ex vna parte Deus eſt omnino infinitè cognoſcitiu⁹ & ex altera dicta decreta conditionata, vt potè verè entia, & exiſtētia conditionatè, ſunt cognoſcibilia non minus, quā actus noſtri liberi conditionati: ergo non minus certò cognoſcūtur à Deo, quàm dicti actus noſtri. Et confirmatur, & declaratur hæc ratio; quia hæc enūtiatio conditionalis, v. g. ſi Deus conderet alium mundū, decerneret conſtituere Petrum Regē illius, eſt vera, ſi id decerneret, vt verè poſſet. Et hæc etiam enuntiatio conditionalis, v. g. ſi Deus vocet Petrum, & ipſe quātum eſt ex ſe reſponſurus ſit vocationi, Deus decernet eōcurrere cum eo, etiam eſt vera ſi Deus id decernat, vt poteſt, hæ enuntiationes ſunt veræ: ergo certò cognoſcuntur à Deo infinitè cognoſcitiuo omnium veritatum: ergo etiam decreta cōditionata in eis contenta certò cognoſcuntur à Deo non minus; imò magis quàm actus noſtri liberi conditionati contenti in ſimilibus enunciationibus conditionatis; quia in eis reperitur minus cognoſcibilitas, quàm in dictis decretis diuinis; quia ſunt entia minora, quàm diuina decreta.

Ad rationem autem aduerſariorum negamus, ſcientiam diuinam decretorum diuinorum auferre Deo libertatem in decernendo, etiam ſi ea ſciētia nō poſsit falſificari; quia exiſtētia huius ſciētiæ, & veritas illius ſupponit exiſtētiam cōditionatā decreti, & libertatē illius, quòd ſcilicèt Deus liberè haberet, ſi cōditio eſſet ponenda, vel quòd Deus liberè habuiſſet, ſi cōditio ponenda ſit, Deus enim præſcit hæc dicta decreta; quia vnum liberè habuiſſet, & alterum liberè haberet, & non è contra, non enim vnum fuiſſet, & alterum eſſet: quia Deus id præſciuerit, ſed è contra; quia ſcilicèt ſi fuiſſet, aut eſſet, Deus id præſciret, exiſtentia enim conditionata decreti liberi, eſt quaſi cauſa dictæ præſcientiæ in Deo, & non è contra.

Vnde ſuppoſita exiſtentia cōditionata decreti diuini ſeu ex ſuppoſitione illius, neceſſaria eſt in Deo præſcientia illius, & falſificari nequit, etiam ſi ſimpliciter, & abſolutè non poſita dicta ſuppoſitione

potuerit illa præſcientia non eſſe in Deo: quia dicta decreta potuerunt, vel potuiſſent pro libertate Dei non exiſtere conditionatè, eis autem non ſic exiſtentibus, non eſſet in Deo præſciētia ipſorū, dicta ergo præſcientia eſt in Deo neceſſaria ex ſuppoſitione, abſolutè tamen eſt in Deo liberè, non formaliter immediatè in ſe ipſa, ſed mediatè in ſuo videlicet obiecto, ſeu denominatiuè, denominatione ſumpta â libertate ſui obiecti; nempè decretorū conditionatorum, quorum eſt ſcientia; quia eis exiſtentibus eſt in Deo ſcientia eorum, & eis non exiſtentibus non eſſet, decreta autem conditionata exiſtunt conditionatè pro libertate Dei, & pro eadem potuiſſent non exiſtere, ac proinde eorum ſcientia exiſtit in Deo dependenter à libertate ipſius in decernendo, vnde Deus ea præſcientia non dirigitur ad dicta decreta, cùm præſupponantur ad ipſam, ſed ad ea tantum dirigitur ſcientia directa obiectorum ipſorum decretorum; ſcientia tamen ipſorum decretorum dirigitur ad ponendas cōditiones, & ad alia.

Quòd autem ſcientia conditionata decretorum conditionatorū Dei nō indigeat præuio aliquo decreto actuali abſoluto ex parte actus eadem ratione cōſtat, qua id diximus de ſciētia cōditionata noſtrorum actuum liberorum, ſeu contingentium futurorum ſub conditione, & maiori ratione; quia vt decretum Dei abſolutè exiſtat, nō indiget alio præuio decreto, quo indigēt actus noſtri liberi, vt abſolutè exiſtant: ergo multo minus, vt decreta diuina cōditionatè exiſtāt: quòd ſi diuina decreta, tā omnino abſoluta, quā cōditionata, nō indigēt aliquo præuio decreto, vt exiſtāt, ad ſciētiā eorum nō erit neceſſariū aliquod præuiū decretū; quia ſi eſſet neceſſariū, maximè, vt haberēt exiſtētiam, quæ neceſſaria eſt, vt ſciātur, & cognoſcātur exiſtere: ſi ergo Deus certò cognoſcit ſua decreta cōditionata, quia verè ſunt cōditionatè exiſtētia, non minus certo cognoſcet ſua decreta abſoluta; quia etiam exiſtunt, & abſolutè.

Ita tamē Deus certo cognoſcit ſua decreta conditionata, & abſoluta, vt ea non cognoſcat, vt futura, qualiter cognoſcit actus noſtros liberos conditionatos, & abſolutos; quia Deus ſua decreta cognoſcit, vt in ſe ſunt, omnia autem decreta diuina, etiam abſoluta non ſunt futura; quia ſunt ab æterno, & æterna quòd autem eſt ab æterno nō eſt in rigore futurum; quia futuritio in rigore importat duas durationes, ſeu duo tempora, alterum pius, in quo eſt carentia rei, ſeu in quo res nondum eſt, & in quo eſt futura, & alterum poſterius, in quo res iam eſt præſens; quia omne futurum erit poſtea præſens reſpectu illius temporis, pro quo eſt futurum, decreta autem diuina, vt potè ab æterno exiſtentia in nullo tempore,

&

& in nulla duratione carent exiſtentià, ac proinde in nulla duratione ſunt futura.

Quanuis autem decretum diuinum ſit ratione noſtra poſterius voluntate diuina, & poſterioritate rationis à quo; quia decretũ eſt quaſi effectus voluntatis, & vt talis à nobis concipitur, & poſterioritate rationis *in quo*, qua id, quòd eſt minus vniuerſale, eſt poſterius vniuerſaliore; quia à minus vniuerſali valet ſubſiſtendi conſequentia ad magis vniuerſale, & non è contra; quia valet eſt decretum: ergo eſt voluntas: & non è contra: id autem à quo non valet ſubſiſtendi cõſequentia, eſt prius ſecundum rationem noſtram prioritate in quo, & quanuis decretum diuinũ, vtraque prioritate *à quo*, & *in quo* ſit prius poſsibile, & poſteà ſit conditionatum ea conditione, qua Deus mouetur ad decernendum abſolutè, & tandem purificata conditione ſit abſolutum; quia poſsibile eſt vniuerſalius, & independens à futuro, vel quaſi futuro conditionato, & iſtud eſt vniuerſalius, & independẽs à quaſi futuro abſoluto, & è contra quaſi futurum abſolutum eſt minus vniuerſale, & dependens à quaſi futuro conditionato, & iſtud eſt minus vniuerſale, & dependens à poſsibili: nihilominus Deus in illo priori ſigno rationis, in quo noſtro modo concipiendi cognoſcit ſuam voluntatem, non cognoſcit noſtro modo concipiendi, quòd in poſteriori ſigno decernet, nec in priori ſigno rationis, in quo noſtro modo concipiendi cognoſcit ſuum decretum vt poſsibile, cognoſcit, quòd in tertio ſigno decernet abſolutè; quia in nullo priori ſigno ex dictis eſt verum, qnòd decretum, v.g. abſolutum erit in poſteriori ſigno rationis; quia id ſolum admittitur eſſe in priori ſigno rationis ante aliud, quòd eſt vniuerſalius illo, aut quòd conducit ad illud, hæc autem veritas, ſeu quaſi futuritio decreti abſoluti non cõducit, vt ipſum decretum ſit in eo poſteriori ſigno rationis, nec eſt vniuerſalior illo: ergo ea veritas, ſeu quaſi futuritio non eſt in priori ſigno rationis: ergo nequit in eo à Deo cognoſci; quia quod non eſt verum, ſeu quaſi futurum nequit à Deo, vt tale cognoſci: & quanuis in eo priori ſigno eſſet verum, & quaſi futurum ratione noſtra, quòd in poſteriori ſigno Deus decernet, nõ præcognoſceretur à Deo in eo priori ſigno, quòd decernet in poſteriori ob rationem dictam; quia ſcilicèt id ſolum ratione noſtrà admittitur in priori ſigno, quã aliud, quod eſt vniuerſalius illo, aut cõducit ad illud, præcognitio autẽ illa non eſt vniuerſalior, quàm decretum illud; quia benè valet: eſt præcognitio illius decreti, vt futuri: ergo eſt futurum, nec conducit ad illud, ſeu quod idem eſt, decretum illud non quaſi pendet ab ea præcognitione, ſed potius è contra; quia Deus non decernit in eo poſteriori ſigno; quia præcognoſcit, ſe decreturum in eo poſteriori ſigno,

ſed

ſed potius è contra; quia Deus decernet in eo poſteriori, ſigno cognoſcit, ſe decernere; quia generaliter obiectum præſupponitur ad cognitionem ſui: quanuis ergo in priori ſigno rationis noſtræ, eſſet verum, & quaſi futurum, quòd Deus decernet in poſteriori ſigno, cognoſceretur à Deo ab æterno, quia omne verum cognoſcit, & ab æterno, tamen non cognoſceret illud in eo priori ſigno rationis, ſed in alio poſteriori, poſt ſignum, in quo Deus decerneret.

Deus ergo non ſolum non cognoſcit ſuum decretum, vt re ipſa, & in rigore futurum; quia non eſt re ipſa futurum, vt iã diximus: ſed nec cognoſcit illud, vt ratione noſtra futurum, & quia non eſt ratione noſtra in aliquo ſigno priori futurum, & quia quanuis admitteretur in aliquo ſigno priori eſſe futurum, in eo tamen priori ſigno non eſſet cognitio illius, vt dictum eſt in diffic. antecedenti.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Deus certò cognoſcat futura contingentia conditionata conditione diſparata, ſeu non connexa cum altero extremo?

DIfficultas hæc procedit de futuris contingentibus conditionatis, conditione habente purã comitantiã, ſeu coniunctionẽ cũ altero extremo, abſque connexione aliqua, & cõducentia ad illud, vt cõtingit in hoc futuro: *Si Petrus oret, Ioannes ludet.* Et procedit de illis, quorũ extrema nõ ſolũ, non ſunt connexa intrinſicè, ſed nec extrinſecè medio decretò, aut media reuelatione, aut ſcientia Dei. Et procedit de his nõ in ſenſu illatiuo vnius ex alio, nec cauſatiuo, quo vnũ cauſet alterum, ſed in ſenſu copulatiuo, in quo particula *ſi* ęquiualet particulæ copulatiuæ *&*, vel æquiualenti, in quo ſenſu dictũ futurũ: *Si Petrus oret, Ioannes ludet*, æquiualet huic: *Petrus orabit, & Ioannes ludet*, vel huic: quando Petrus oret, Ioannes ludet.

Circa hanc ergo difficultatẽ Vazq. diſp. 67. c. 3. Lęſius de auxilijs, c. 19. Arrub. diſp. 45. c. 4. & Faſolus dub. 13. docent, Deũ non cognoſcere, aſſenſu aliquo dicta futura cõtingentia, ſed eis vtpotè falſis diſſentiendo; quia in eis futuris, ſeu in eis propoſitionibus illa cõtinentibus, & ſignificãtibus nulla eſt futuritio, & veritas, ſed tantũ falſitas; quia præpoſitio conditionalis tantũ ſignificat aut illationẽ vnius ex alio, aut connexionem conditionis, ſeu eius, quòd ponitur pro conditione cum altero extremo: ſed in dictis futuris, ſeu propoſitionibus alterũ extremũ non infertur ex eo, quòd ponitur pro cõditione, nec hoc ad alterũ conducit extremũ; quia quod ponitur pro conditione, & alterũ extremũ, ſunt diſparata, vt ſupponimus: ergo in eis futu-

tu-

turis, ſeu in propoſitionibus quorũ nulla eſt futuritio, ſeu veritas, quæ poſsit â Deo cognoſci aſſenſu aliquo, ſed tantum eſt falſitas, quæ poſsit diſſenſu cognoſci.

Suar. opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. c. 6. Curiel lib. 1. controuer. 7. art. 3. Albiz diſput. 7. ſect. 2. Fonſeca 6. metaphiſicæ, c. 2. q. 4. ſect. 10. Machim diſp 33. ſect. 2. Cabrera 3. par. q. 62. & Ruizius diſp. 78. ſect. 2. docent, Deum aſſenſu cognoſcere dicta futura contingentia cõditionata diſparata, quòd indicari videtur in ſcriptura, in qua multa futura contingentia conditionata diſparata intrinſecè, & quæ nõ conſtat eſſe extrinſecè cõnexa, prædicuntur à Deo, quale eſt illud 4. Reg. 13. quòd Eliſæus prędixit ad Ioàs Regem Iſraël *ſi*, percuſiſſes (ſub intellige iaculo terrã) quinquies, aut ſexies, aut ſepties percuſiſſes Syriam, vſque ad conſummationem. Et ratione probatur; quia de facto in aliquo tẽpore eſt verum, & prẽſens, v. g. quòd Petro orante, Ioannes ludit: ergo id etiam cognouit ab æterno: ergo etiam in ſigno anteriore ad purificationem conditionis; nempè orationis Petri Deus cognouit, quòd ſi Petrus erat oraturus, Ioannes erat luſurus.

Pro clariore huius difficultatis reſolutione obſeruandũ eſt, conditionẽ ſignificatã per particulam *ſi*, eſſe triplicẽ; quia alia eſt conditio ſtricta, ſeu ſtrictè ſumpta, illa ſcilicet, quæ infert alterũ extremũ, & eſt neceſſario connexa cũ illo, & poteſt ſignificari particula *ergo*, vt contingit in hoc conditionato: *Si ſol lucet, dies eſt*: alia eſt conditio lata, ſeu latè ſumpta, illa ſcilicet, quæ conducit ad exiſtentiã alterius extremi, ratione cuius eſt aliquomodo connexa cũ illo; quanuis nõ neceſſario, vt contingit in hoc conditionato: ſi Petrus vocetur à Deo, reſpõdebit: alia eſt cõditio latiſsima, ſeu latiſsimè ſumpta, illa ſcilicet, quæ nec eſt neceſſario connexa cũ altero extremo, nec conducit ad illud; eſt tamẽ coexiſtens cũ illo, & illud comitatur, ſiue in eodem tẽpore, ſiue in diuerſo, vt cõtingit in hoc cõditionato: Si Petr⁹ orat, Ioannes ludit, & in hoc cõditionato: *Si Petrus hodie rideat cras flebit*. Vnde nomine coexiſtentiæ, & comitantiæ intelligitur exiſtentia vtriuſque extremi, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo tempore, & hoc tertio modo, etiam ſumi conditionem quanuis rarò, negari non poteſt; quia ita ſumitur in ſcriptura in dicto loco 4. Reg. 13. & in alijs, & extra eam; quia aliquando dicimus: ſi tu es diues: ego ſum nobilis, & ſi in Gallia eſt ferrum, in Hiſpania eſt argentum, & ſimilia.

Quia ergo in propoſitionibus conditionatis, in quibus conditio eſt cõnexa cũ altero extremo, ſiue illatiuè, ſiue cauſaliter ea particula conditionali *ſi*, ſignificatur ea connexio inter conditionẽ, & alterũ extremum: ideòvt negatiua propoſitio ſit ei cõtradictoria, neceſſariũ eſt, quòd negatio anteponatur conditioni, v. g. huic propoſitioni: ſi

ſol

ſol lucet dies eſt, cõtradictoria eſt hæc: non ſi ſol lucet dies eſt; quia, eà negatione antepoſità, negatur connexio inter conditionem, & alterum extremum, quę affirmatur dicta propoſitione affirmatiua: quando verò negatio poſtponitur conditioni propoſitio negatiua fit ſub contraria affirmatiuæ, & non contradictoria; quia tunc non negatur dicta connexio cum altero extremo, ſed tantum coniunctio cũ illo, contradictio autem eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodẽ, quia verò in propoſitionibus cõditionatis, in quibus cõditio eſt diſparata nullam habens connexionem cum altero extremo, eà particula *ſi* nulla ſignificatur connexio, ſed tantum pura coniunctio, ſeu comitantia modo prædicto: ideò vt negatiua propoſitio ſit illi contradictoria, negatio eſt poſtponenda conditioni, huic enim propoſitioni, ſi Petrus hodie ridet, cras flebit, contradictoria eſt: ſi Petrus hodie ridet non flebit cras, quia eà negatione poſtpoſita conditioni negatur coniunctio inter riſum, & fletum, quæ affirmatur dictà propoſitione affirmatiuà.

Hoc ergo ſuppoſito circa difficultatem dicendum exiſtimamus, futura contingentia conditionata diſparata certò cognoſci à Deo aſſentiendo quando conditio, & alterum extremum exiſtunt tempore importato per copulas, & quando particula *ſi* non denotatur connexio aliqua, ſed ſola coniunctio modo prædicto, cognoſci tamen diſſentiendo, etiam ſi conditio, & alterum extremum exiſtant verè, quando particula *ſi* denotatur connexio ſiue illatiua, ſiue tantũ cauſalis, quod autem particula *ſi* denotetur connexio, aut ſola, ſeu pura coniunctio dependet ex intentione proferentis, quia ipſa particula *ſi* poteſt quæuis earum denotari.

Et in primis dicta futura certò cognoſci à Deo aſſenſu, quando conditio, & alterum extremum coexiſtunt tempore importato per copulas, & quando particula *ſi* latiſsimè ſumitur, nempè quando ea non denotatur connexio, ſed tantum pura coexiſtentia conditionis, & alterius extremi (vt vtrumque poteſt fieri) quod docent Suarez, & alij Auctores poſterioris opinionis, probatur, quia ex vna parte dicta particula *ſi* ea pura coexiſtentia, ſeu coniunctio ſignificatur, vt ſignificari poteſt, & intenditur à proferente, vt ſupponimus, & ex altera parte conditio, & alterum extremum verè coexiſtunt ſuo tẽpore, vt etiam ſupponimus: ergo dicta futura contingentia cõditionata diſparata, vt potè futura, & vera obiectiuè, quanuis conditionatè, certò cognoſcuntur à Deo eis aſſentiendo.

Vnde ad rationem prioris opinionis reſpondemus negando, in dictis futuris diſparatis nullam reperiri futuritionem, ſeu veritatem obiectiuam, & ad eius probationem negamus, propoſitionem condi-

ditionalem tantum, significare, aut illationem vnius ex alio, aut connexionem vnius cum alio; quia etiam potest, quanuis latissimè significare puram coniunctionem, seu comitantiam conditionis, & alterius extremi.

Deinde quòd dicta futura disparata non cognoscantur à Deo eis assentiendo, sed dissentiendo, quando particula *si* denotatur connexio aliqua, quanuis non necessaria, etiam si conditio, & alterum extremum coexistant, probatur, quia ex vna parte inter conditionem, & alterum extremum non est connexio aliqua, vt supponimus; quia sunt disparata, & ex altera parte particula *si* denotatur connexio inter illa, vt supponimus, & hæc connexio verè non reperitur: ergo ea futura sic sumpta non cognoscuntur à Deo eis assentiendo; quia vt sic non sunt vera, sed cognoscuntur eis dissentiendo; quia sic sumpta sunt falsa.

Addimus, dicta futura disparata etiam cognosci à Deo eis assentiendo in sensu propositionis hypotheticæ conditionalis, seu illatiuę, absque discursu, seu illatione facta ab ipso (quanuis non in sensu causali, cùm conditio non conducat ad alterum extremum) si ea futura referantur ad decretum Dei, quo in sensu comitante sub ea cõditione non conducente decreuit alterum extremum, vt admittit Arrubal, vel si referantur ad promissionem, qua in eodem sensu comitante non conducente promisit alterum extremum, vt admittit Vazquez, vel si referantur ad scientiam Dei qua in eodem sensu comitante scit, quòd si ea conditio existat, existet alterum extremum, vt admittunt alij auctores prioris opinionis; quia supposito dicto decreto, aut dicta promissione, aut dicta scientia Dei, optimè infertur alterum extremum ex conditione, seu ex eo, quòd ponitur pro conditione, non ex ea secundum se; quia secundum se est disparata respectu alterius extremi, sed ex ea conditione, vt subest dicto decreto, aut dictæ promissionis, aut dictæ scientiæ ob connexionem necessariam; quanuis tãtum extrinsecam inter decretum, & promissionem, & scientiam Dei cum suis obiectis; quia decretum, & promissio, & scientia Dei ruere nequeunt, ob quòd non solùm hæc consequentia est optima, Deus, v.g. scit, quòd si Petrus oret, Ioannes ludet: ergo si Petrus orauerit, Ioannes ludet: sed etiam hæc consequentia: Petrus orabit, & Ioannes ludet: si ergo prædictæ sunt consequentiæ, & bonæ, etiam sunt propositiones hypotheticæ, & veræ, quatenus sunt affirmationes vnius de alio sub conditione concepto, ac proinde etiã cognoscuntur à Deo, vt veræ in sensu propositionis hypotheticæ conditionalis, seu illatiuæ, propositio enim hypothetica conditionalis, & habet rationem argumentationis, & tunc particula *si* est ratio-

na-

nalis,& æquiualet particulæ *ergo*,& sic dicitur bona,vel mala,& etiã habet rationem propositionis, & tunc particula, *si* remanet conditionalis,& sic dicitur vera,vel falsa;quia propositio est oratio verè, vel falsè significans.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm præscientia diuina futurorum contingentium tollat nostram libertatem circa illa?

CIrca hanc rem,error fuit Ioannis Vvicleph;qui, vt refert Vvaldensis tom.1.lib.1.art.1.cap.21.& 22.& 25. non contentus,quòd abstulerit à creatura,imò à Deo libertatẽ innatam, seu intrinsecã, qua eorum voluntas posit aliquid velle,& non velle,quæ dicitur libertas quoad exercitium,& contradictionis, & qua posit velle aliquid,& oppositum,quæ dicitur libertas quoad specificationem, & contrarietatis,& consequenter,liberum arbitrium esse titulum sine re:vlterius addidit,ex præscientia diuina, qua præscit nostros,& suos actus sufficienter impediri libertatem circa illos, ita vt quanuis voluntas esset intrinsecè libera,ex præscientia diuina,sufficienter impediretur,vt non posset liberè operari.Eũ postea sequuti sunt Lutherus, Melancton,Caluinus,& alij hæretici.

Fides tamen Catholica docet,voluntatem nostram non solum esse intrinsicè liberam,sed etiam in suis actionibus deliberatis nullo extrinseco,nec præscientia,nec decreto Dei impediri,nec lædi, quã veritatem latè ex scriptura,& ex Concilijs, & ex Patribus demonstrarunt Vvaldensis locis citatis, Rophensis art,36.contra Lutherũ, Bellarminus lib.3.& 4.de gratia,& libero arbitrio, Molina disput.1. & 2.& 3. Vazquez disp.68.Hetic.disp. 6.cap.8. Mçratius disp.29. & Fasolus dubio 2.

Pro nunc autem ex scriptura sufficiat illud Ecclesiastici 15. *Si volueris mandata seruare,conseruabunt te*, & quod subditur: *Appositit tibi aquam,& ignem,ad quòd volueris porrige manum.* Et ex decretis Ecclesiæ sufficiat definitio Tridentini sessione 6. cap. 5. & can. 4.& 5.& 6. vbi definitur,etiam post peccatum mansisse in nobis liberum arbitrium,& ideò nos ad nostram iustificationem,ita cooperari, vt dissentire possimus, & vias nostras malas facere, quibus non solum libertas innata seu intrinseca,sed etiam omnino expedita,& nullatenus læsa significatur.

Sed contra hanc veritatem obijcit Vvicleph primò Deus præscit,aut prædixit,Petrũ peccaturũ ergo peccabit. Consequentia est bo-

bona; quia præscientia Dei est infallibilis, & antecedens est necessarium; nempè Deus præsciuit, Petrum peccaturum, quia est æternũ, & significatur vt præteritum, quòd non potest nõ fuisse; quia ad præteritum non datur potentia: ergo etiam consequens; nempè Petrus peccabit est necessarium: ergo ex præscientia diuina impediretur nostra libertas, etiam si nostræ voluntati fuisset innata.

Huic obiectioni solet variè responderi primò consequentiã illius nõ esse bonã; quia eius antecedẽs; nẽpè Deus præsciuit, Petrũ peccaturũ semper est verũ: non verò consequens, nẽpè Petrus peccabit; quia postquã peccauit est futurũ. hæc tamen respõsio potius est fuga, & frivola, quã solutio; quia quãdo in antecedẽti dicitur: Deus præsciuit, Petrũ peccaturũ, non dicitur præsciuisse, peccaturũ pro quolibet tẽpore, sed tantũ pro tali tẽpore, pro eo autẽ consequẽtia est bona: quia pro eo optimè infertur, quòd peccabit: ergo peccatum pro eo tempore futurum non esset contingens, seu liberum, quòd solum intendit obiectio Vvicleph.

Secundo alij admittentes consequentiã esse bonã respondẽt, antecedens esse necessariũ, & etiã consequens, sed consequens esse necessariũ, nõ ex se, sed necessitate tantũ consequẽtiæ, sicut in hac Petrus currit: ergo mouetur. Consequẽs est necessariũ sola necessitate cõsequentiæ; quia infertur necessario ex antecedẽti; non verò est necessariũ secundũ se. Hæc tamen respõsio præterquã quod nõ sãtisfacit, quia necessitas cõsequentiæ potest sufficere ad auferandã contingẽtiã à consequente secundũ se, vt posteà dicemus, falsũ assumit, quòd tantùm sit necessarium necessitate consequentiæ, & non in se; quia non solum infertur necessariò ex antecedenti, sed ex antecedẽte necessario, quòd non contingit in exemplo adducto, in quo quamuis consequens; nempè *mouetur*, deducatur necessario ex antecedente; nempè *currit*, hoc tamen antecedens est omnino contingens in se, & ita non mirum, quòd etiam consequens sit liberum in se.

Tertio alij respondent obiectioni Vvicleph, eà tantũ probari consequens illius; nempè *Petrus peccabit*, esse necessarium ex suppositione, quòd Deus præsciuerit id, seu in sensu composito, quo componitur, seu coniungitur *Petrus peccabit* cum præscientia Dei, non verò absolutè, & ex se, seu in sensu diuiso, quo diuiditur, seu secluditur, & separatur à præscientia Dei, ita S. Thom art. 13. ad 3. & in idem redit responsio, quam ipse adducit ad secundum, & communiter Thomistæ; nempè quòd consequens illud sit necessarium non absolute, sed vt subest præscientiæ Dei. Hæc tamen responsio, nisi amplius declaretur est obscura: quia ex ea sequi videtur, quòd cõtendit Vvicleph, nempè præscientia Dei, quæ præsupponitur ad cõsequens auferri libertatem circa illud.

Quar-

Quarto alij respondent antecedens obiectionis Vvicleph, nempè, Deus præsciuit, Petrum peccaturum non esse necessarium, sed contingens; quia potuit Deus id non prescire, quia potuit impedire peccatum Petri, & ita consequens, quòd ex eo deducitur necessario, nempè *Petrus peccabit*, non esse necessarium, sed contingens, seu liberum. Hæc etiam responsio, nisi amplius explicetur, nō euacuat omnem difficultatem; quia quanuis Deo fuerit liberū illud nō præscire, tamen ex suppositione, quòd id præsciuerit, videtur, Petrum nō posse non peccare; quia suppositа præscientia Dei, necessarium est, Petrū peccare; quia necessarium est, scientiā Dei esse verā, & infallibilē: sed Petrus nequit tollere, nec impedire præscientiā Dei; quia est æterna: ergo ea suppositа, nō est liberū, sed necessarium peccare; quia illi non est liberum consequens, cui non est liberū tollere, aut impedire antecedens, ex quo necessario sequitur; quanuis antecedens sit alij liberū, in hoc enim casu sola necessitas consequentiæ sufficit impedire libertatem.

Vera ergo, & clara solutio ad obiectionē Vvicleph est, quòd præscietia, qua Deus præsciuit, Petrū peccaturū presupponit futuritionē peccati, & non è contra, quia ideò Deus præsciuit, Petrū peccaturum; quia peccaturus est, & non è contra, vt diximus diffic. 7. & 8. Et quia Petrus peccaturus est liberè; quia posset non peccare, ideò præscientia Dei non impedit libertatem, quia presupponit, eā futuram, & Petrum liberè peccaturum. Ad obiectionem ergo in forma respondemus concedendo antecedens; nempe Deus præsciuit, Petrū peccaturum esse necessarium, non absolutè, & ex se, quanuis sit æternū, & significetur vt preteritū; quia id potuit Deus non præsciuisse; quia potuit peccatū Petri non esse futurū, sed solùm esse necessariū ex suppositione, quod peccatum sit futurū; quia quòd futurū est, nequit non præsciri à Deo esse futurū. Ex eò autem, quòd dictum antecedens sit eo modo necessarium, solùm infertur, quòd consequens, nempè Petrus peccabit necessarium sit, non necessitate antecedēte prouenieute ex præscientia Dei, tanquam ex causa, sed necessitate consequente, vel comitante futuritionē peccati, qua necessitate futurum, quòd ex suppositione est futurum, est necessario futurū; quia impossibile est, simul esse futurū, & non esse futurū sicut omne, quòd est quando est, necesse est esse, & quòd fuit necesse est, fuisse necessitate sequente, vel comitante positionē rei, cuius necessitatis meminit Aristot. 1. de interpret. cap. 8. & eā tradit Anselmus de concordia præscientiæ, & prædestinationis, hæc autē necessitas non repugnat, nec destruit libertatē; quia eā integrū supponit, & sequitur, quia supponit, & sequitur positionē effectus liberè futuri à sua causa libera.

Ex quo deducim⁹ nō tātū Deū potuisse facere, quòd ipse absolu-

E

non præsciuisset peccatum futurum; quia potuit impedire futuritionem peccati, quæ necessario prærequiritur ad eam præsciētiam, sed etiam id potuisset Petrum pro libito facere, quia pro libito potuit non esse peccaturus; quanuis ex suppositione, quòd Petrus peccaturus sit, non sit in Dei potestate, nec Petri facere, quod Deus id non præsciuerit; quia id non potuit latuisse Deum, imò etiam ex suppositione, quòd id præsciuerit, non est in eorum potestate facere, quòd id non præsciuerit; quia suppositio, quòd præsciuerit, necesse est, præsciuisse; imò non est in potestate eorum mutare præscientiam, quam semel habuit, seu facere, quod non perseueret, seu quòd desinat esse, non quia sit contra intrinsecam immutabilitatem Dei; quia re vera non est, sicut nec quòd desinat esse creator, aut Dominus, sed quia futuritio creaturarum ex suppositione, quòd futuræ sunt, nequit cessare, quanuis creaturæ prius natura, seu prioritate causæ, quàm futuræ sint, potuerunt non esse futuræ.

Ex suppositione ergo non solum quòd peccatum est futurū, sed etiam ex suppositione, quòd Deus præsciuit, peccatum esse futurū, necessarium est, peccatum esse futurum; quia eo ipso, quòd supponitur: Deum id præscire, supponitur peccatum esse futurum, quod autem supponitur futurum, necessario est futurū, dicta necessitate consequente, seu comitante. Vnde etiam si præscientia Dei tēpore antecedat peccatum præsens, nihilominus peccatum posteà fit liberè; quia quanuis præscientia Dei sit prior duratione, quàm peccatum præsens, non tamen causalitate (quòd necessarium erat, vt impediret libertatem) imò ordine quasi causalitatis posterior est peccato præsenti; quia ex eo, quòd tempore sequenti peccatum fit libere, ante illud tempus, & ab æterno futurum est liberè, & quia ab æterno futurum est; ideò ab æterno præscitur, esse futurum: de primo ergo ad vltimum peccatum præsens, quod posteà liberè fit ordine quasi causalitatis præcedit præscientiam Dei, & consequenter nequit ab ea destrui libertas in peccato, quod tempore præsente fit.

Et eodem modo, quo necessitas, consequens præscientiam Dei, aut ex suppositione præscientiæ Dei, non impedit contingentiā effectus, nec libertatem causę; quia ea præscientia, quæ supponitur potuit absolutè non fuisse pro libito causę, etiam necessitas in sensu composito, quo peccatum Petri componitur, seu coniungitur cum Præscientia Dei, seu necessitas peccati prout subest præsciētiæ Dei, quæ coincidunt cū necessitate, ex suppositione, non impediunt contingentiam peccati; quia præscientia, cum qua componitur, & cui subest peccatum, potuit absolutè non esse pro libito Petri; quia ea præscientia supponit, ordine quodam quasi causalitatis, quod Petrus

ſit liberè peccatu rus. Vnde conſequentia illa: Deus præſciuit, Petrũ peccaturum; ergo peccabit, eſt à poſteriori, cuius neceſsitas non deſtruit contingentiam, ſeu libertatem in conſequenti; quia eius antecedens quo ad eſſe, ſupponit conſequens vt prius, imò nec eam deſtruit neceſsitas conſequentiæ à priori, cuius antecedens ſit in poteſtate illius, à quo conſequens producitur, vt in hac conſequentia: Petrus currit: ergo mouetur, & ideò quanuis hęc ſit conſequentia à priori, res eſt futura: ergo præſcitur à Deo, quia futuritio rei eſt prior, & quaſi cauſa præſcientiæ non deſtruit libertatem, quia Deus abſolutè dicitur liberè præſcire, quia antecedens: nempè futuritio peccati eſt in poteſtate Dei præſcientis: quia poteſt impedire peccatum, & conſequenter illud, non præſcire. Vnde reſponſiones ſuprà relatę, quas obſcuras iudicauimus, ſi ſic declarentur, ſatisfaciunt obiectioni Vvicleph, & cum reſponſione noſtra coincidunt.

Secundo obiicit Vvicleph: præſcientia Dei eſt certiſsima, & infallibilis: ergo obiectum illius nequit aliter euenire, quàm à Deo præſcitur; quia ſi poſſet, præſcientia talis obiecti eſſet fallibilis; quia periculo falſitatis eſſet expoſita: ſed Deus præſcit, Petrum peccaturũ: ergo Petrus non poterit non peccare: ergo præſcientia Dei ſufficit ad impediendam libertatem. Reſpondemus concedendo, præſcientiam Dei eſſe certiſsimam, & infallibilem: ad id autem non requiritur, quòd obiectum materiale, quòd præſcitur, nequeat antecedẽter, & ex parte cauſæ aliter euenire, ex quo non poſſet eſſe cõtingens: ſed ſufficere, quòd ad eam præſcientiam ordine aliquo, præſupponatur, eſſe futurum, quanuis ſit liberè futurum, ſeu taliter, quòd poſſet non eſſe futurum; quia ſi aliàs obiectum, ſeu res, quæ futura præſupponitur, cognoſcatur prout in ſe eſt futura, talis cognitio ita eſt vera, vt abſque periculo falſitatis ſit certa, & infallibilis: quia ergo Deus ita cognoſcit rem futuram eſſe, vt ipſa prius præſupponatur futura, quã cognoſcatur futura, ideò præcognitio diuina illius rei eſt certa, & infallibilis, quanuis ea res ſit liberè futura, ſeu taliter futura, quòd antecedenter poſſet non eſſe futura: ad certitudinem ergo, ſeu infallibilitatem, qua Deus præſcit, Petrum peccaturum, non requiritur, quòd peccatum ſit ineuitabile, ſeu neceſſario futurum neceſsitate, ſeu ineuitabilitate antecedente, cum qua nequit eſſe contingens, ſeu liberum: ſed ſufficit, quòd ſit ineuitabile, & neceſſariò futurum ex ſuppoſitione, quòd futurum ſit, ſeu neceſsitate, ſeu ineuitabilitate conſequente, qua ſola peccatum, quòd præſupponitur futurum, vt præcognoſcatur eſſe futurum, neceſſario eſt futurum, qua non auferetur eius contingentia, ſeu libertas; quia ad eam præſciẽtiam præſupponitur liberè futurum, & ideò præſcitum à Deo eſſe futurum ea

ſola

ſola neceſsitate conſequente eſt neceſſario futurum; quia obiectum præſcitum ſupponitur eſſe futurum, & in idem coincidit, quod præſcitum à Deo, eſt neceſſario futurum in ſenſu compoſito, quo componitur, ſeu coniungitur cum præſcientia, & antecedenter cum futuritione, quæ ad eam præſcientiam præſupponitur, & antecedit; nō verò in ſenſu diuiſo à præſcientia, & futuritione, vt ſi non dicatur præſcitum, aut futurum, eſt neceſſariò futurum, ſed ſi dicatur hæc res neceſſario eſt futura; quia hac diuiſione, ſeu ſeparatione denotatur neceſsitas non comitans, ſed antecedens, & proueniens quaſi ex cauſa. Vnde ad obiectionem reſpondemus in forma, concedendo antecedens; nempè ſcientiam Dei eſſe certiſsimam, & infallibilem, & negamus conſequentiam, ſi conſequens; nempè, quòd obiectū illius præſcientiæ nequeat aliter euenire, dicatur non poſſe aliter euenire impoſsibilitate antecedenti, & quaſi ex parte cauſæ; quia ex antecedenti id non infertur; quia ad veritatem antecedentis id non requiritur; concedimus tamen conſequentiam, ſi ſolùm dicatur conſequens, non poſſe aliter euenire impoſsibilitate, conſequente futuritionem obiecti, hęc autem poſsibilitas non aufert libertatem; quia eam ſupponit.

Ex dictis conſtat, quòd quanuis præſcientia Dei, qua præſcit cōtingentia, ſeu libera futura, ſit ęterna, & ſit præterita, & vt præterita ſignificetur, & quanuis ſit certa, & infallibilis, non impedit libertatē circa illa; quia vt ſit æterna, & præterita, ſufficit, quòd res contingēs, quæ futura præſcitur, ſit ab ęterno futura, & vt ſit certa, & infallibilis ſufficit, quòd res libera ſit neceſſario futura, non tamen maiori neceſsitate, quàm conſequenti, (qua non impeditur libertas, quia ad eam præſciētiam præſupponitur liberè futura prius ratione, & quaſi natura, quàm præſciatur.

Obſeruandum eſt ea, quæ diximus, nempè Deum certò præſcire contingentia à nobis futura, tam abſolutè, quàm ſub conditione, & in ipſismet, & eorum præſcientiam diuinam nullatenus lædere libertatem circa illa: eadem proportione, & ob eaſdem rationes dicendum eſt etiam, præſcire contingentia, ſeu libera ab ipſo ſolo Deo futura, tam abſolutè, quàm ſub conditione, & in ipſismet, & eorum præſcientiam diuinam nullatenus lædere libertatem diuinam circa illa.

(§§)

Tractatus de Scientia Dei,
DISPVTATIO QVINTA.

De varijs diuisionibus scientiæ Dei.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm scientia Dei rectè diuidatur in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis?

SCientia Dei, quanuis re ipsa sit vna tantum, & indiuisibilis; quia tamen ratione nostra diuiditur, & multiplicatur, ideò instituitur dicta disputatio.

Theologi ergo in primis diuidunt scientiam Dei in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis. Scientia simplicis intelligentiæ dicitur illa, qua Deus cognoscit res possibiles, seu essentias rerum, & non solùm purè possibiles, nunquam existentes, sed etiam res possibiles aliquando existentes, non prout existentes; quia vt sic est scientia visionis, sed prout possibiles, seu nō repugnātes existere.

Scientia verò visionis dicitur illa, qua Deus cognoscit res pro aliqua differentia temporis existentes, vt existentes; nempè Deum ab æterno, & in æternum existentem, & res creatas pro aliqua differentia temporis existentes, sumpta similitudine à visione corporali, quę tantum attingit res existentes; quāuis hæc non nisi præsentes: illa verò etiam præteritas, & futuras. Et nomine rerum existentium etiam cōprehenduntur carētiæ entiū, seu non entia; quia suo modo existūt.

Sed an scientia diuina contingentiū sub conditione futurorū dicēda sit simplicis intelligentiæ, an visionis an media inter vtramq; cōtrouersia est, leuis tamē, & parui momēti, & potius de nomine, quā de re.

Circa quam Vazquez, disp. 74. cap. 4. & alij eam reducunt ad scientiam simplicis intelligentiæ, quia non est obiecti absolutè futuri, sed tantum sub conditione, Suarez lib. 2. de auxilijs, & alij eam reducūt ad scientiam visionis; quia est obiecti existentis, quanuis tantum sub conditione.

Ruizius disp. 76. sect. 3. & alij docent, esse mediam inter vtramque; quia nec est obiecti, vt absolutè possibilis, nec vt absolutè futuri, sed obiecti participantis rationes obiectorum vtriusque dictæ scientiæ; quia est obiecti, quòd est sub conditione futurum, & quod etiam est sub conditione purè possibile; nempè sub conditione non positionis illius conditionis.

No-

Nobis tamen magis placet, quòd absolutè loquendo dicatur: *scientia visionis*, quanuis non absoluta, sed tantum conditionata, & non dicatur simplicis intelligentiæ, adhuc conditionata, nec media inter vtramque; quia quanuis futurum sub cōditione in priori signo, ante conditionem sit possibile absolutum; & vt sic tantùm sciatur à Deo scientiâ absolutâ simplicis intelligentiæ, & quanuis sub conditione suspensionis illius conditionis maneat possibile, non absolutè, sed sub conditione; nempè sub conditione suspensionis dictæ conditionis, & vt sic tantùm sciatur scientiâ simplicis intelligentiæ conditionata: quia tamen futurum sub conditione, vt futurum sub conditione, qua tantum ratione est obiectum scientiæ cōditionatæ, de qua loquimur, non est possibile; nec absolutè, nec sub conditione, sed tātùm est futurum sub conditione; quia tantum loquimur de scientia futurorū sub conditione; vt sunt futura sub conditione; & futura sub conditione; vt futura sub conditione, tātum sunt obiectum scientiæ visionis conditionatæ; quia ad ea vt sic, tātum potest terminari visio sub conditione; ideò scientia futurorū sub conditione, de qua est difficultas, & de qua loquimur, absolutè est, & dicitur scientia visionis non absoluta, sed conditionata, & non dicitur scientia simplicis intelligentiæ, nec media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, sed pura scientia visionis conditionata.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm scientia Dei rectè diuidatur in scientiam simplicis notitiæ, & in scientiam approbationis?

SEcundo Theologi diuidunt scientiā Dei in scientiā simplicis notitiæ, & in scientiā approbationis. Et quanuis in explicatione mēbrorum huius diuisionis, nō conueniant, communiter tamen docēt, scientiā approbationis esse scientiam practicam, seu factiuā rerum, illam scilicet, qua Deus proponit suę voluntati effectionem rerum, modo, quo dicemus difficultate 4. ad quā scientiam, seu propositionem sequitur in Deo decretum, quo decernit eas efficere, & ratione huius decreti ea scientia extrinsecè dicitur approbationis; quia quòd per ipsam proponitur efficiendum, approbatur à volūtate diuina, eo decreto. Scientia verò simplicis notitiæ dicitur ipsa scientia, qua volūtati proponitur res efficienda, præcisa à dicto decreto, seu secluso dicto decreto.

Scientia ergo approbationis, suprà scientiā simplicis notitiæ, addit

tantum extrinsecam denominationem approbationis proueniente ipsi scietiæ ab eo decreto. Vnde dicta duo mẽbra; nempè scietia simplicis notitiæ, & scientia approbationis, se habent, tanquam includens, & inclusum; quia scientia approbationis includit ipsam scientiam simplicis notitiæ, & addit dictam extrinsecam denominationẽ. Et quia scientia diuina practica, seu factiua rerum, est scientia simplicis intelligentiæ non visionis, vt dicemus diffic. 4. ideò dicta diuisio scientiæ non est adæquata; quia in ea omittitur scientia visionis, qua à Deo cognoscuntur res aliquando existentes.

Et quia Deus caret dicta scientia approbationis circa peccata, vt peccata, & circa peccatores, vt peccatores, ideò in scriptura Deus dicitur ignorare peccata, & peccatores.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm scientia Dei rectè diuidatur in naturalem, & liberam?

TErtiò Theologi diuidunt scientiam diuinam in naturalem, seu necessariam, & in liberam. Illa dicitur scientia naturalis, seu necessaria, quæ non potest Deo deficere, & ideò dicitur naturalis, seu necessaria: nequit autem Deo deficere, quia obiecta, quæ attingit, nõ possunt deficere, & quæ nequeunt deficere nequeunt non cognosci à Deo, qui est summè, & infinitè cognoscitiuus. Illa verò scientia Dei dicitur libera, non quia in ipsa formaliter, & immediatè sit libertas; quia Deus non potest non cognoscere omne cognoscibile, omnia videlicet entia, & non entia; sed dicitur libera; quia Deo potuit deficere, potuit autem Deo deficere; quia est eorum obiectorum, quæ potuerunt deficere, seu non esse.

Sed an scientia contingentium, quæ sunt, aut essent futura sub conditione, ante decretum actuale Dei absolutum ex parte actus, ante quòd dicimus disp. 4. diffic. 10. Deum etiam cognoscere cõtingentia sub conditione futura, sit naturalis, seu necessaria, an libera, an media inter vtramque, etiam est sub controuersia, & etiam parui momenti, & potius de nomine, quàm de re.

Circa quam Cabrera 3 par quæst. 1. art. 3. dist. 1. §. 22. & Rispolis pag. 94. eam reducunt ad scientiam naturalem, seu necessariam; quia est circa obiectum, quòd antecedit omne decretum actuale liberum Dei, & alij eam reducunt ad scientiam liberam; quia fuit in potestate Dei oppositum scire. Molina verò, disput. 17. Herice, Ruizius, &

alij

alij docent, esse mediam inter vtramque; quia participat aliquid vtriusque, quia conuenit cum naturali, seu necessaria, in eo, quòd antecedat omne decretum actuale liberum Dei, & conuenit cum libera, in eo, quòd obiectum illius potest pro nostra, & pro libertate Dei deficere.

Nobis tamen magis placet, quòd absolutè loquendo, dicatur scientia libera, & ipsi Deo, quanuis non absoluta, sed conditionata, & non dicatur naturalis adhuc conditionata, nec media inter vtramque; quia fuit in potestate Dei non habere scientiam eorum contingentium, etiam quæ à nobis sub conditione futura sunt, aut essent; quia ex eo illa cognoscũtur à Deo; quia futura sunt, aut essent sub conditione, ea autem contingentia non sunt, nec essent futura sub conditione, absque decreto libero Dei, quo ex suppositione conditionis liberè decerneret, aut quo, in posteriori signo liberè decerneret nobiscum concurrere ad futuritionem eorum contingentium, ita vt id posset non decernere. Si ergo futuritio conditionata dictorum contingentium est in potestate Dei, dependens à decreto libero ipsius, scientia, qua Deus scit illa futura sub conditione, est ipsi Deo libera; quia in sua potestate est, aut esset, quòd non forent, adhuc conditione posita Sicut ergo scientia visionis, qua videt contingentia absolutè futura, est absolutè libera Deo; quia in sua potestate fuit ea non scire, si nollet concurrere ad ipsorum futuritionem, quanuis supposito, quod sint absolutè futura nequeat non prescire ea esse futura, ita scientia contingentium sub conditione, futurorum est Deo absolutè libera; quia etiam posita, aut suppositа conditione, posset non decernere concurrere ad eorum futuritionem, quanuis suppositо, quòd decreuisset, aut decreturus esset, concurrere non posset id non præscire, sicut etiam si non decreuisset, nec decreturus esset, non posset non præscire carentiam futuritionis eorum. Et hæc clarius patẽt in contingentibus, ab ipso solo Deo sub conditione futuris. Quod autem scientia contingentium sub conditione, futurorum antecedat decretum actuale Dei, nõ sufficit, vt sit Deo necessaria, cùm supponat decretum conditionatum liberum Dei, quo, suppositа conditione, liberè decerneret, aut quo, posita conditione in posteriori signo liberè decreturus est, quod sufficit, vt ea scientia non sit necessaria, & vt non conueniat cum necessaria, ac proinde nec vt sit media inter necessariam, & liberam.

(§§)

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm scientia Dei rectè diuidatur in practicam, & in speculatiuam?

QVarto, Theologi diuidunt scientiam Dei in practicam, & in speculatiuam, & rectè, vt constabit ex dicendis, & etiã, quę sit practica, & quę speculatiua.

Est ergo primò difficultas: an scientia, quam Deus habet de se ipso, seu de suis prædicatis intrinsecis sit practica, an speculatiua? Scotus quæst. 4. Prologi existimat probabile scientiam, quã Deus habet, de se ipso esse practicam; quia excitat, & mouet ipsum ad amorem sui.

Sanct. Thomas, verò, & communiter Theologi existimant, non esse practicam, cui tandem acquieuit Scotus, & meritò; quia vt diximus quæst. 4. procemiali ad Dialecticam Aristotelis, ad rationem scientiæ practicæ requiritur, quòd sit circa praxim, tanquam obiectum, id est, circa opus vt faciendum tanquam obiectum, ita vt ipsa scientia sit principium, & causa inducens, & dirigens ad illud faciendum, & sit operatiua illius: scientia autem Dei quatenus versatur circa se ipsum, non est circa opus, vt faciendum, vt patet: ergo vt sic non est practica; quia non est operatiua sui obiecti, seu eius, circa quòd versatur.

Quod autem scientia Dei nostro modo intelligendi excitet ipsum ad amorem sui, non sufficit ad rationem practicæ; quia in primis non sufficit, vt re ipsa sit practica; quia re ipsa non excitat ad illum; quia re ipsa non distinguitur ab ipso amore. Deinde non sufficit, vt nostro modo intelligendi sit practica; quia tantùm excitat ad amorem, vt quo, seu vt conditio proponens voluntati diuinæ ipsum Deum, vt bonum, & amorem ipsum non proponit, vt quòd, & tanquam obiectum, quasi efficiendum ad ipsum inducens, & dirigens voluntatem; quia non habet ipsum amorem, vt obiectum, sed ipsum Deum propositum vt bonum. Ad rationem autem scientiæ practicæ requiritur, quod habeat ipsam praxim pro obiecto ad eam inducens, & dirigens vt quod ipsam voluntatem: scientia ergo Dei non est practica respectu amoris diuini; quia non est quasi operatiua illius vt quod, sed tantũ vt quo, non proponẽs ipsum amorem, sed Deum vt bonum: nec est practica respectu Dei; quia quatenus versetur circa ipsum Deum, vt quòd eum proponens voluntati, vt bonum, non tamen, vt faciendum, vel quasi faciendum.

Cog-

Cognitio autem, qua Pater cognoscit Verbum non est practica, sed speculatiua, tum; quia in nostra sententia ea cognitio non est formaliter cognitio Verbi, sed tantùm personæ Patris, non vt Patris, sed vt personæ, cuius est Verbum : quia cognoscere rem aliquam, nihil aliud est, quàm Verbum illius producere, Verbum autem diuinum, non est Verbum sui, sed personę Patris, & ideò existimamus Verbum diuinum, non procedere ex cognitione sui, sed ex cognitione, qua cognoscitur persona Patris ab ipso Patre : tum etiam; quia scientia practica non est practica; quia sit productio Verbi sui obiecti, cuius est cognitio, aliàs omnis cognitio esset practica; quia omnis cognitio est productio Verbi obiecti, cuius est cognitio: sed quia est cognitio dirigens, vt quòd voluntatem ad productionem sui obiecti mediatè, media scilicet potentia executiua : cognitio autem, qua producitur Verbum, non est dirigens voluntatem ad productionem sui obiecti, nempè personæ Patris, ex cuius cognitione; tanquam obiecti procedit Verbum, sed est ipsa productio Verbi.

Nec cognitio, quæ præsupponitur in Patre, & in Filio ad productionem Spiritus Sãcti est practica; quia nõ habet pro obiecto, vt quòd productionem Spiritus Sancti, ad quã, vt quòd inducat, sed tãtum habet pro obiecto, vt quòd Patrem, & Filium ex quorũ amore mutuo procedit Spiritus Sanctus, proponẽs ipsos, ipsorum voluntati, vt bonos, & amabiles.

Secundò est difficultas an scientia, quã Deus habet de creaturis, sit practica, an speculatiua?

Scotus vbi supra existimat, scientiam, quam Deus habet de creaturis non esse practicam, sed speculatiuam; quia ea scientia non est regula diuinæ voluntati ad productionem creaturarum, sed voluntas ipsa est sibi regula, & idem docet in 1. dist. 38. q. 1. ea videlicet ratione; quia ad rationem cognitionis practicæ requiritur, quòd dictet, aut proponat voluntati aliquid faciendum; cognitione autem, quàm Deus habet de creaturis, non proponuntur Deo faciendæ; quia si eas dictaret, & proponeret faciendas, deberet præcedere determinationem diuinæ voluntatis faciẽdi illas, & cõsequẽter necessitaret diuinam voluntatẽ ad eas faciendas; quia tali resolutioni, & dictamini, cui nõ potest subesse falsum, nec alius defectus, nõ posset diuina voluntas repugnare.

Sanctus Thomas verò q. 14. art. 16. & communiter Doctores docent, eam scientiam esse practicam, & meritò; quia ea scientia diuina, proponitur diuinæ voluntati factibilitas creaturarum, & modus, quo fieri possunt, quo quasi dirigitur, vt eas faciat, si velit, & cõ ue-

uenientia in eis faciendis, quo voluntas diuina quasi inducitur, & soli citatur ad eas faciendas: ergo est practica, & factiua creaturarũ, cùm versetur circa eas, vt faciendas; tanquam principium, vt quòd, dirigens, & solicitans ad id.

Obseruandum est contra Suar. lib. 3. c. 4. eam scientiam practicam, qua diuina voluntas dirigitur, & solicitatur ad faciendas creaturas non esse practicam respectu determinationis, seu decreti diuinæ voluntatis ad faciendas creaturas, sed tantum respectu creaturarum faciendarum; quia quamuis ea scientia inducat voluntatem diuinam, seu notitiam volitiuam, ad eam determinationem, non tamen, tanquam principium, & vt quod, sed tantũ, tanquam cõditio, & vt quo, quia non proponit voluntati eam determinationẽ, vt obiectum, vt quòd, sed tantum ipsas creaturas; quia vt eas decernat facere sufficit, quòd eas proponat absq; eo quod proponat eam determinationem.

Ad priorem ergo rationem Scoti respondemus, quòd quamuis ea scientia, & propositio non sit diuinæ voluntati regula, vt rectè operetur, per ordinem ad quam operatio Dei dicatur recta, nihilominus est practica; quia vt sit practica, sufficit, quòd dirigat, & inducat voluntatem ad operandum, & faciendum.

Ad posteriorem respondemus concedendo maiorem, & negando minorem, nempè, quòd cognitione, quam Deus habet de creaturis, non proponantur Deo faciendæ: & ad probationem cõcedimus, eam cognitionem naturaliter, & necessariò præcedere ante determinationem diuinę voluntatis, non tamen necessitare diuinam voluntatem; quia in nulla creatura, quam proponit faciendam ostendit omnem rationem boni, ratione cuius necessariò moueatur, etiam si cognitio illa nullum habeat defectum.

Quòd enim diuina voluntas non necessitetur ad faciẽdas creaturas, non prouenit ex defectu cognitionis, seu propositionis, sed ex defectu obiecti propositi; quia scilicèt non habet omnem rationẽ boni, & inde prouenit, quòd quamuis intellectus diuinus proponat voluntati omnes creaturas possibiles, vt faciendas, non tamen faciat omnes, sed has, aut illas, quas pro suo beneplacito eligit.

Ex quo deducimus, cognitionem diuinam prout terminatur, non solum ad creaturas possibiles aliquando faciendas, sed etiam ad alias possibiles nunquam faciendas, esse practicam, vt aduertunt Suarez vbi supra, Vazquez disput. 69. cap. 2. & Bañ quæst. 15. articul. 3. quia etiam prout terminatur ad creaturas, nunquam faciẽ-

ciendas, est ex se quasi directiua, & inductiua; quia ea cognitione eodem modo cognoscuntur, & proponuntur possibiles, tàm faciendæ, quàm nunquam faciendæ; quia ea cognitio est Deo naturalis, & necessaria, præcedens determinationem liberam Dei.

Vnde sicut cognitio practica, quæ terminatur ad creaturas possibiles, nunquam futuras, non est cognitio existentiæ futuræ earum, sed tantum existentiæ possibilis, ita etiam cognitio practica, quæ terminatur ad possibiles, quæ faciendæ sunt, non terminatur ad eas, vt aliquando existentes, sed tantum, vt possibiles, seu factibiles.

Quòd autem præter iudicium practicum pro ponens voluntati diuinæ creaturas possibiles, vt fiant, & præcedens eius determinationem, non sit in Deo admittendus alius actus imperij, consequens eam determinationem voluntatis, dicimus Tract. de Attrib. disp. 11. de potentia Dei dif. 3.

Obseruandum tamen est, eandem scientiam diuinam creaturarum possibilium, quatenus à nobis concipitur, vt sistens in mera contmplatione earum, esse speculatiuam; quia quanuis, vt sic sit de re operabili, non tamen, vt operabili; ideſt, non modo operabili; quia vt sic non ostendit modum, quo facienda est.

DIFFICVLTAS V.

In qua scientia diuina creaturarum reperiatur ratio practicæ.

DIfficultas, & controuersia est: an ratio practicæ in scientia diuina creaturarũ, sit in sciẽtia simplicis intelligẽtiæ, qua Deus cognoscit creaturas, vt possibiles fieri, an in scientia visionis, qua videt creaturas futuras, vt futuras?

Aluarez libr. 2. de Auxilijs disput. 16. Nauarrete Controuersia 39. Curiel tom. 2. Opusculorum dub. 4. & Gonzalez disput. 38. sectione 2. docent, scientiam visionis creaturarum esse practicam, seu factiuam earum, & non scientiam simplicis intelligentiæ, quod tradidisse videtur Augustinus libr. 1. de Trinitate, capi. 13. dum ait: *Vniuersas creaturas; non quia sunt ideo nouit Deus, sed ideo sunt, quia nouit, quia ergo sciuit creauit, non quia creauit sciuit.* Et Gregorius libr. 20. Moral. capit. 24. dum ait:

Qua-

Quæcumque sunt non ideo ab æternitate videntur ; quia sunt, sed ideo sunt ; quia videntur. Augustinus ergo, & Gregorius satis significant, scietiam, & visionem, qua sciuntur à Deo creaturæ aliquando existentes, esse causam futuritionis earum, & non è contra.

Et ratione potest probari; quia cognitio diuina, qua causantur creaturæ, terminatur ad idem esse ad quod terminatur decretum diuinum diuinæ voluntatis, & executio Omnipotentiæ Diuinæ (si Omnipotentia est distincta à decreto, quòd nos negamus dicta disp. 11. diffi. 2.) quia per eam cognitionem dirigitur, & inducitur voluntas diuina ad decernendum, & Omnipotentia ad exequendum.

Sed decretum, & executio terminatur ad existētiam actualem, seu exercitam creaturarum: ergo etiam ea cognitio, seu scietia diuina; quia nihil volitum, & executioni mandatum, quin præcognitum fuerit.

Vazq. verò disp. 68. cap. 6. Suar. libr. de Concursu Dei cap. 13. Arrubal disp. 32. cap. 3. Heric. disp. 10. Mæratius disp. 22. Ruyzius disp. 16. sect. 6. & Faso. ar. 8. dub. 3. docent, & meritò, scientiam diuinam simplicis intelligentiæ creaturarum, esse practicam, seu factiuam earum, & non scientiam visionis, quòd satis significant Iustinus Martyr. q. 58. ad gentes, Origenes lib. 7. in Epist. ad Roman Hieronymus in cap. 26. Hieremiæ, Damascenus Dialog. aduersus Manichæos, Boetius libr. 5. de Consolat. prosa 3. & alij Patres, dum dicunt, ideò Deum cognoscere futura; quia futura sunt, & non esse futura; quia Deus cognoscit illa, quibus verbis satis significant, scientiam diuinam visionis, qua cognoscuntur futura præsupponere futuritionē, ac proinde nō esse causam futuritionis; quia causa præsupponitur ad effectum.

Et hoc posterius significāt illis dictis prioribus verbis, nēpè futura non esse futura; quia cognoscuntur à Deo.

Respondent aduersarij, hos Patres, dum dicunt, ideo Deum cognoscere futura; quia sunt futura, illam particulam: *ideò* sumi nō causaliter, sed tantùm illatiuè; quia benè infertur: aliquid est futurum: ergo cognoscitur à Deo.

Hæc tamen responsio, & solutio facilè euanescit; quia Patres ita dicunt, Deum cognoscere futura, quia sunt futura, vt negent futura esse futura; quia cognoscuntur à Deo: & tamē in sensu illatiuo vtraq; dicta propositio cōcedenda est; quia nō solum hęc illatio, seu consequentia est bona, aut vera: res est futura: ergo cognoscitur à Deo: sed etiam hęc illatio: res futura cognoscitur a Deo: ergo est futura: dicta ergo patricula *ideò* sumitur à Patribus nō in sensu illatiuo, sed in causali.

Alijs

Alijs modis reſpondẽt aduerſarij, quos nõ referimus; quia facilè poſſunt impugnari, & videri apud Arrubal, Herice, & Faſolum.

Et ratione probatur noſtra ſententia, quia in ea ſola ſcientia diuina creaturarum reperitur, & ſufficienter ratio practicæ, qua creaturæ proponuntur, vt factibiles, ſeu vt poſsibiles fieri, vt fiant, oſtendendo earum factibilitatem, & modum, quo fieri poſſunt, & conuenientiam in eis faciendis; quia ea ſola ſcientia, & ſufficienter dirigitur, & ſolliciratur voluntas ad effectionem creaturarum, hæc autem ſcientia diuina non eſt ſcientia viſionis, ſed tantùm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, etiam reſpectu creaturarum poſsibilium, quæ fututæ, ſeu efficiendæ ſunt; quia cognitio, qua proponuntur creaturę poſsibiles, vt fiant, non terminatur ad eas, vt futuras, quantuis in poſteriori ſigno futuræ ſint; quia per eam cognitionem, ſeu ſcientiam non ſunt futuræ, ſed faciendæ immediatè, ſeu mediatè, tã quam per propoſitionem dirigentem, & ſollicitantem voluntatem, immediatè efficientem creaturas poſsibiles, ſeu factibiles ex eo ſolũ, quòd intellectus cognoſcat creaturas, vt poſsibiles fieri, & modũ, quo fieri poſſunt, & conuenientiam in eis efficiẽdis, non aliter, quã ſi nunquam eſſent efficiendæ.

Auguſtinus autem 15. de Trinitat. cap. 13. ab aduerſarijs adductus, vt aduertit Faſol. dub. 5. num. 130. verè loquitur de ſcientia viſionis, ſed non in ſenſu cauſali, ſed in ſenſu illatiuo, ſeu conſequentiæ, ita vt ſenſus dictorum verborum ſit: non quia creaturæ ſunt, nempè præſentes Deus eas videt; quia aliàs eas non vidiſſet antea, nempè ab æterno, quòd eſt falſum, ex eo verò, quòd eas vidit futuras eſſe præſentes pro aliquo tempore, optimè infertur: ergo erunt eo tempore, ex eo enim, quòd Deus videt creaturam aliquam creã dam tali tempore, optimè infertur, quod in eo tempore creabitur: ex eo verò, quòd creanda ſit tali tempore non infertur: ergo pro eo tempore Deus videbit illam creari, & id non videbit ab æterno, & in hoc ſenſu illatiuo ſunt vera illa verba: *Quia ergo ſciuit creauit: non quia creauit ſciuit*, id eſt; quia vidit ſe creaturum creaturam aliquam, tali tempore in eo eſt creaturus non verò: quia creaturus eſt tali tempore in eo tantum viſurus eſt ſe creare, intentum enim Auguſtini in eo loco eſt oſtẽdere, Deum non mendicare ſciẽtiã à rebus ipſis, ſed ex ſe ipſo illas videre ab æterno, etiam ſi ipſæ nõ exiſtãt ab æterno, & in eodem ſenſu intelligendus eſt Gregor. qui relata verba ſumpſit ex Auguſtino.

Ad rationem verò reſpondemus diſtinguendo maiorem, nempè cognitionem diuinam, qua cauſantur creaturę, terminari ad

idem

Idem esse, ad quòd terminatur decretum, & executio Dei, non tamen eodem modo se habens; quia cognitio terminatur ad illud esse, quòd futurum est, non tamen vt futurum, seu vt actuale, sed vt factibile, seu possibile; quia eodem modo terminaretur ad illud esse, quamuis nunquam esset futurum, seu existens: voluntas ergo diuina decernit, & exequitur futuritionem rei, quam rem intellectus in priori signo proposuit voluntati, vt fiat ex eo solùm, quòd eam cognoscat possibilem, seu factibilem, & modum, quo fieri possit, quæ tantùm cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ, non visionis.

DISPVTATIO SEXTA.

De Idæis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in mente diuina sint creaturarum ideæ.

SVpponimus ex doctrina Augustini lib. 83. q. q. 46. ab omnibus receptа, nomen *Idea* esse Græcum, & idem, quòd apud Latinos forma prototypi, seu exemplar existens in mente artificis, cuius instar dicitur aliquid ab artifice fieri, & ob id Augustinus ideas appellat formas originales.

Hoc ergo suppositо, conueniunt primo communiter Doctores, in Deo non esse ideam Verbi, nec Spiritus Sancti, nec alicuius prędicati, sibi intrinseci: quia idea tantum pertinet ad scientiam practicam, tanquam id, instar cuius fieri potest, aut etiam faciendum est, quòd ipsa scientia practica dirigente, & sollicitante fieri potest, aut etiam actu fit: scientia autem Dei, vt versatur circa se ipsum, non est practica, vt diximus disputat. 5. difficult. 4.

Conueniunt secundo, omnes in mente diuina esse creaturarum ideas, quòd tradunt Dionysius 5. de diuinis nominibus, & Augustinus vbi suprà.

Et ratione constat; quia Deus est omnium creaturarum supremus artifex, vt dicitur Sap. 7. quia eas efficit per intellectum, & voluntatem, vt postea dicemus: ergo sicut in mente illius admittimus artē, seu scientiam practicam, & factinam creaturarum, ita etiam admittendæ sunt creaturarum ideæ, instar quarum eas possit producere,

aut

aut etiam producat, & faciat, ideæ enim sunt ideæ in actu primo, respectu creaturarum, vt possibilium, seu factibilium, & in actu secūdo respectu creaturarum, vt faciendarum.

DIFFICVLTAS II.

Quid existens in mente diuina sit idea creaturarum.

CIrca hanc difficultatem, quæ potius est de nomine, quàm de re, Caietanus, Molina, Vazquez, Arrubal, Gonzalez, Albiz, Fasolus, & Machin. quæst. 15. art. 1. Ruyzius disp. 82. section. 2. Męratius disp. 30. Bonauentura, Capreolus, & Argentina docent, creaturas ipsas prout obiectiuè existentes in mente diuina non esse ipsi Deo ideas ad ipsarum productionem; sed suam essentiam diuinam, & vtrumq; docere videtur S. Tho. ad tertium, dum ait, idea nihil aliud est, quàm essentia diuina.

Sententia hæc, quoad vtramq; partem videtur esse D. Dionysij 5. de diuinis nominibus, vbi ait: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes subsistentificas, quas Theologia prædiffinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates existentiū prædeterminatiuas, & effectiuas*: hæc autem quadrare nequeunt creaturis obiectiuè prœexistentibus in mente diuina, sed soli diuinę essentiæ; quia creaturę ipsæ nō sunt rationes subsistentificæ, nec prædefinitiones effectiuæ creaturarum existentium, sed sola diuina essentia.

Idem quoque docere videtur Augustinus 11. de Trinitate c. 29. vbi ait: *In Verbo Dei esse causas, rationesq; secundum quas factæ sunt incommunicabiliter permanentes, quòd non videtur posse aptari, nisi essentiæ diuinæ.* Et Tract. 1. in Ioannem, vbi illud: *Quòd factum est in illo vita erat*, ita exponit: *Quia quòd factum est in Deo habet rationem, quæ vita est.* Idea ergo, & ratio creaturarum, non sunt creaturæ; sed essentia diuina, ratione cuius creaturæ, quæ factæ sunt, etiam si inanimatæ sint, vt lapis, dicuntur viuere in Deo, & libr. 3. de Genes. cap. 13. vbi Ideas vocat, *diuinas, incommutabiles, æternasque rationes.* Et libr. 83. quæstionum quæst. 46. vbi ait: Ideas esse principales formas, vel rationes rerum stabiles, atq; incommutabiles, quæ ipsæ formatæ nō sunt, & ideo æternæ, ac semper eodē modo se se habentes, quæ in diuina intelligētia cōtinentur, easq; nō esse nisi in mente creatoris: quia Deus nō intuebatur quidquā positū extra se, vt solū id cōstitueret, quòd constituebat. Et subdit, eas nō posse videri, nisi visione beatifica: sentit ergo August. Ideas non esse creaturas, quas

Deus

Deus intra se intueatur, sed rationes increatas indistinctas ab essentia diuina.

Et ratione potest probari. Et in primis prior pars, nempè creaturas ipsas prout obiectiuè existentes in intellectu Dei, non esse ipsi ideas ad productionem ipsarum.

Probatur primò; quia Deus non accipit scientiam à creaturis, nec ab eis dirigitur ad ipsarum productionē: ergo nequeunt illi esse Ideæ ad productionem ipsarum.

Secundò, quia creaturæ prout obiectiuè præexistentes in intellectu diuino, sunt ipsæmet creaturæ, quæ postea producuntur, & sunt eędem omnino cum illis: ergo nequeunt esse Deo Ideæ ad ipsarum productionem; quia idem nō dicitur fieri ad imitationem, & similitudinem sui: Idea autem est id ad cuius similitudinē, & imitationem aliquid fit.

Et confirmatur hæc ratio primo; quia idea est id, quod proponitur imitandum, & non quod proponitur faciendum; creaturæ autē prout obiectiuè existentes in mēte Dei, proponuntur voluntati Dei, vt factibiles, aut etiam, vt faciendæ, vt patet, & non vt imitandæ, ob rationem dictam.

Et confirmatur secundo; quia idea est ratio agendi, & principiū & causa rei, quæ fit secundum ipsam Ideam; quia ad productionem rei concurrit, vt causa exemplaris, idem autem non potest esse principium, & causa sui.

Posterior pars, nempè essentiam diuinam esse Deo Ideam creaturarum, non defenditur eodem modo à suis Auctoribus; quia Caietanus, Bañez, Gonzalez, Fasolus, Ruyzius, & alij existimant, essentiam Diuinam esse Deo Ideam creaturarum, quatenus ab ipso præconcipitur, vt imitabilis ab ipsis, quòd ratione probatur; quia essentia Diuina est verè imitabilis, & participabilis à creaturis: ergo Deus eam aspiciens, potest, & de facto producit creaturas: ergo est earum Idea. Eundem modum dicendi sequitur Richar. in 1. d. 36. ar. 2. q. 2. quanuis etiam probabile iudicet, essentiam Diuinam, prout re ipsa imitabilem à creaturis, absque vllo ordine ad intellectum esse earum Ideam.

Bonauentura verò Capreolus, Vazquez, Suarez, Albiz, Machin & alii existimant, essentiam Diuinam esse Deo ideam creaturarum, quatenus est cognitio, & repræsentatio earum, vt possibilium, vel vt factibilium, & id insinuat Sanctus Thomas artic. 2. ad primum, & ratione probatur: quia essentia Diuina est imago, & repræsentatio creaturarum, & ab ipsis distincta: ergo creaturæ, quæ fiunt à Deo, optimè dicuntur fieri ad similitudinem, & imitationem essen-

tię

tiæ diuinæ quo ad expreſsionem, & repræſentationem.

Scotus verò in d. 35. q. 1. Ocha. & Gab. q. 5. Mai. q. 1. Duran. d. 36. q. 3. Aliacenſis q. 9. ar. 3. Baſol. q. 2. ar. 2. Ricar. ar. 2. q. 2. & alij docent, & meritò creaturas prout obiectiuè præexiſtentes in intellectu Dei, eſſe ipſi Deo ideas reſpectu earum, vt productarum, vel vt producibilium, & non eſſentiam diuinam, quòd docet Sanct. Thom. in cap. 5. de diuinis nominibus lect. 3. exiſtimans eſſe ſententiam Dionyſij.

Prior pars huius noſtræ ſententiæ, nempè creaturas prout obiectiuè exiſtentes in mente Dei, ſeu prout à Deo præconceptas eſſe ipſi ideas, earum prout productarum, aut producibilium, probatur; quia idea, ſeu exemplar nihil aliud eſt, quàm id, ad quod artifex aſpiciens operatur, vt docuit Seneca Epiſtol. 66. dicens, exemplar eſſe id, ad quòd reſpiciens artifex, id quòd deſtinabat, efficit.

Et Ludouicus Viues, qui exponens Auguſtinum 7. de Ciuitat. cap. 28. ait: Ideam dici ab ſpectando; quia qui artificiosè operatur, ideam inſpicit: ſed creaturæ præconceptæ, ſeu obiectiuè præexiſtentes in mente diuina ſunt, ad quas Deus aſpiciēs, eas poteſt operari, & producere ad extra, aut eas etiam operatur, & producit ad extra: ergo ipſę prout à Deo præcōceptæ ſunt ideæ ipſarum prout productarum, vel vt producibilium.

Quòd ſi reſpondeas, non ſufficere ad rationem ideæ, quòd ſit id, ad quod artifex aſpiciens operatur, & facit aliquid, niſi aſpiciat ad illud, vt ad eius ſimilitudinem, & imitationem faciat, & operetur: Deus autem non aſpicit ad creaturas ſibi obiectas, vt ad earum imitationem, & ſimilitudinem ipſas producat: quia eaſdem, ad quas aſpicit producit, idem autem non dicitur fieri ad ſui imitationem, & ſimilitudinem.

Sed contra hanc reſponſionem eſt, quòd quamuis admittamus, neceſſarium eſſe ad rationē ideæ interioris, ſeu intellectualis (de qua eſt difficultas) quòd ad eius ſimilitudinem, & imitationem artifex faciat artefactū (quòd non abſq; fundamento negari poſſet: quia plures Philoſophi, qui nobis rationem ideæ tradiderunt, id nō requiſierunt) nō tamen eſt neceſſarium ad aliam, & maiorem ſimilitudinem, & imitationem fieri, quàm ad conformitatem, & adæquationē rei, quæ fit, aut fieri poteſt cum ſe ipſa, vt præcōcepta ab artifice, ita vt fiat ſicut præcōcepta eſt, ſeu talis, qualis præcōcepta eſt. Ad hāc autem confirmationem non requiritur diſtinctio rei quæ cōformatur ab ea cui conformatur: ſed ſufficit diuerſitas modorum, & ſtatuum eiuſdem rei: quia ſolùm eſt cōuenientia, & conformitas rei cum ſe ipſa diuerſo modo ſe habēte, qualis in præſenti caſu reperitur: quia

eadem prout est producta, aut est producibilis est cõformis, & adæquatur sibi ipsi, prout est in intellectu: imo tanto est maior cõformitas, & adequatio, quanto est maior idẽtitas rei, quæ fit cum ea, quæ præconcipitur ad eum modum quo disp. sequen. dif. 2. dicemus veritatẽ consistere in conformitate, & adęquatione rei prout conceptæ cum se ipsa, prout in se est, tunc enim est veritas intellectus cùm concipitur res sicuti est in se.

Posterior pars, nempè essentiam diuinam non esse Deo ideam creaturarum, probatur: quia in primis non est idea quatenus obiectiuè pręconcipitur, vt imitabilis à creatura: quia vel Deus, vt producat creaturas aspicit ad id, quod in sua essentia est formaliter, & ad hoc aspiciens nequit creaturas ad illius similitudinem, & imitationem producere: quia Essentia Diuina formaliter est omnino dissimilis creaturis, vel aspicit ad id, quòd est eminenter, seu virtualiter in sua essentia, & sic potius creaturæ sunt ipsi Deo ideę, quòd nos asserimus: quia creaturæ sunt, quæ eminenter sunt in essentia diuina, & id solùm vult Sanctus Thomas art. 1. ad 3. si rectè inspiciatur.

Deindè Essentia Diuina nequit esse Deo idea, vt re ipsa est imitabilis, & participabilis â creatura absquè ordine ad intellectum Dei.

Primò, quia formaliter est omnino dissimilis creaturis, & solùm est ab eis imitabilis quatenus creaturæ accipiunt, & habent formaliter quod in Essentia Diuina virtualiter, seu eminenter continetur.

Secundò, quia etiam si Essentia Diuina esset eis formaliter similis, non posset, vt earum idea ad ipsarum productionem concurrere, & comparari, nisi præconciperetur; quia aliter non possent ex intentione ad Essentiæ Diuinæ imitationem produci, quanuis aliàs fimiles euaderẽt: quia idea solũ causat quatenus aspecta ab artifice, eum obiectiuè dirigit ad opus ad imitationem ideæ.

Tandem Essentia Diuina nequit esse Deo idea creaturarũ, quatenus est cognitio, vel species expressa, seu imago earũ: quia ad producẽdas creaturas per se, & ex parte principij solũ requiritur in intellectu diuino directa cognitio creaturarũ; quia ea sola sufficiẽter proponuntur voluntati diuinæ, vt fiant, & nõ requiritur reflexa, qua ad eam directam aspiciat, quanuis comitãter ob infinitatem diuinæ cognitionis, & non per se, seu ob causalitatẽ, ita terminetur ad creaturas, quod etiam quasi reflexè terminetur ad cognitionem directã earum, per se ergo, & ob causalitatem ad producẽdas creaturas nõ requiritur, quòd Deus aspiciat ad suam Essentiam, vt ad cognitionem

sem creaturarum: ergo Essentia Diuina, vt cognitio creaturarum, nequit esse earum idea: quia hæc per se, & ob causalitatem prærequiritur ad productionem earum, & ad eius rationem requiritur, quòd sit id, ad quòd aspiciens artifex operetur, quanuis aliàs creaturæ euadãt similes Essentiæ Diuinę, vt cognitioni, similitudine repræsentationis: imo si creaturæ euadunt similes in repræsentatione Essentiæ Diuinæ, vt cognitio est, ideſt secũdario, & ex eo, quod prius cõformantur sibi ipsis prout sunt obiectiuè in intellectu diuino; quia scilicèt producuntur, sicut cognitæ sunt, vt docuit Aug. lib. 5. de Genesi ad literam cap. 15.

Ad fundamenta autem aduersariorum respondemus, & primo ad Dionysium, eum potius esse pro nobis secundum expositionem S. Thomæ lect. 3. dicentis, rationes illas substantificas, &c. Esse res prę intellectas à Deo; quia res vt sic congruè dicuntur rationes, sicut etiam dicuntur conceptus obiectiui.

Et quòd Dionysius subdit, has esse quas Scriptura vocat prædestinationes, & voluntates diuinas, intelligẽdum est non formaliter; sed præsuppositiuè; quia vt ipse Diony. subdit: secundùm eas Deus prædefiniuit producere, & produxit. Et ex eo dicuntur rerum existẽtium prædefinitiuę, & effectiuæ, subintellige, quasi causæ exemplares, seu ideales: quia Deus per eas tanquam, per obiecta suæ directionis nostro modo intelligẽdi dirigitur obiectiuè ad rerum productionem: & ideò Aug. 11. de ciui. c. 29. easdem vocat rationes, & causas, secundũ quas factæ sunt res, & quòd subdit, esse incommutabiliter permanẽtes optimè quadrat creaturis prout sunt in mente diuina: quia in ea sunt ab æterno, & eodem modo.

Quòd verò ait Augustinus Tract 1 in Ioannem, quod factum est, in Deo esse vitam; quia in Deo habet rationem, quæ vita est: per rationem ibi intelligit artem, qua Deus vt causa, & principio omnia producit, vt ipse statim declarat, & quod ratione artis creaturæ dicantur in Deo viuere, nulla ad hoc propositum facta mentione Ideæ, aut exemplaris, docet ipse libr. 65. quæstionum, q. 26. & lib. 83. q. q. 46. Et lib. 5. de Genesi ad literam capit. 14. & sæpè alibi. Et quòd ipse ait in hac dicta quęstion. 46. Deum non intueri aliud extra se, vt secundum id constituat, intelligitur de alio extra Deum, quod ipsi deseruiat, vt exemplar externum, quo adiuuari egeat, sicut solent artifices creati, & quod tandem subdit, visione idearum animam fieri beatissimam, intelligendum est de aliquali beatitudine huius vitæ, aut si de Beatitudine Patriæ, intelligendum est, vel de Beatitudine accidentali, vel si de essentiali est verum præsuppositiuè, quia vt videatur quo-

modo creaturæ sint obiectiuè in mẽte diuina (& consequenter quo modo sint ideæ) necessarium est videre essentiam Dei, quæ Deo est cognitio creaturarum.

Et ad priorem rationem cõtra nostram priorem partem respõdemus cõcedendo, Deum non accipere scientiam à rebus, cũ hoc tamẽ stat, quòd ad eas debeat aspicere, vt eas faciat, & cõsequenter, quòd ipsi sint ideę ad ipsarum rerum productionem, & quòd eis obiectiuè quasi dirigatur: & ad posteriorem patet ex dictis in probatione prioris partis nostræ sententiæ; nempè, quòd quamuis creaturæ, quæ obiectiuè præexistunt in mẽte diuina, & quæ producuntur, sint eædem: nihilominus prout obiectiuè præexistunt, possunt Deo esse ideæ, seu exemplaria earumdem prout producuntur: quia eas producit ad conformitatem ipsarum prout præaspectæ sunt à Deo; quia eas facit tales, quales præaspexit.

Et ad primam confirmationẽ respondemus, quòd creaturæ ea ratione, qua habẽt rationem idearum non proponuntur faciendæ sed imitandæ; quia nõ proponũtur faciendæ prout præcõceptę sunt, sed sub alio modo, & statu, nempè prout extra intellectũ factibiles sunt ad conformitatem earumdem prout sunt obiectiuè in intellectu.

Et ad secũdam confirmationẽ concedimus, quòd idea sit principium, & reale efficiẽdi: negamus, tamẽ quod non possit esse causa realis sui ipsius sicut etiam finis; quia vt idea, & finis causent, nõ requiritur, quòd actu existãt, in quo differũt ab alijs causis sed sufficit, quòd apprehendantur; quia non causant immediatè, & verè physicè; quia scilicet re ipsa sint talis naturæ; sed finis causat metaphoricè attrahẽdo voluntatem; idea verò, seu exemplar causat obiectiuè dirigendo obiectiuè voluntatem tanquã causa formalis, nõ intrinseca: quia nõ dat intrinsecè esse effectui, sed tanquam causa formalis extra eã extrinsecè determinãdo ad esse effectus; quia dirigit, vt effectus fiat ad similitudinem ipsius ideæ: idem autem prout apprehensum benè potest attrahere, & dirigere agẽs ad sui productionem, ad alia verò fundamenta contra nostram posteriorem partem constat ex probatione, qua eam probauimus.

Obseruandũ est, eadẽ proportione dicendum esse, ideam, seu exẽplar internum in artifice creato esse id, quòd præconcipit, vt faciat quãuis non ita distinctè, & clarè præconcipiat, ac facit, & ex eo idea artificis creati nõ est perfecta; id autem, quòd solet exterius aspicere, & imitari (quod per se non requiritur) potest dici exẽplar externum, quòd non alio modo concurrit ad opus quam obiectiuè excitando mentem artificis, vt ipsi objiciatur, vel vt in ea conseruetur id, quod imitari intendit.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in Deo ſint plures Ideæ?

THeologi, vno, vel altero excepto conueniunt, in Deo eſſe plures creaturarum Ideas, quòd ſupponunt Dionyſius 5. de Diuinis nominibus, & Auguſtinus pluribus in locis, præſertim lib. 83. quæſtion. quæſt. 46. dum ait, in Deo eſſe rationes rerum, & quòd alia ſit ratio hominis, & alia equi, & quòd ſingula proprijs ſunt creata rationibus.

Et quidem ſecundũ noſtram ſententiam, qua diximus, creaturas ipſas prout obiectiuè exiſtentes in mente Dei eſſe ipſi ideas ad earũ productionem, clarum eſt, & abſq; cõtrouerſia eſſe plures, tot quid ẽ, quot ſunt creaturæ, ac proinde eſſe infinitas in actu: quia vt diximus diſp. 3. dif. 4. creaturæ, quę ſunt obiectiuè in mente Dei, ſunt infinitæ in actu, & eſſe realiter diſtinctas, vt patet.

Eſt autem difficultas, quo pacto ideæ poſsint eſſe plures in ſententia eorum, qui exiſtimant, eſſentiam diuinam eſſe ideam creaturarum, & procedit iuxta ſententiam communem Sancti Thomæ, ſecundùm quam in Deo non eſt pluralitas, ſeu diſtinctio ex natura rei, quo ad abſoluta: ſed ſumma vnitas, & identitas: & ſecundũ eam ſupponimus nõ eſſe in Deo plures ideas ex natura rei diſtinctas, quia eſſentia diuina ex natura rei eſt vna, non ſolum prout imitabilis, vt patet; ſed etiam prout cognitio creaturarum; quia intuitu ex natura rei vnico eſt omnium cognitio; eſſe tamen plures ſecũdum rationẽ, vt S. Thom. q. 15. ar. 2. & plures alij Theologi docent. Eſt tamẽ cõtrouerſia, ſuppoſita, & admiſa ſententia conſtituente ideas in eſſentia diuina, & eas eſſe plures, & diſtinctas ratione, an plurificentur, & diſtinguantur intellectu noſtro?

Argent. d. 36. q. vnica ar. 1. exiſtimat, eas nõ eſſe plures, nec diſtingui intellectu creato adhuc viatoris; quia ideæ ſunt plures, & diſtinctæ ab æterno: ergo non ab intellectu creato, qui non eſt ab æterno.

Reliqui tamen exiſtimant plurificari, & diſtingui intellectu creato viatoris, & ſuppoſita dicta ſententia cõſtituente ideas in eſſentia diuina, id eſt rationi, & veritati cõformius: quia ſiue eſſentia diuina habeat rationem ideæ, quatenus eſt re ipſa imitabilis à creaturis, ſiue quatenus eſt earum cognitio, vtroq; modo concipitur à noſtro intellectu comparatione ad ipſas: ergo cum varijs, & diſtinctis reſpe-

ctibus rationis ad eas pro ipsarum varietate, & distinctione, quos ea comparatione fingimus; quia concipimus essentiam, vt respicientē creaturas, quæ re ipsa nō est ad eas relata, nec esse potest: ergo idea creaturarum in Deo prout intellectu nostro concipitur, non est vna: sed multiplex, & tot, quot sunt creaturæ; quia vt à nobis concepta, non solùm includit essentiam diuinam, sed etiam respectus rationis ad eas, qui sunt tot, quot sunt creaturæ, quas respicere concipimus.

Quòd si obijcias: ars, seu scientia practica in Deo prout à nobis cōcepta, includit respectus rationis ad creaturas, quæ sunt eius obiecta & tot respectus, quot sunt creaturæ; quia cōcipitur vt eas respiciēs, & tamē in Deo vna tantū ars, seu scientia practica admittitur: ergo quāuis idea, vt à nobis cōcepta includat varios illos respectus, non erit nisi vna: aut si idea ob multiplicitatem respectuū dicitur multiplex, eodem modo erit etiam dicendum de arte, seu scientia practica, quòd sit multiplex. Respōdemus cōcedendo antecedēs, & negando cōsequentiam; quia est dispar ratio inter artem, seu scientiā practicam, & inter ideas; quia ars, seu scientia significatur vt habitus, qui nō multiplicatur ex obiectis materialib⁹, seu ex rebus scitis, seu arte factis, sed ex modo sciēdi, & operādi, qui in Deo est vnus, & idē; quia omnia sunt ab ipso eodem modo scita; quia omnia sunt ei per se nota, & eodē modo per intellectū, & volūtatem operatur, & ideò in Deo est vna sola scientia, & ars, idea verò significatur per modū actualis cōceptus formalis, aut obiectiui iuxta varias opiniones, & ideò pro multiplicitate rerum, seu obiectorū materialiū, est in Deo multiplex idea adhuc sub vna sola arte, seu scientia practica.

Secūdo est controuersia, & maior: an supposita, & admissa supra dicta sentētia, ideę possint plurificari, & distingui intellectu diuino? circa quā (omissis aliorum placitis, quæ videri possunt apud Ruiz. disp. 83. & apud alios recētiores) iuxta ea quæ diximus disp. 3. dif. 5. dicendum est, Deum ex se ipso, & primariè non posse concipere in sua essentia respectus rationis, quibus ideæ plurificentur, & distinguātur: quia Deus nequit suam essentiam ad creaturas comparare, seu vt relatam ad eas concipere, quia realiter est absoluta, & ad eas non relata, Deus autem ex se ipso nequit res aliter, quàm in se sunt concipere; secundariè tamen, & occasione nostri intellectus Deus eos respectus concipere, & cognoscere potest; quia ipsi Deo obijciuntur, vt nobis obiecti, & obijcibiles.

Sed an ex eo, quòd Deus eos respectus secundariè cognoscat, & cōcipiat, dicatur illos facere, & fingere, est difficultas magis in modo loquendi sita, quàm in re, in ea tamen existimamus, quòd eos faciat,

ciat, & fingat secundario, & occasione nostri intellectus: quia esse illorum, sicut & cuiuscunque alterius entis rationis, est esse tãtum obiectiuè in intellectu; Deus autem eos concipiendo, seu cognoscendo, facit eos esse actu obiectiuè in suo intellectu: ergo eos facit, & fingit, imò prius quam nos; quia ab æterno eos facit, quòd non tollit, nostrum intellectum eosdem facere de nouo in se ipso; quia eos facit esse actu obiectiuè in se ipso, in quo antea non erant: Deus ergo (quanuis tantum secundariè) multiplicat, & distinguit respectus rationis, quibus ideæ multiplicantur, & distinguuntur, sicut eos facit, & fingit.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm ideæ in Deo pertineant ad scientiam practicam; an ad speculatiuam.

SVpponimus primo in quo DD. conueniunt, creaturarum possibilium, quæ in posteriori signo sunt futuræ, seu faciendæ esse in Deo ideas; quia in Deo reperitur id, instar cuius eas facturus est, & facit, ideæ autem creaturarum possibilium, quę faciendæ sunt communiter appellantur exemplaria, & expressè appellauit Dion. 5. de diuin. nomin. conueniunt autem, hæc exemplaria, seu has ideas ad scientiam practicam Dei pertinere; quia pertinent ad scientiam, qua fiunt res; quia pertinent ad scientiam simplicis intelligẽtiæ, qua proponuntur creaturæ, vt factibiles, & modus, quo possunt fieri, qua voluntas diuina dirigitur ad eas faciendas, quæ nõ terminatur immediatè ad eas, vt futuras, seu faciendas, sed vt possibiles, seu vt factibiles, vt diximus disp. 5. dif. 5.

Supponimus secundo, in quo etiam DD. cõueniunt, respectu creaturarum purè possibilium, seu, quæ nunquam sunt faciẽdæ, esse etiã ideas in Deo; quia in Deo reperitur id, instar cuius posset eas facere, si vellet: istæ autem ideæ purè possibilium communiter appellãtur rationes.

Est tamen controuersia: an istæ ideæ, seu rationes purè possibilium pertineant ad scientiam practicam, an ad speculatiuam, siue tanquã actus talis scientiæ, siue tanquam obiecta illius, iuxta varias opiniones relatas de natura idearũ, quòd idẽ est, ac inquirere: an scientia purè possibiliũ, ad quã eorũ ideę pertinẽt, sit practica, an speculatiua.

Gabriel in 1. dist. 35. q. 5. ar. 3. dub. 4. Aegidius d. 36. ar. 2. quæst. 3. & alij docent, ideas purè possibilium non pertinere ad scientiam

practicam;sed tantum ad speculatiuam;quia dictæ ideę non sunt rationes faciendi,sed tantum cognoscendi, siue tanquam actus scientiæ,siue tanquam obiecta illius;quia sunt rerum,quæ non sunt faciẽdæ:ergo non pertinent nisi ad scientiam speculatiuam. Et cõfirmatur;quia tantum pertinent ad scientiam,quę non est factiua;quia tãtum pertinent ad scientiam purè possibilium:ergo nõ pertinent ad scientiam practicam,sed tantum ad speculatiuam.

Durand.verò in 1.dist.36.q 4.Moli.Bañez,& Vazquez quæst. 15.ar.2.Suarez lib.3.de Attributis cap.5.Ruyzius disp.84. section. 1. docent,pertinere ad scientiam practicam, & meritò ; quia istæ ideę ex se sunt rationes,secundum quas Deus potest facere,& producere creaturas,si velit, ita vt si vellet eas producere,non egeret alijs ideis:ergo pertinent ad scientiam, quæ quantum est ex se, seu in actu primo est factiua,seu practica. Et confirmatur, quia istæ ideæ pertinent ad scientiam rerum possibilium,hæc autem scientia est practica,vt diximus disp.5.difficult. 4.& 5. quia quantum est ex se est factiua: quia quantum est ex parte talis scientiæ,nihil ei deficit,vt fiant,si accedat decretum voluntatis:est ergo practica quantus nõ in actu secundo;quia non exit in productionẽ,sed in actu primo;quòd voluit S.Thomas quæst.15.ar.2.quando dixit, esse virtute practicam.

Ex quibus constat ad rationem aduersariorum & ad confirmationem illius;quia constat dictas ideas esse rationes in actu primo faciendi,& eodem modo scientiam purè possibilium ad quam pertinent,esse practicam,& factiuam in actu primo,quauis etiam sit speculatiua,quatenus gratia speculationis versatur circa creaturas,earum essentias, & proprietates contemplando, vt diximus disput. 15.difficul.4.

DIFFICVLTAS V.

Quarum rerum sint in Deo ideæ.

PRimò est difficultas:an sint rerum singularium?

Henric.Quodlib.2.q.1.& Quodlib 7.q. 5. existimat, in Deo non esse ideas singularium,quòd etiam sensit Plato,vt refert S.Th. q.15.ar.3.immeritò tamen,& contra communem sententiam, quã docuit Augustt.Ep.115.& S.Thom.in eo ar.3.& ibidem Machin.& Fasol.& Ruyz.disp.84.sect.4.Bonauen.Richar.Ægidius,& alij in 1. dist.35.& 36.

Et

Et ratio eſt clara, non ſolùm ſecundum noſtram ſententiam, ſecundum quam Idea ſumitur pro conceptu obiectiuo eius, quod faciendum eſt, aut fieri poteſt; quia ſingularia ſunt, quæ facienda ſunt, & quæ fieri poſſunt, & eorum ſunt in Deo conceptus obiectiui: ſed etiam ſecundum ſententiam dicentium, eſſentiam diuinam eſſe creaturarum ideam, ſiue vt eſt imitabilis à creaturis, ſiue vt eſt earũ cognitio ſeu præconceptio; quia ſingularia ſunt quæ imitantur, & participant eſſentiam diuinam, & quæ præconcipiuntur à Deo.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm in Deo ſint Ideæ vniuerſalium?

HEnricus vbiſuprà docet, in Deo eſſe ideas peculiares generum, & ſpecierum: immerito tamen, & contra communem ſententiam, quam tradunt S. Thom. art. 3. & ibidem Machin, & Faſolus, & Vazquez diſput. 74. Suarez lib. 3. de eſſentia Diuina, cap 5.

Et ratio eſt clara; quia vniuerſalia non fiunt peculiariter, ſed ſolum vt indiſtincta à ſingularibus; quia non habent peculiares entitates diſtinctas à ſingularibus: ergo nec peculiariter præconcipiuntur à Deo, vt peculiariter fiant, nec peculiariter imitantur eſſentiam Diuinam.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm in Deo ſit idea materiæ primæ?

SAnct. Thom. quæſt. 15. art. 3. exiſtimat, in Deo non dari propriam, & peculiarem ideam materiæ primæ, quem Caietanus, & communiter Thomiſtæ ſequuntur; quia exiſtimant materiam primam non habere propriam entitatem, & exiſtentiam.

Albert. verò in 1. diſt. 35. art. 10. Gabriel quæſt. 5. Molina, Vazquez, Banez, & Machin art. 3. & Suarez vbiſuprà docent, in Deo eſſe ideam propriam materiæ primæ, & non abſque ratione; quia materia prima habet propriam entitatem, & exiſtentiam realiter diſtinctam ab entitate, & exiſtentia formæ, & totius compoſiti, ratione cuius poteſt peculiariter præconcipi, vt peculiariter fiat, & ratione cuius poteſt peculiariter imitari diuinam eſſentiam, imò habet entitatem independentem ab illis, vt latè probauimus 1. Phyſic. c. 9. quæſt. 3.

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm in Deo sint ideæ accidentium?

SVpponimus accidentium, quæ per se fiunt, & aduenium subiecto anteà producto in Deo reperiri peculiares ideas distinctas ab ideis subiectorum; quia habent proprias, & peculiares entitates, ratione quarum possunt peculiariter præconcipi à Deo, vt peculiariter fiant, & ratione quarum possunt peculiariter imitari essentiam Diuinam.

Est tamen difficultas: an accidentium, quæ simul cum subiecto inseparabiliter producuntur, quales sunt propriæ passiones, sint in Deo propriæ, & peculiares ideæ, Sanct. Thomas art. 3. ad 4. docet, earum non esse in Deo proprias, & peculiares ideas; quia fiunt per ideas subiecti, cum quo producuntur, sicut accidentia artificialia domus, quę fiunt simul cum domo fiunt per ideam domus ab artifice creato.

Molina verò, Vazquez, Machin vbi suprà, Ruizius, disp. 8. sect. 5. & alij docent, earum esse in Deo proprias, & peculiares ideas, & non absque ratione; quia quanuis fiant simul cum suo subiecto, habent tamen proprias, & peculiares entitates distinctas realiter à subiecto: ergo ratione earum peculiariter præconcipiuntur à Deo, vt peculiariter fiant, & ratione earum peculiariter imitantur essentiam Diuinam.

Ad rationem verò in contrarium respondemus, Ideam, per quam tota domus cum omnibus entitatibus fit ab artifice creato, esse vnam eo modo, quo tota domus prout est artificialis, qua ratione fit ab artifice est vna vnitate, videlicet ordinis, & artis; substantia verò, & accidentia secundum esse naturale, qua ratione fiunt à Deo sunt plura, & distincta entia, & ideò ad eorum productiones plures in Deo prærequiruntur ideæ, sicut etiam ad productiones entium naturalium, quę in vna domo artificiali reperiuntur, dantur plures ideæ in Deo, à quo solo entia naturalia per ideas producuntur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De veritate.

DIFFICVLTAS I.

In qua operatione intellectus reperiatur veritas?

SVpponimus, in quo Doctores conueniunt, veritatem intellectiuam, vel in cognoscendo (quæ est adæquatio, seu conformitas inter intellectum, & inter rem intellectam, de quo dicemus difficult. 2.) reperiri in iudicio intellectus, quòd in nobis viatoribus fit secunda operatione illius; nempè compositione, & diuisione, quòd docuit Aristoteles 1. de interpretat. cap. 1. & 9. Metaphisicæ, cap. 12. & August. de vera religione cap. 36. & meritò; quia in iudicio reperitur propria, & perfecta conformitas ad rem iudicatam, & enuntiatã, ratione cuius propriè, & in rigore possumus iudicanti, & enuncianti dicere verum iudicas, & dicis, & non reperiri in discursu; qui fit tertia operatione nostri intellectus; quia in discursu potius est bonitas, & malitia, quàm veritas, & falsitas; quia discursus potius est forma, seu ratio colligendi vnum ex altero, quàm sit cognitio, etiam si plures cognitiones contineat, duas pro antecedente, & tertiam pro consequente.

Hoc supposito, superest difficultas: an veritas intellectiua reperiatur in nostra simplici apprehensione, qui est prima operatio intellectus nostri.

Circa hanc difficultatem Ferrar. 1. contra gentes, cap. 59. & 60. Soncinas 6. Metaphisicæ, quæst. 17. Capreolus in 1. distin. 19. quæst. 3. art. 1. Ægidius quodlibet. 4. quæst. 7. Fonseca 4. Metaphis. cap. 2. quæst. 6. sect. 4. Fasolus quæst. 16. art. 2. dub. 1. Et Ruizius disp. 87. sect. 2. docent, etiam reperiri in nostra simplici apprehensione, quod satis significat Aristoteles 3. de anima, cap. 6. dum ait: *Est autem dictio quidpiam de quopiam quemadmodum affirmatio, atque omnis est vera, vel falsa: at intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est, & verus, & non quidpiam de quopiam dicit, sed vt visio proprij ipsius est vera.* Quibus verbis satis exprimit Aristoteles intellectum, qui concipit essentiam, seu quidditatẽ semper esse verũ, & nunquã falsum (ad differentiam dictionis, seu enuntiationis, quæ potest esse vera, vel falsa) sicut visio proprij visibilis est vera. Quibus verbis etiã

ex-

exprimit, in operatione ſenſus, quę eſt ſimplex reperiri veritatem, quòd etiam docuerat 2. de anima, cap. 6. quando dixit, ſenſum circa proprium ſenſibile non falli, ſed ſemper eſſe verum: circa commune verò aliquando decipi.

Et ratione probatur primo; quia veritas eſt adæquatio intellectus ad rem: ſed in ſimplici apprehenſione, qua res cognoſcitur, & repręſentatur ſicuti eſt, reperitur adęquatio, ſeu conformatio cum ea re: ergò in ea reperitur veritas. Secundo, quia in ſignis ſimplicibus, ſiue naturalibus, ſiue artificialibus, ſiue ex inſtitutione reperitur veritas; quia conformantur rebus, quas ſignificant, qua ratione fumus dicitur ſignum verũ ignis, & geſtus dicitur ſignum verum affectus interioris, & imago dicitur imago vera prototypi: ergo in intellectione ſimplici ratione repræſentationis quæ eſt ſignificatio quædam, reperitur formaliter veritas. Tertio, quia in intellectione ſimplici, qua Deus, & Angeli cognoſcunt, res non minus reperitur veritas, quam in noſtra intellectione. Compoſitiua ergo etiam in noſtra ſimplici apprehenſione reperietur non minus, quàm in compoſitiua.

Caietanus verò, Bañez, & alij Thomiſtæ, quæſt. 16. art. 2. Henricus quodlib. 3. quæſt. 1. art. 2. & 3. Durandus in 1. diſtin. 19. quæſt. 5. & Vazquez diſput. 75. docent, & meritò, veritatem intellectiuam noſtri intellectus ſolum reperiri in compoſitione, & diuiſione, & videtur expreſſa ſententia S. Thomæ art. 2. & eam expreſsit Ariſtoteles 1. de interpretat. cap. 1. dum ait, verum, & falſum in compoſitione conſiſtit, & idem docet, cap. 3. & etiam 3. de anima, cap. 6. dũ ait: *In indiuiſibili mentis conceptione falſitatem non eſſe*: vbi autem non eſt falſitas, nec eſt veritas, quòd clarius exprimit alijs verbis, quæ ſubdit, & etiam 6. Metaphyſicæ, cap 2. dum ait: *Veritatem tantum eſſe in intellectu; quia tantum in illo eſt compoſitio, & diuiſio.*

Sed antequam hanc noſtram ſentẽtiam ratione probemus, præmittimus, inter noſtram ſimplicem apprehenſionem, & inter rẽ apprehenſam eſſe adæquationem, ſeu conformitatem in repræſentatione: ſed an hæc adæquatio, & conformitas ſit appellanda veritas, controuerſia eſt, & potius de nomine, quàm de re, & ideò ſolo communi modo loquendi dirimenda eſt, quia loquendum eſt vt multi.

Hoc igitur premiſo probatur, dictam adæquationem, ſeu conformitatem, non apellari communiter, nec eſſe appellandam veritatem. Probatur primo, quia voces ita ſubſtitutæ ſunt pro cognitionibus, & conceptibus formalibus ad ſignificandos alijs noſtros conceptus obiectiuos repræſentatos per formales, quos non poſſumus noſtris cognitionibus, & conceptibus formalibus repręſentare

al-

alijs vt quoties cognitio est vera in repræsentando, vox, quæ ipsi cognitioni, & conceptui formali substituitur, & correspondet, etiam dicatur vera in significando, & quoties cognitio est falsa in repræsentando, etiam vox ipsi substituta ei correspondens dicatur falsa in significando; quia illud idem, quod cognitione nostra nobis repræsentamus, & cognoscimus, intendimus etiam alijs significare vocibus, quia id non possumus cognitione nostra efficere, & ideò primo de interpretatione, cap. 1. quæst. 1. Cathedram Artium in hac Academia Complutensi regentes diximus, voces non significare conceptus formales, sed obiectiuos, ac proinde non esse signa significatiua passionum, seu conceptuum formalium: sed tantum esse signa substitutiua, seu subrogatiua eorum, & in hoc sensu explicuimus Aristotelem dicentem: *Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum, quæ sunt in anima passionum notæ*, id est, sunt notæ, seu signa substitutiua: sed nulla vox simplex (quæ non sit enunciatio) ratione suæ simplicis significationis, dicitur vera, aut falsa, qui enim audit hãc solam vocem *homo*, quisque audiat integram enũciationem vocalem, nequit iuxta communem modum loquendi dicere, quòd sit vera, aut falsa in significando ergo nulla nostra simplex intellectio, cui vox simplex correspondet, & substituitur, potest esse vera, aut falsa.

Secundò, quia in simplici apprehensione nequit esse falsitas, vt docet Aristoteles 9. Methap. cap. 12. quia in ea nequit esse mendacium: ergo in ea nequit esse veritas, quæ est contraria falsitati; quia contraria ita versantur circa idem subiectum, vt si vnum eorum implicet esse in aliquo subiecto, etiam implicet in eo esse alterum.

Iam verò fundamentis aduersariorum respondeamus, & primo ad Aristotelem 3. de anima, cap. 6. respondemus, quòd quando ait: *Intellectum, qui est ipsius, quid est esse verum, etiam si non enunciet*: non significare esse propriè verum, sed aut esse verum per similitudinem; quia se habet instar intellectus veri, qui enunciat; quia apprehendere est, quodammodo dicere, & ideò apprehendere rem sicuti est, & quodammodo dicere, rem esse sicuti est, aut esse verum causaliter; quia est occasio veri iudicij, & eodem modo exponendum est, quòd dixit de sensu.

Et ad primam rationem respondemus, in simplici apprehensione reperiri adæquationem, & conformitatem cum re apprehensa; eam tamen non dici propriè veritatem, nisi, aut per similitudinem, aut causaliter, vt dictum est.

Ad secundam respondemus ea signa simplicia non dici vera, quia conformia sint in significando rebus significatis, sed tantum dici vera, & causaliter; quia causa sunt veri iudicij in intellectu, quo

quo ex ipsis verè iudicatur de rebus significatis.

Ad tertio respondemus, in simplici intellectione Dei, & Angelorum reperiri veritatem, quatenus ea iudicant; quia Deus, & Angeli, simplici intuitu iudicant de rebus: nos verò non nisi compositione, aut diuisione; & ideò in nobis non reperitur veritas, nisi in compositione, & diuisione, est ergo veritas adæquatio, seu conformitas intellectus iudicantis cum re ipsa iudicata.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm veritas sit conformitas cognitionis; an conceptus obiectiui cum ipsa re?

CAietanus quæst. 16. art. 2. Fasolus art. 1. dub. 1. Ægidius quodlibet. 4. quæst. 7. Suarez in Metaphisica, disp. 8. sect. 1. & Ruizius disput. 85. sect. 4. docent, veritatẽ esse conformitatem, non rei prout obiectæ, seu cognitæ cum se ipsa, vt est in se, sed cognitionis iudicatiuæ cum re cognita prout est in se, & consequenter, veritatem primario reperiri in ipsa cognitione, & cognitionem ab ipsa veritate, primario denominari veram, quòd probari potest; quia veritas intellectiua, est cõformitas quo ad repræsentationem cum re cognita, prout est in se extra cognitionem: sed inter rem, vt verè cognitam, seu cognitioni obiectam, & inter eandem, vt est in se extra cognitionem, nulla est conformitas; quia nulla est distinctio extremorum, inter quæ possit esse ea conformitas, sed omnimoda identitas; quia illud idem esse, quod res habet in se extra cognitionem est, quòd obijcitur cognitioni, inter cognitionem tamen ipsam, & inter rem cognitam est vera conformitas, seu adæquatio quoad repræsentationem: ergo veritas in hac conformitate cognitionis cum ipsa re cognita consistit. Et confirmatur; quia veritas, quæ reperitur in voce, consistit in conformitate non rei significatæ cum se ipsa prout est in se, sed in conformitate vocis significantis cum re significata: ergo veritas intellectiua, seu reperta in intellectu consistit non in conformitate rei, prout cognitæ cum se ipsa prout est in se, sed in conformitate cognitionis cum re cognita.

Durandus verò in 1. distin. 19. quæst. 1. Heruæus quodlibet. 3. quæst. 1. art. 2. & 3. Vazquez disp. 76. & alij docent, & meritò, veritatem esse conformitatem non cognitionis cum re cognita, prout est in se extra cognitionem, sed esse conformitatem rei prout cogni-

mitæ cum eadem prout eſt in ſe extra cognitionem, ſeu quòd idem eſt veritatem eſſe conformitatem conceptus obiectiui, cum re ipſa obiecta, non prout obiecta, ſed prout eſt in ſe extra ipſam obiectionem, ſeu cognitionem, quòd ratione probatur primo, quia conformitas, ſeu conuenientia repræſentationis cum re cognita, in qua cõſiſtit veritas intellectiua, & ratione cuius, intellectus dicitur verus, & conformis rei prout eſt in ſe, conſiſtit in eo, quòd res extra exiſtẽs repræſentetur cognitione, ſeu obijciatur intellectui, ſeu ab eo cognoſcatur, ſicuti eſt extra: ſed hæc conformatio, & conuenientia primario pertinet ad rem ipſam prout obiectam intellectui media cognitione; quia hæc conformatio eſt denominatio repręſentati, ſeu cogniti, ſicuti eſt extra cognitionem, quia ex eo intellectus proximè conformatur rei, prout eſt in ſe extra ipſum intellectum; quia ei obijcitur, ſeu apparet ſicuti eſt extra intellectum; ergo veritas intellectiua primario ſita eſt in conformitate rei vt cognitæ, ſeu vt obiectæ intellectui cum ipſa re prout exiſtente in ſe extra intellectum, ſeu ſita eſt in conformitate conceptus obiectiui cum re ipſa, prout eſt in ſe extra intellectum.

Secundo probatur, quia illud eſt primario verum, quòd ſignificatur enunciatione vocali vera; quia enunciatio vocalis non eſt alio modo vera, niſi quia eſt ſignum veri, ſicut vrina non eſt alio modo ſana, niſi quia eſt ſignum ſanitatis animalis: ſed voces non ſignificant cognitiones ipſas, ſed tantùm res cognitas, ſeu obiectiuè exiſtentes in intellectu ſunt primario veræ, reliqua verò, quæ dicuntur vera ſolùm dicuntur vera ſecundario, voces quidem, & cognitiones; quia ſunt ſigna conceptuum obiectiuorum: voces ſigna ad placitum, & cognitiones; ſigna naturalia, & res vt in ſe ſunt extra intellectum, dicuntur verè cauſaliter; quia ſunt in cauſa, vt poſsint obijci vero iudicio, de quo difficultas ſequenti: ſolus ergo conceptus obiectiuus eſt primariè verus veritate formali ex eo quòd conformetur proximè rei prout eſt in ſe extra cognitionem.

Ad rationem verò aduerſariorum reſpondemus concedendo, veritatem eſſe conformitatem cum re prout eſt in ſe extra cognitionem; negamus tamen, eam conformitatem non conuenire rei prout cognitę, ſeu eam non eſſe inter rem prout cognitam, ſeu repræſentatam, & inter eandem prout eſt in ſe extra; quia quamuis non ſit conformitas realis; quia hæc prærequirit diſtinctionem realem extremorum, & res prout cognita, & eadem prout extra ſit eadem realiter, eſt tamen conuenientia quædam, ſeu conformitas, qua eadẽ res dicitur obijci ſicuti eſt in ſe, ſeu qua dicitur talis apparere, ſeu

seu repræsentari intellectui qualis est in se, quę non requirit distinctionem extremorum, sed potest esse eiusdem rei prout in vno statu cum se ipsa prout in alio; quia hæc conformitas nihil aliud est, quàm extrinseca denominatio cõformiter cogniti aduenies rei per cognitionem, qua res prout obiecta intellectui denominatur cognita sicuti est, & conformis quo ad repræsentationem passiuam, seu obiectiuam sibi ipsi prout est in se: est autem dicta conformitas nõ realis, sed rationis; quia à parte rei est nihil formaliter quousque intellectus reflexa cognitione cognoscat, rem esse cognitam sicuti est, & eam prout est obiectiuè in intellectu, comparet ad se ipsam prout est in se; quia à parte rei ante hanc reflexam cognitionem, nihil aliud reperitur, quam cognitio, & ipsa res cognita.

Ad confirmationem respondemus, voces esse secundario veras, non quia conformantur rebus significatis per illas, sed quia voces significant conceptus obiectiuos, in quibus primario reperitur veritas. Vnde ad confirmationem in forma negandũ est antecedens.

DIFFICVLTAS III.

Quo pacto veritas sit in rebus extra intellectum?

SVpponimus, in quo omnes cõueniunt, res ipsas etiam prout sunt extra intellectum appellari veras (ac proinde in eis extra intellectum veritatem aliquomodo reperiri) aurum enim appellamus verum, & Deum appellamus verum, & sic de alijs rebus: est tamen difficultas, quo pacto in eis veritas reperiatur?

Ferrar. 1. contra gentes, quem plures sequuntur, docet, veritatem in omnibus rebus naturalibus, & artificialibus repertam esse relationem conformitatis earum cum idea intellectus, à quo tanquam à causa dependent, tanquam cum regula, & mensura: in naturalibus quidem esse conformitatem cum idea intellectus diuini, & in artificialibus cum idea existente in mente artificis: imò addit esse relationem realem, & intrinsecam. Sententia hæc probari videtur ex definitione veritatis, qua definitur, quòd sit conformatio intellectus, & rei; ergo sicut intellectus est verus; quia conformatur cum re extra existente, ita etiam res extra existens dicitur vera; quia est cõformis intellectui, à quo tanquam à causa media idea procedit: res ergo naturalis dicitur vera; quia est conformis ideę intellectus diuini, à quo solo per ideam procedit, & res artificialis, quia est conformis ideæ artificis in eo existenti.

Ca-

Capreolus in 1. distin. 19. quæst. 3. art. 1. & Soncinas 6. Metaphisicæ quæst. 17. docent, veritatem in rebus includere dictam relationem conformitatis cum dicta idea, & entitatem rei, cui coniungitur; discrepant tamen in explicando, qualis sit prædicta relatio; quia Capreolus existimat, esse rationis in Deo, & in creaturis esse realem.

Vtraque tamen dicta sententia Ferrar. videlicet, & Capreoli, & Soncinatis, quatenus asserit, res absque ordine ad iudicium intellectus esse, & dici veras ex eo quòd sint conformes ideæ secundum quam fiunt, nobis non probatur; quia res non dicuntur falsæ ex eo, quod sint difformes ideę, & ab ea tanquam à regula deficiant: ergo è contra non dicuntur veræ; quia sint ei conformes. Consequētia patet, antecedens autem probatur, in primis in rebus artificialibus, v.g. in domo deficiente ab idea, & arte; quia talis domus, aut ita fit, vt non habeat omnia, quibus essentialiter cōstare debebat, & tūc, secluso ordine ad iudicium, quo ratione alicuius apparientiæ possit iudicari domus, potius est non domus, quàm falsa domus, aut ita deficit, vt habens omnia essentialiter requisita: fit tamen minus perfecta, & polita, quàm ars, & idea postulabant, & tūc domus illa potius est imperfecta, & mala, quàm falsa; quia sicut integritas, & perfectio rei potius est bonitas illius, quàm veritas; ita defectus integritatis, & perfectionis, potius est malitia, quàm falsitas. Deinde in naturalibus non esse falsitatem ex eo, quòd dicto modo deficiant, probatur; quia si in aliquo, maximè in peccato: dictus autem defectus in peccato, secluso ordine ad iudicium potius est malitia, quàm falsitas. Addimus *secluso ordine ad iudicium*; quia quatenus solet esse occasio falsi iudicij, quo peccator iudicat, quòd in peccato inueniet plenum gaudium, & quòd eius appetitus in eo quiescet, peccatū dicitur falsum, non verò quia deficiat à regula rectæ rationis.

Deinde illud peculiare, quòd addunt Capreolus, & Soncinas; nempè veritatem formaliter etiam includere entitatem rei, quæ dicitur vera, etiam nobis displicet; quia veritas, vel est, vel concipitur vt affectio rei, quæ denominatur vera: ergo formaliter non includit ipsam rem, quanuis ipsum verum, quòd est cōcretum eam includat, vt subiectum, & materiale veritatis, sicut cōtingit in albo, & in alijs concretis.

Durandus ergo in 1. distin. 19. quæst. 5. quem sequitur Vazquez disp. 77. docet, & meritò, res extra intellectum nō alio modo esse veras, aut falsas, nisi quia sunt causæ, & occasio veri, aut falsi iudicij in intellectu, ac proinde tantum esse veras, aut falsas secundariè, & deriuatiue à veritatè, aut falsitate, quæ primario residet in conceptu

obiectiuo iudicij intellectus, quòd videtur docere Sanct. Thomas quæst. 16. art. 1. dum ait, verum primariè esse in intellectu, & inde in res ipsas deriuari.

Hæc nostra sententia, quanuis non sit leuiter probata impugnatione vtriusque dictæ sententiæ; quia præter modos ibi assignatos non superst alius modus, quos res sint, & dicantur veræ, nisi hic modus, quem nos assignamus, ex eo etiam conformari potest; quia nulla res dicitur falsa, nisi quatenus est causa obiectiua, vel occasio deceptionis, & falsi iudicij: ergo nõ est vera, nisi quatenus est causa, vel occasio veri iudicij. Consequentia patet, antecedens autem probatur; quia nullum, v. g. aurum quantumuis imperfectum, dicitur falsum aurum, nisi illud, quòd verè non est aurum, apparet tamen aurũ, ex eo ergo solum dicitur falsum; quia est causa deceptionis, & iudicij, quo falsè iudicatur aurum.

Veritas ergo, & falsitas primariè sunt in iudicio intellectus, non formaliter in ipso iudicio, sed obiectiuè in ipso videlicet conceptu obiectiuo iudicij, qui ex eo est verus; quia quoad repræsentationem passiuam, est conformis rei prout est in se extra ipsum iudicium, & ex eo est falsus, quia est ei difformis: in omnibus verò alijs, quæ dicuntur vera, aut falsa, solùm sunt secundariè, & per deriuationem à veritate, aut falsitate formali conceptus obiectiui ipsius iudicij, in vocibus quidem; quia sunt signa ad placitum dicti conceptus obiectiui, & in iudicio formali; quia est signum naturale ipsius conceptus obiectiui, sicut vrina dicitur sana secundariè, & deriuatiuè à sanitate animalis; quia est signum illius, & in ipsis rebus, etiam reperiuntur, & deriuatiuè à veritate, & falsitate conceptus obiectiui iudicij; quia sunt causa obiectiua, & occasio veritatis, & falsitatis conceptus obiectiui iudicij, sicut medicina dicitur sana; quia est causa sanitatis animalis, veritas autem sic conueniens rebus dicitur veritas in essendo, quia res suo esse sunt causa obiectiua, & occasio dictæ veritatis intellectiuæ, & etiam dicitur transcendentalis; quia transcendit omnes res, seu in omnibus rebus reperitur.

Ad fundamentum ergo Ferrar. desumptum ex definitione veritatis, concedat definitionem veritatis, qua definitur, quòd sit conformatio intellectus, & rei non esse accipiendam ex parte rei, sed tantum ex parte intellectus: ita vt veritas solum sit conformatio intellectus cum re, non verò rei cum intellectu; quia vt diximus, in re tantum reperitur secundario per ordinem ad intellectum, non vt causam media idea, sed quatenus est occasio intellectui, vt verè iudicet.

Ex

Ex dictis deducitur primo, vnam tantum veritatem reperiri, quę primario reperitur in conceptu obiectiuo iudicij intellectus, & secundario in ipsa re, prout est in se extra ipsum iudicium, & in vocibus, & in ipso iudicio intellectus, & non est triplex veritas, vt solet dici, alia in essendo, alia in significando, & alia in cognoscendo; quia ab vna sola veritate intellectiua, quæ primario reperitur in dicto conceptu obiectiuo iudicij: illa plura dicuntur secundariè vera, quanuis diuerso modo, res in essendo, & in causando, voces in significando, & cognitiones iudicatiuæ in cognoscendo, sicut vna sola reperitur sanitas, quæ primario in animali residet, à qua vrina, & medicina dicuntur secundario sanare, vrina quia est signum sanitatis, & medicina quia est causa illius.

Secundo deducitur, veritatem in essendo, seu in causando, seu transcendentalem, quæ conuenit omni enti non esse propriè, & in rigore passionem entis, quia rebus, seu entibus tantum conuenit extrinseca denominatione; imò secundario deriuata à dicta veritate intellectus, dicitur tamen passio entis; quia est, aut concipitur quasi affectio entis, & cum eo reciprocatur, in quo cum passionibus conuenit, reciprocatur autem cum ente; quia quæcumque res semper est vera relata ad id, quod est; quia ad id relata semper est causa veri iudicij, non verò falsi, nisi relata ad id quod non est, plumbum enim, quanuis sit falsum argentum, est tamen verum plumbum.

Tertio deducitur axioma illud: *Verum est, obiectum adæquatum nostri intellectus*, verificari de verò causaliter, quòd est ens; quia omne, quòd intellectus cognoscit, & quacumque cognitione est ens, aut ad modum entis, non autem de vero formaliter, qualis est conceptus obiectiuus iudicij conformis quoad repræsentationem passiuam ipsi rei prout est in se; quia hoc verum non est obiectum tertiæ operationis intellectus, nec primæ, nec omnis secundę, quia non est obiectum dissensus, sed tantum assensus: imò non omnis assensus; quia aliquando intellectus assentitur falso: quia aliquando iudicat, prædicatum conuenire subiecto, quando non est ita: quia tamen quando assentitur existimat ita esse; ideò assensus dicitur esse verus, siue vere veri, siue tantum apparenter veri: quia ita se gerit circa falsum existimando esse verum, quòd si reflecteretur supra suum conceptum obiectiuum, iudicaret esse conformem rei, prout est in se, & ita conceptus ille obiectiuus, est fundamentum, vt intellectus fingat veritatem, & ad eundem modum obiectum dissensus est falsum, siue verè falsum, siue tantum apparenter falsum.

Ita tamen verum formaliter, seu intellectiuum est obiectum assensus, & falsum dissensus, vt veritas non sit ratio formalis obiectiua, seu moriua assensus, nec falsitas dissensus; quia nulla cognitio habet obiectum formale, seu motiuum, nisi actus fidei, vt diximus tractatu de fide, disput. 1. in initio: sunt tamen veritas. & falsitas formalis, quædam quasi conditiones consequentes assensum, & dissensum; quia sunt quædam extrinsecæ denominationes conuenientes rei iudicatæ ex ipso assensu, & dissensu iudicij. Vnde veritas, & falsitas formales respectu intellectus non se habent sicut bonitas; & malitia respectu voluntatis; quia bonitas rei, est ratio formalis, seu moriua respectu amoris, & malitia respectu odij: sed veritas formalis se habet sicut amabilitas respectu voluntatis, & verum sicut amabile. & falsitas sicut odibilitas respectu voluntatis, & falsum sicut odibile.

Obseruandum est primo, Deum non solum esse primam, & infinitam veritatem in essendo, seu transcendentalem; quia in Deo est prima, & infinita aptitudo, vt ipse obiectiuè cadat verum iudicium sui, quo Deus iudicatur Deus omnium, & ob id dicitur verus Deus ad differentiam eorum, quos gentiles colunt, tanquam Deos, qui dicuntur falsi, quia ab eis iudicantur dij, & nō sunt dij, sed etiam Deum esse primam, & infinitam veritatem in cognoscendo; quia ipse, seu in ipso est infinita sapientia, qua infinitè iudicatiuè cognoscit se ipsum, & omnem creaturam, vt in se sunt, & etiam esse infinitam veritatem in significando, seu in dicendo; quia dictio, qua Deus aliquid dicit, & significat, est omnino, & infinitè vera, & etiam esse infinitam veritatem formalem, seu intellectiuam prout iudicatiuè cognitum à se ipso, prout in se est; quia Deus vt obiectiuè existens in suo iudicio, est infinitè conformis quoad repræsentationem passiuam, sibi ipsi prout est in se.

Obseruandum est secundo non solùm veritatem primam transcendentalem, quę est ipse Deus, esse æternam, sed etiam veritatem secundam transcendentalem, quæ est quæcumque creatura; quia quanuis creatura non existat ab æterno, est tamen ab æterno futura, aut saltem possibilis, ac proinde ab æterno est potens causare verum iudicium sui in intellectu adhuc creato, si fuisset ab æterno, ac proinde etiam esse immutabilem; quia quæ semel, & ab æterno est veritas, semper est veritas; veritatem verò formalem rei creatæ, quæ ipsi conuenit, vt iudicatæ, sicuti est in se etiam esse æternam, seu ab æterno respectu intellectus diuini; quia Deus ab æterno iudicat, quamcumque creaturam, vt in se est, & non esse æternam, seu ab æterno respectu intellectus creati, nō ex defectu

sui,

sui, sed ex defectu intellectus creati; quia nullus est ab æterno, esset tamē æterna respectu illius, si ab æterno esset, vt potuit de potentia Dei absoluta.

Circa falsitatem nihil peculiare dicimus; quia est positiue contraria veritati, & quia contrariorum eadem est ratio cōmunis, ideò quæ dicta sunt de veritate proportionabiliter sunt accomodanda falsitati. Vnde vna sola falsitas propria reperitur, & hæc primario in conceptu obiectiuo iudicij, quo iudicatur de re aliter, quàm in se est, & ab ea falsitate, voces, seu propositiones vocales dicuntur secūdario falsę in significando, & iudicia etiam dicuntur secundario falsa in cognoscendo, seu in repræsentando, & ipsæ res falso iudicatæ dicuntur secundario falsę, secundum quid, seu in causando; quia ratione alicuius circunstantiæ, aut accidentis apparent esse quod nō sunt, & sic iudicantur aliter, quàm in se sunt.

TRACTATVS

DE VOLVNTATE DEI.

DISPVTATIO PRIMA.

De existentia, & natura voluntatis Dei.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm in Deo sit actus voluntatis?

SVpponimus, in quo omnes conueniunt, in Deo esse volūtatem, quòd vt sic, est fide diuina certum, vt cōstat ex illo ad Ephes. 1 *Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ*. Et etiam est lumine naturali notum; quia volūtas est perfectio simpliciter simplex, seu perfectio nullam includens imperfectionem, vt patet: ergo non est deneganda Deo, qui vt lumine naturali constat est summè, & infinitè perfectus.

Hoc suppositio, difficultas est primo, an in Deo sit actus voluntatis. Circa hanc difficultatem omnes conueniunt, in Deo esse vo-

luntatem ſumptam pro actu amoris, & odij, & id eſt fide diuina certum, & lumine naturali euidens. Et in primis id eſt de fide, vt conſtat ex illo, Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit*, & ex illo, Sapient. 11. *Diligit omnia, quæ ſunt*, & ex illo, Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Deinde quòd id ſit lumine naturali euidens, conſtat; quia volitio actualis, tam amoris, quàm odij eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſeu nullam dicens imperfectionem, vt patet: ergo non eſt deneganda Deo, qui eſt ſummè, & infinitè perfectus.

Actum autem volitionis diuinæ non eſſe noſtro modo concipiendi conſtitutiuum eſſentiæ diuinæ eadem ratione dicendum eſt, qua tractatu de ſcientia Dei, diſput. 1. difficult. 6. id diximus de intellectione diuina; quia ſcilicet eſſentia diuina ſita eſt in ratione intellectiuæ, quę eſt prima, & perfectiſsima omnium rationum, quæ in Deo reperiuntur: volitio autem diuina; imò & ratio volitiui, eſt extra eam rationem intellectiui eam noſtro modo concipiendi, ſupponẽs non minus, quàm intellectio eſſentialis: imò volitio ſupponit intellectionem, & volitiuum ſupponit intellectiuum: volitio ergo diuina noſtro modo concipiendi eſt ſuper addita eſſentiæ diuinæ, ſitæ in dicta ratione intellectiuæ, & eſt attributum ſicut reliqua attributa, in quæ nullam habet actiuitatem eſſentia diuina.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm in Deo ſit voluntas ſumpta pro potentia volitionis actualis?

NOmine volitionis actualis non intelligimus notionalem, quæ eſt productio Spiritus ſancti, & dicitur ſpiratio actiua, & ſolis Patri, & Filio conueniens; quia an in Deo, ad hanc volitionem ſit facultas, ſeu potentia ſtrictè ſumpta dicemus tractatu de Trinitate; ſed intelligimus eſſentialem, quæ in Deo non eſt productio, & conuenit omnibus tribus perſonis diuinis.

Circa hanc difficultatem ſupponimus, ratione noſtra poſſe in Deo concipi potentiam voluntatis, productiuam volitionis eſſentialis, non minus; imò melius, quàm ratione noſtra in Deo concipimus corporeitatem, dum Deum inſtar noſtri concipimus corporeum.

Hoc ergo ſuppoſito, difficultas eſt: an potentia voluntatis, quæ à nobis concipitur in Deo per modum actus primi, ſit in Deo verè, & re ipſa, an tantum fictione noſtra, ſicut in eo reperitur corporeitas; no-

nomine autem potentiæ voluntatis intelligimus principium quasi physicum volendi, quòd correspondet principio, quòd in nobis est causa productiua volitionis. Durandus in 1. distin. 35. quæst. 1. Bonauentura dist. 45. quæst. 1. Alensis 1. par. quæst. 19. Granado 1. par. controuers. 3. disp. 1. & Alarcon disp. 1. cap. 1. docent, in Deo verè, & re ipsa esse voluntatem per modum potentiæ, & facultatis. Quòd signi ficari videtur 1. Petri 3. & ad Ephes. 1. illis verbis: *Secundum propositũ voluntatis suæ*, vbi actus propositi videtur in Deo distingui ab ipsa voluntate sumpta pro facultate. Et ratione probatur; quia Deus est potens velle, & habet vim ad volendum, aliàs non vellet: ergo re ipsa habet potentiam formaliter volitiuam.

Sanct. Thomas verò, quæst. 41. art. 1. Capreolus in 1. distin. 45. quæst. 1. art. 1. Albiz disput. 2. sect. 2. Gonçalez disput. 50. sect. 2. Herice disput. 12. Fasolus quæst. 19. art. 1. & Ruizius disput. 2. docent, in Deo verè, & re ipsa non esse voluntatem per modum potentiæ, seu facultatis volendi. Et meritò, quia in Deo verè, & re ipsa non est potentia productiua volitionis essentialis, vt patet; quia volitio essentialis non distinguitur re ipsa formaliter ab entitate diuina, nihil autem potest se ipsum, re ipsa formaliter producere. Quòd autem essentia diuina; quanuis distinguatur realiter virtualiter à volitione essentiali, non sufficiat, vt sit potentia ad ipsam volitionem, eodem modo explicandum est, ac tractatu de scientia, disput. 1. difficult. 4. explicuimus loquentes de essentia Dei in ordine ad intellectionem diuinam: ergo in Deo verè, & re ipsa non est voluntas essentialis per modum potentiæ.

Nomine ergo voluntatis diuinæ in duobus locis scripturæ adductis pro aduersarijs non intelligitur potentia, seu facultas productiua volitionis, sed tantùm essentia diuina, vt est radix diuinæ volitionis, ea proportione, qua tractatu de scientia, vbi suprà diximus, nomine intellectus diuini aliquando intelligi essentiam diuinam, vt radicẽ intellectionis essentialis, & nunquam intelligi intellectũ strictè sumptum pro facultate intelligendi.

Et ad rationem aduersariorum concedimus, Deũ esse potentẽ velle, seu habere vim ad volendũ non vim, seu potentiã physicam, neq; quasi physicam, qualis est facultas voluntatis, sed tantum logicam sumptam pro capacitate volendi; quia essentiæ diuinæ conuenit volitio, tanquam attributum, sicut ei conuenit omnipotentia, & quodlibet aliud attributum ea proportione, qua in ea diffic. 4. id diximus de vi, & potestate diuina ad intelligendum.

Quod si in Deo verè, & re ipsa non reperitur potentia voluntatis essentialis, neque in eo erit habitus ad volitionem essentialem;

quia habitus tantum ponitur ad seruiendum potentiæ voluntatis, vt eliciat volitionem. Et quanuis in Deo admitteretur potentia voluntatis, non esset admittẽdus habitus; quia habitus tantum ponitur in potentia ad eam facilitandam, vel ad eleuandam ad volitionem; potentia autem illa diuina, quanuis admitteretur ad neutrum eorũ, indigeret habitu.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm volitio Dei sit æterna, & immutabilis?

SVpponimus volitionem necessariam Dei, de qua dicemus disput. 3. difficult. 1. esse in Deo ab æterno, & in æternum, & omnino inuariabilem, v.g. volitionem, qua Deus in se ipso complacet, & qua complacet in creaturis possibilibus; quia volitio necessaria Dei, quo ad sibi intrinseca est ab æterno, & in æternum, & omnino inuariabilis, & dicta obiecta illius etiam sunt omnino inuariabilia; quia Deus, qui est vnum obiectum illius, est talis, & etiam creaturæ possibiles, quæ sunt alterum obiectum; sunt tales ab æterno scilicet, & in æternvm non subiectiuè, sed obiectiuè; quia scilicet ab æterno, & in æternum sunt obiecta quantum est ex ipsis factibilia, & nequeunt non esse talia. Et volitio, qua Deus necessario diligit iustũ, & odium, quo necessariò odio habet peccatorem sunt in Deo ab æterno, & in æternum, & immutabiliter, & in primis sunt ab æterno; quia ab æterno fuit eius dilectio necessario terminata ad iustũ pro tempore iustitiæ illius, qua ab æterno diligit illum ab ipso Deo cõsideratũ pro tẽpore iustitiæ illius, & eius odiũ fuit necessario terminatum ad peccatorem pro tempore status peccati, quo ab æterno odio habet illum consideratum à Deo pro tempore status peccati. Deinde ea dilectio, & odium, non solum sunt ab æterno, sed etiam sunt in æternum, quia v.g. dilectio Dei (& idem est de odio) post tempus iustitiæ, & gratiæ comparata, & terminata ad iustum pro tempore præterito, manet dilectio illius consideratì à Deo pro eo tempore præterito.

Vnde Deus eum, qui aliquando est iustus, ab æterno, & in æternum, diligit consideratum ab ipso Deo pro tempore iustitiæ illius, & peccator odio habetur ab æterno, & in æternum consideratus à Deo pro tempore peccati illius: & idẽ, qui modo est iustus, & postea peccator, aut è cõtra, ab æterno simul diligitur, & odio habetur, particula *simul* se tenente ex parte actuum amoris, & odij, non ex par-

parte perſonæ, quæ diligitur, & odio habetur : quia hęc pro diuerſis temporibus diligitur, & odio habetur: quia pro tempore iuſtitiæ diligitur, & non habetur odio, & pro tempore peccati odio habetur, & non diligitur. De quo legi poteſt Albiz diſp. 7. ſect. 2.

Hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt de volitione libera Dei, quale eſt omne deſiderium Dei, tàm efficax, quàm inefficax efficiendi aliquid, an ſcilicet ſit omnino æterna, & immutabilis, ſeu quod idē eſt: An quòd Deus ab ęterno non voluit liberè, poſsit ex tēpore liberè velle, & è contra: quòd ab æterno liberè voluit, poſsit ex tēpore liberè deſinere velle?

Ioannes Antonius Delphinus libr. de rerum euentu pagin. 23. exiſtimat, Deum id poſſe abſque imperfectione ſui; quia Deus poteſt de nouo velle ex eo ſolùm, quod ipſi adueniat nouus reſpectus extrinſecus ex re volita, quàm facit in tempore, & è contra potuit deſinere velle ex eo, quòd ex tempore deſinere eſſe nouus reſpectus extrinſecus ex re volita, quàm ab æterno feciſſet: quia volitio diuina ſolo extrinſeco reſpectu fit volitio creaturarum, qui poteſt in tempore ipſi aduenire, & potuit in tempore deſineret eſſe, ſicut Deus abſquè imperfectione fit in tempore Dominus creaturæ; quia ex creatura, quam facit in tempore, ei aduenit extrinſecus reſpectus. ratione cuius incipit eſſe Dominus illius, & in tempore deſineret eſſe Dominus creaturæ, quam ab æterno feciſſet, ſi eam in tempore deſtrueret: quia ſolo extrinſeco reſpectu fit Dominus creaturarum.

Reliqui tamen Doctores, docent voluntatem Dei eſſe ita æternam, & immutabilem, vt nequeat ex temporè liberè velle, quòd non voluit ab æterno, & è contra, non poſſe deſinere velle, quòd ab æterno liberè voluit, quouſq; operę compleatur, quod voluit, quòd etiam ſupponunt Patres, dum dicunt, Deum ab ęterno decreuiſſe, quæ paulatim facit in tempore.

Et non parum ſignificatur in Scriptura, Prouerbior. 19. *Voluntas Domini in æternum manet*, & infra: *Non eſt Deus quaſi homo, vt mutetur.*

Sed quanuis hęc noſtra ſentētia ſit conſtans, imo neceſſariò tenēda, difficile tamen eſt, eam firma ratione probare. S. Th. q. 19. art. 7. eam ſic probat, quia vt voluntas velit quod antea nō volebat, neceſſarium eſt, vel quòd diſpoſitio eius, qui de nouo vult, mutetur, vt ei incipat eſſe bonum, quòd antea non erat, vel quòd incipiat cognoſcere in obiecto, quod antea nō cognoſcebat. Deus autē nequit diſpoſitione aliqua variari, neq; in eo eſſe poteſt noua cognitio: ergo in Deo nequit eſſe noua volitio.

Hæc

Hæc tamen ratio, niſi amplius explicetur difficilis eſt; quia in Deo abſq; variatione in ſui diſpoſitione, & in cognitione obiecti potuerūt eſſe variæ volitiones; quia Deus ita ab æterno voluit facere creaturas, vt in eadem diſpoſitione, & cognitione exiſtēs potuerit ab æterno, nō velle eas facere: ergo niſi aliud obſtaret, poſſet in eadē diſpoſitione, & cognitione perſeuerans velle in tēpore, quòd nō voluit ab æterno, & deſinere velle quod ab æterno voluiſſet.

Alij rationē huius deſumunt ex immutabilitate Phyſica Dei; quia eo actu volitionis nouo habito ex tempore, & deſitione in tempore actus volitionis æternæ Deus Phyſicè mutaretur. Hęc tamen ratio maximè diſplicet: quia Deus ſola ſua eſſentia, nullo ei re ipſa ſuperaddito, liberè vult, & nullo ei re ipſa deficiente caret libera volitione: ergo quanuis in tempore inciperet velle, nihil ei de nouo re ipſa ſuperueniret, & quanuis in tempore deſineret velle, nihil ei re ipſa deficeret, quibus Phyſicè, & re ipſa mutaretur; quia ad ſummum ei ſuperueniret, & deficeret reſpectus rationis, quo non mutatur, ſicut neq; mutatur reſpectu Domini aduenientę, & deficientę.

Vazq. q. 19. art. 7. eam reddit rationem; quia ſcilicet reſpectus rationis, quo completur volitio libera Dei, non poteſt de nouo in tēpore incipere; ſed ſi eſt, debet eſſe ab æterno, ſicut & futuritio rei, ad quam terminatur, & in qua fundatur, nequit incipere in tempore; ſed debet eſſe ab æterno; quia ſi res futura eſt, ab æterno futura eſt.

Hæc tamen ratio præterquam, quod ſupponit volitionem liberam Dei compleri reſpectu illo rationis, quòd eſſe falſum dicemus diſp. 3. dif. 2. Adhuc eo admiſſo non concludit; quia gratis aſſumit, volitionem liberam Dei compleri reſpectu rationis, ad rem futurā: quia potius deberet compleri reſpectu rationis ad rem, vt præſentē. Sicut etiam contingit in reſpectu Domini, & creatoris, iraut Deus eſſet actualiter volēs, quando actualiter efficeret creaturas, & ab æterno ſi diceretur, quòd eſſet voliturus, ſicut res ab æterno, ſolū eſt futura, & nō præſens, ſicut effectus dicitur ab æterno, futurus etiam à cauſa creata, & à volitione creata, quę in tēpore incipit eſſe actu, quanuis etiam ab æterno ſit futura.

Deus ergo, vt optimè Suar. in Metaph. diſp. 30. ſect. 9. Mærat. diſp. 35. Faſolus q. 19. ar. 7. & Albiz diſp. 7. ſect. 2. nequit in tempore incipere velle liberè, & decernere, quod antea nō voluit, neq; poteſt deſinere velle, quod ſemel liberè voluit, & decreuit quouſq; opere compleatur ob ſuam omnimodam, & infinitam conſtantiam moralem: quia eſſet inconſtantia, & leuitas animi poſt plenam omnium conſiderationem, quam Deus ab æterno habet liberè velle, & decer-

ne-

nerè in tempore, quod ab æterno non decreuit, & voluit: & multo maior, si absq; noua consideratione, quæ in Deo esse nō potest, non perseueret in eo, quod semel decreuit quousque opere compleatur.

Et ob eandem diuinam constantiam, nequit in Deo de nouo incipere desiderium, inefficax liberum circa rem aliquam, quale est, quo desiderauit omnibus hominibus viatoribus gloriam, & ideò illud ab æterno habuit: neque potest absq; inconstantia, & leuitate ab eo desiderio desistere quousq; desinant esse viatores. Decretum ergo, seu volitio efficax in Deo efficiendi, rem fuit in ipso ab æterno ob rationem dictam, & durat vsq; ad tempus, in quo eam efficit, & non amplius, & decretum eam conseruandi, etiam fuit ab eterno ob rationem dictam, & durat, vel in eternum, si conseruatio duret in æternum qualiter durat conseruatio animæ rationalis, vel non durat in æternum: sed tantum vsque ad aliquod tempus, vsq; ad quod durat conseruatio rei decreta â Deo, qualiter durat conseruatio plātæ: in harū autem cessatione nulla est imperfectio: quia in ea nulla est mutatio in Deo: quia non est mutatio Physica: quia non cessat quo ad intrinsecum Dei: sed tantum quoad applicationem, seu terminationem ad effectionem, & cōseruationem, quòd in Deo nihil est, neq; in cessatione ab ea terminatione, seu applicatione est mutatio moralis: quia nulla est incō tantia, seu leuitas, quòd opere decreto, iam facto decretum nō amplius duret, neq; durare potest, si effectio, vel cōseruatio decreta non sit proroganda, vt supponimus.

Et idē suo modo contingit in desiderio inefficaci, quòd scilicèt sit ab æterno, & duret, vel in æternum, si aliquid desideret in eternum, vel nō duret in æternum, si id tātum desideret vsq; ad aliquod tēpus, quatiter viatoribus desiderat gloriam, dū scilicèt sunt viatores. Volitio ergo libera Dei, tàm efficax, quàm inefficax est immutabilis, & inuariabilis non solùm Physicè, sed etiam moraliter.

Ad fundamētum ergo oppositæ sententię respondemus, quòd quamis Deus absq; imperfectione mutationis physicæ saltem immediatæ posset de nouo incipere, aut desinere velle, non completo opere volito ob rationem dictam, non tamen absq; imperfectione inconstantiæ, & leuitatis, seu mutationis moralis, quæ Deo etiam repugnat.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm quidquid Deus vult efficere, velit ob aliquem finem?

SVpponimus, in quo omnes Doctores conueniunt, Deum nihil velle efficere ob aliquem finem, qui sit causa realis finalis illius volitionis; quia finis non est causa realis finalis, seu non exercet suam causalitatem realem, nisi quatenus desiderio, & volitione sui mouet ad volitionem mediorum, in Deo autem non est pluralitas realis volitionum; quia vnica, & indiuisibili vult finem, & media. Et quanuis finis exerceret veram causalitatem realem respectu volitionis nostræ, qua ipse à nobis immediatè appetitur, vt quidam falsò existimant, & reiecimus Tractat. de Beatitudine disp. 1. diffic. 6. non tamē posset respectu volitionis diuinæ; quia hìc actus volitionis nō efficitur, seu non elicitur realiter à voluntate diuina: quia est realiter indistinctus ab ipsa, finis autē nequit exercere suam causalitatē realem, nisi vbi est causa realiter efficiēs, seu eliciēs volitionem propter talem finem.

Est tamen difficultas: an possit assignari aliquid, quòd sit finis, ob quē Deus dicatur velle, aliquid efficere, quāuis verè non sit causa finalis, itavt Deus dicatur velle; vnum quia vult aliud absq; influxu aliquo causæ sola motione obiectiua.

Circa quam certum est, Deum esse sibi finem volendi efficere omnes creaturas, vt expressit Sanctus Thomas 1. contra Gent. capitul. 87. quia quanuis in Deo, non sint plures actus volitionis, quorum vnus possit realiter ab alio oriri; quia tamen omnia, quæ Deus sua voluntate operatur, ea operatur, & facit propter se ipsum iuxta illud, Prouerbior. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*; ideò optimè dicitur Deus omnia velle facere; quia vult, & diligit se, seu ex complacentia sui, vt finis, *cui*. Nonnulla vt finis *qui*, seu *cuius gratia*, & ferè omnia, vt media, vt statim dicemus. Vndè non solùm est verum, creaturas esse volitas à Deo, quia ipse à se ipso diligitur ob suam bonitatē, sed etiam ideo Deus voluit efficere creaturas; quia diligit se ipsum; quia vocis actiuæ, & vocis passiuæ eadem est significatio, & idem sensus.

Superst tamen controuersia: An Deus non solùm velit efficere creaturas propter se ipsum; tanquam propter finem *cui*, sed etiam vnam creaturam propter aliam; ita vt vna creatura sit Deo pa-

purus finis, seu motiuum finale volendi efficere aliam creaturam.

Henriqus Quodlib. 4. quæst. 19. Gabr. in 1. dist. 14. quæst. art. 2. Vazq. disp 82. cap. 2 Mæratius disp. 33. & Alarcon disp. 2. capit. 2. docent, vnam creaturam non esse Deo finem volendi efficere aliam, & in id inclinat S. Th q. 19. ar. 1. & 2.

Et ratione probatur; quia Deus nullam creaturam vult, & efficit nisi vt medium ordinatum ad se ipsum, vt ad finem; quia nihil operatur, nisi propter se ipsum: ergo Deo nulla creatura est finis, ob quem velit efficere aliam, nisi ipse solus.

Durandus in 1. di inct. 41. quæst. 2. Maior quæst. 1. Suarez 3. par. tomo 1. disput. 41. section. 4. Fasolus quæst. 19. ar. 5. Heric. disput. 18. & Ruyz disput. 15. sect 3. docent, inter creaturas vnam esse Deo finem volendi efficere aliam; quia Deus vult efficere, & efficit creaturas propter ostensionem suorum attributorum, quæ est verè creatura.

Pro huius tamen difficultatis (quæ non parum est de nomine) clariori resolutione, supponendum est 1. ex Aristo. 2 de Anima, cap. 4. finem qui vel est vera causa finalis realis, vel est purus finis, absq; influxu seu causalitate aliqua reali coalescere, seu integrari ex fine *cui*, & ex fine *qui*, seu *cuius gratia*: finis qui, seu cuius gratia est illud bonum cuius adipiscendi gratia agens operatur: finis verò *cui*, est subiectū, cui bonū illud concupiscit, ob quòd finis *cui*, est quasi pars principalior ipsius finis, & propter quē quasi appetitur finis *qui*, seu *cuius gratia*: ita tamē finis coalescit ex fine *cui*, & ex fine *cuius gratia*, vt neuter ametur, sine altero, neq; moueat ad volitionem mediorū, sine alterius: imò vterq; vnico, vt indiuisibili actu amoris ametur, adhuc à nobis qui prout respicit finem *cui*, vel ad eum terminatur, dicitur amor beneuolētiæ (si talis finis, sit capax amoris passiui beneuolētiæ) & prout respicit finē *cuius gratia* seu ad eum terminatur, dicitur amor concupiscentiæ.

Supponendum est secundo, quòd negari non potest Deum omnia creata, quę vult efficere, & efficere, velle efficuæ ex complacentia sui, seu propter se ipsum tanquam propter finem *cui*, & propter gloriam sui, seu ad causandum in nobis gloriam, seu claram notitiā cum laude sui, seu suorum attributorum; tanquam finē *qui*, seu *cuius gratia*, acquirendum per alia creata; tanquam per media, vt per beneficia vel per influctionem pœnæ, vel per impletionem promissionis ab ipso factæ, vel per alia creata: & ex his alia vult, tanquā media prima, & alia, tanquam media inter media: Deus ergo omnia creata, quæ vult efficere, & facit, vult efficere propter se ipsum, tan

quam

quam propter finē *cui*, & vult efficere, & facit aliqua creata, v.g. ostē siones suorum attributorum: tanquam finem *cuius gratia* sui, & vult efficere, & facit ferè omnia alia creata, tanquam media ad dictas, seu propter dictas ostēsiones suorum attributorū, ad eas scilicèt adquirēdas: & Deum non solùm ex complacētia sui; sed etiam ex complacētia creaturæ intellectualis, vt finis *cui* velle ei plures creaturas, vt auxilia gratiæ, & gratiam sanctificantē, & gloriam, seu beatitudinē formalem, & alias plures creaturas, quasdam vt finem *cuius gratia*, ipsius creaturæ intellectualis, vt gloriā, & alias, vt media ad acquisitionē finis *cuius gratia*: & ex his alia, vt media prima, nō immediata; sed mediata, vt auxilia gratiæ, & alia, vt media inter media, inter priora media, & inter finem *cuius gratia*, vt gratiam sanctificantem.

His ergo suppositis circa difficul. existimamus Deum velle efficere quasdam creaturas propter alias, tanquam propter finem purū, seu finale motiuum quasdam, tanquam media ob eas alias, tāquam ob finē *cuius gratia* earum, quæ appetuntur, vt media: & quasdam, tā quam fines, *cuius gratia* aliarum, vt finium *cui*; quia vt iam diximus, Deus ex complacentia creaturæ intellectualis, vt finis *cui*, vult ei aliquam, vel aliquas creaturas, vt finem cuius gratia, non finē vltimū, sicut, neque ipsa creatura intellectualis est finis *cui*. Vltimus volitionis diuinæ: quia ipse Deus est finis *cui*, vltimus ex cuius complacentia vult efficere, id quòd efficit ex complacentia creaturæ intellectualis, neque id quod efficit ex complacentia creaturę intellectualis est finis *cuius gratia*, vltimus Dei: quia id quòd Deus vult efficere ex complacentia creaturæ intellectualis, vult sic efficere ex complacentia sui: Vnde ipsa creatura intellectualis, ex cuius complacentia, vt finis *cui*, Deus efficit aliquid, & id quòd Deus efficit ex complacentia ipsius creaturæ intellectualis, etiam tanquam finem *cuius gratia*, ita sunt fines *cui*, & *cuius gratia*, respectu volitionis diuinæ: ergo creaturas intellectuales, vt etiam sint media Deo, ad id quod Deus vult ex complacentia sui: & quia non solùm finis vltimus, sed etiam medium inter medium habet rationem finis, non vltimi, vt contra nonnullos diximus Tractat. de Beatitudine disput. 1. diffic. 7. sicut etiam præmissæ, quę non sunt prima principia, etiam sunt principia conclusionis: ideo Deus volēs vnam creaturam propter aliam, dicitur illam vellè propter aliam, tanquam propter finē, licet non vltimum suę volitionis efficiendi illam.

Ex dictis constat priorem opinionem Hērici, & aliorum asserētium, Deum non velle vnam creaturam propter aliam, tanquam propter finem, esse veram, iuxta opinionem asserētium solùm finē, etiam

etiam in quolibèt negotio vltimum esse verum finem, & nõ media inter media, etiam si prima media volita sint propter inter media, seu gratia eorum ad ipsorum adeptionem, quòd placuit P. Vazq. & Montesi. posteriorem verò opinionem Durandi, & aliorum asserẽtium Deum velle, vnam creaturam propter aliam, tanquam propter finem esse veram, iuxta opinionem asserẽtium, etiam media intermedia esse verum finem respectu primorum mediorum volitorum, ob adeptionem intermediorum; & quia id nobis placuit vbi supra: ideò hæc posterior Durandi, nobis absolutè probatur, & placet.

Ad fundamentum prioris opinionis respondemus, quòd quanuis omnes creaturæ, comparentur ad Deum, vt ad finem *cui*; non tamen omnes comparantur, vt pura media, & aliquę nullatenus, vt media; quia sunt aliquæ, quæ comparantur, vt finis *cuius gratia* ad ipsum, vt ostensiones suorum attributorum, & aliquæ comparãtur, vt inter media, quæ vt diximus etiam habent rationẽ veri finis, quanuis non vltimi, de quo latius in suppositione 2.

Quæ sufficiunt, vt Deus dicatur velle, efficere vnam creaturam propter aliam, tanquam propter finem, quanuis purum à causalitate finali reali, sed ad summum nostro modo concipiendi.

Ex dictis deducimus rationem finaliter motiuam ob quã Deus vult creaturas, vt media ad prædictos fines esse, & bonitatem absolutam sui, ex cuius complacentia vult omnes, vt media, & etiam esse bonitatem absolutam creaturæ intellectualis, & bonitatem finis, cuius gratia, & respectu sui, & respectu creaturæ intellectualis, sunt autem finaliter motiuæ, non ad volitiones, quibus ipsi fines immediatè amantur; sed ad volitiones creaturarum, quæ amantur, vt media ad eos fines: ad volitiones verò, quibus ipsi fines immediatè amantur, non esse finaliter motiuam, sed tantùm esse extrinsicè formaliter motiuam, seu obiectum formale, sicut etiã vtilitas mediorum est obiectiuè formaliter motiua, seu obiectum formale ad electionem ipsorum mediorum iuxta ea, quæ diximus Tractatu de Beatitudine disput. 1. difficul. 6.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA.

De obiecto voluntatis Dei.

DIFFICVLTAS I.

Quòd sit obiectum formale voluntatis diuinæ.

NON Quærimus nunc de obiecto finaliter motiuo voluntatis diuinæ; quia de hoc quod sit, difficult. præcedente diximus, sed de obiecto formali, seu motiuo formali, qualis est vtilitas medij respectu nostræ electionis, & bonitas finis respectu nostræ intentionis.

Circa hanc ergo difficultatem iuxta ea, quę diximus Tractat. de Actibus disp. 3. à difficul. 1. existimamus obiectum formale, seu formaliter motiuum actus prosequutionis, voluntatis, tàm diuinæ, quàm creatæ, regulariter esse bonitatem rei, quæ amatur; & obiectum formale, seu formaliter motiuum actus fugę, regulariter esse malitiam rei, quæ fugitur, seu odio habetur, vt in nobis experientia constat.

Addidimus *regulariter*; quia aliquando obiectum formale actus prosequutionis, est malitia rei, quæ amatur, & obiectum formale actus fugæ est bonitas rei, quę fugitur, vt contingit in actu odij, quo Deus, & nos actu prosequutionis volumus inimico malum, vt malum illius est. Et quo actu fugæ ei nollumus bonum, vt bonum illius est: & in nobis id, non solùm est verum respectu volitionis, & nolitionis respectu alterius personæ: sed etiam respectu nostri, vt contingit in verè pœnitente, qui quatenus se considerat, vt offensorem Dei, quem amore amicitiæ sibi præfert, vult sibi malũ, vt sibi malũ est, & fugit sibi bonum, vt sibi bonũ ex displicẽtia sui, vt inimici Dei quem habet pro amico sibi præfato.

Ita tamen ex odio inimicitiæ placet Deo, & nobis malum inimici, vt malum illius est, & displicet bonum inimici, vt bonum illius est: & nobis ita displicet bonum nostrum, & placet malum nostrum, vt quanuis malitia sit formale motiuum illius actus prosequutionis, & bonitas sit formale motiuum illius actus fugæ, oriatur tamen in nobis realiter & in Deo ratione nostra, actus ille prosequutionis mali, vt mali, & actus ille fugæ boni, vt boni, ex alio priori

actu

actu prosequutionis, quo Deus se ipsum, aut suum amicum diligit, & quo nos, nos metipsos, aut amicum nostrum diligimus: quia malum illud inimici est, quommodo Deo, aut suo amico, & nobis, aut amico nostro bonum, & bonum illud inimici est, quodammodo malum, vnde voluntatis, tàm diuinæ, quàm creatæ bonitas semper est formale motiuum actus prosequutionis, proximum, aut remotum, & malitia semper est motiuum formale proximum, aut remutum actus fugæ, seu nolitionis.

Respectu autem actus volitionis, qua Deus se diligit amore beneuolentiæ, vt aduertit Granadus Tractatu primo, disp 3. sua bonitas transcendentalis coalescens, ex omnibus suis rationibus intrinsecis, tàm absolutis, quàm relatiuis est obiectum formale, ea proportione, qua Tractatu de Charitate disput. 3. diffic. 1. diximus eam diuinam bonitatem esse motiuum formale, actus beneuolentiæ, quo nos Deum diligimus, & non est sua bonitas relatiua, qua est nobis conueniens, & beneficus, neque honestas, seu bonitas moralis, qua est bonus suis actibus, ea proportione, qua istæ bonitates non sunt obiectum formale actus beneuolētiæ, quo nos Deum diligimus amore beneuolentiæ.

Actus ergo prosequutionis, quo Deus se diligit, prout est beneuolentiæ, habet pro obiecto formali bonitatem transcendentalem ipsius Dei. Et prout est concupiscentiæ habet pro obiecto formali bonitatem rei, quam sibi concupiscit. Verbi gratia, bonitatem ostentionis suorum attributorum: & actus prosequutionis, quo diligit creaturas intellectuales, prout est beneuolentiæ, ergo illa est bonitas creaturæ, aut transcendentalis ipsius creaturæ, aut super naturalis, vt sanctitas creaturæ, & prout est concupiscentię habet, pro obiecto formali bonitatem rei, concupitæ ipsi creaturæ, & actus fugæ, quo Deus odio habet creaturas rationales, prout est maleuolentiæ erga illas, habet pro obiecto formali malitiam creaturæ, odio habitæ, & prout habet rationem fugę. Oppositæ concupiscentiæ habet pro obiecto formali bonitatem boni noliti illi, & actus volitionis Dei, qui est prosequutionis ipsius, & fuga mali, sibi noliti, obiectum formalę illius prout est prosequutionis, seu beneuolentiæ ipsius Dei, est dicta bonitas diuina, & prout est fuga mali, sibi noliti est malitia illius: & actus volitionis Dei, qui est fuga respectu creaturæ intellectualis, & prosequutio obiecti ipsi voliti, obiectum formale ipsius, vt est fuga, est malitia creaturæ intellectualis, & obiectum formale illius, vt est prosequutio obiecti, est malitia ipsius obiecti.

Et actus volitionis diuinæ, qui est prosequutio creaturæ intellectualis, & est fuga obiecti, obiectum formale illius, prout est prosequutio, est dicta bonitas creaturæ intellectualis, & obiectum formale illius, vt est fuga obiecti, est malitia ipsius obiecti, ea proportione, qua de actibus nostræ voluntatis diximus in ea disp. 3. dif. 1.

DIFFICVLTAS II.

Quòd sit obiectum materiale voluntatis Dei.

SVpponimus primò, in quo DD. conueniunt Deum esse obiectũ materiale sui amoris, & volitionis, seu se ipsum velle, & diligere; quia ex vna parte, Deus est summè, & infinitè bonus, & ex altera est summè infinitè appetitiuus, seu volitiuus: ergo se ipsum summè & infinitè diligit. Deus autem, ita se ipsum diligit, vt sit obiectum materiale primarium, & principalissimum suæ voluntatis: primarium, quia in ipso est bonitas prima, à qua omnes aliæ depẽdent, & ideò nostro modo concipiendi, est id, quòd primo se affert suę voluntati, & est principalissimum; quia in ipso est bonitas omiũ maxima, vt potè summa, & infinita.

Supponimus secundò, in quo etiam DD. conueniunt, creaturas in aliqua temporis differẽtia existentes, esse obiectum materiale sui amoris, & volitionis, seu Deum ea velle, & diligere: quòd est fide diuina certum, vt constat ex illo Ps. 113. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Et ex illo Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt*: & ex eo, quòd ibidem subditur. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Et id ratione, probatur primo à posteriori; quia Deus sua voluntate operatur. *Omnia enim quæcumque voluit fecit.* Ergo vult omnia, quæ aliquando existunt, & facit. Secundò probatur à priori; quia creaturæ aliquando existentes sunt bonæ, & amabiles. *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Ergo Deus potest ea velle, & diligere. Deus autem vult creaturas existentes, non solùm volitione inefficaci, eis inefficaciter desiderando aliqua bona, & gaudendo de earum existentia, & de alijs bonis earum; sed etiam volitione efficaci decernendo, eas producere, & conseruare, & eis alia bona conferre.

His suppositis supereſt cõtrouersia, an Deus velit, & amet creaturas purè possibiles; & nõ procedit de illis secundũ esse eminẽtiale, quod habent in Deo, qua vt sic non sunt creaturę; sed sunt ipse Deus, ac proinde, vt sic diliguntur dilectione, qua se ipsum diligit;

sed

ſed procedit de creaturis poſsibilibus, ſecundū eſſe proprium reale poſsibile ipſarū, quòd obijcitur intellectui diuino, an ſcilicet eas diligat, & amet, ſicut eas cognoſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Alex. 1. p. q. 34. num. 4. Bonauen. in 1. d. 45. art. 1. Gonz. diſp. 52. Alb diſput. 5. ſect. 4. & alij plures docēt Deum, nō amare creaturas purè poſsibiles. In quòd inclinat S. Th. q. 19. ar. 3. & 6. Et 1. contra Gent. c. 181. & id ſignificari videtur in illo Pſ. 113. *Omnia quæcūque voluit fecit.* Ergo cū, nec fecerit, nec facturus ſit purè poſsibilia, nō ea voluit, & ratione poteſt probari; quia nulla volūtas poteſt ferri affectu proſequutionis, niſi in bonū; ſed creaturæ purè poſsibiles, ſeu nunquam futuræ, non ſunt bonæ; quia nulli ſunt conuenientes, & ſanè ſi eſſent bonæ, eſſent tales per ſuam eſſentiam: quia non habent exiſtentiam; ſed tantum eſſentiam, eſſe autem bonum per eſſentiam ſoli Deo conuenit.

Scotus verò in 3. diſtinct. 32. quęſt. vnica, Vazquez diſput. 24. & 79. cap. 2. Herice diſput. 18. capit. 1. Faſolus quæſt. 19. art. 2. & 3. Ruiz diſput. 6. ſection. 2. Mæratius diſput. 31. & Alarcon diſp. 3. c. 3. docent, Deum velle, & amare creaturas purè poſsibiles, & merito; quia res poſsibiles, quanuis nunquam futuræ, ſunt re ipſa bonæ. Ergo poſſunt à Deo affectu, ſaltem inefficaci proſequutionis amari. Conſequentia patet, antecedens autem probatur; quia res purè poſsibiles, ſunt vera entia realia, quanuis poſsibilia: Ergo re ipſa ſunt bonæ; quia omne ens reale eſt bonum. Et confirmatur idem antecedens. Primò; quia bonitas rei, idem eſt, quod integritas: ſed res purè poſsibilis eſt integra, aut ſe ipſa, ſi ſit ſimplex, aut ſuis partibus, ſi ſit compoſita. Ergo eſt bona: & confirmatur ſecundo: quia res ſunt bonæ ſua exiſtentia: ergo & ſua eſſentia; quia exiſtentia eſt idem omnino cum eſſentia: ſed rebus poſsibilibus conuenit eſſentia; Ergo & exiſtentia, quanuis non actualis; ſed poſsibilis: Ergo & bonitas, quæ quaſi paſsio conuenit exiſtentiæ, & eſſentiæ.

Verum eſt, quòd ſicut rebus purè poſsibilibus, non conuenit eſſentia, & exiſtentia, niſi ſub eſſe poſsibili; quia non ſunt aliquid quaſi ſubiectiuè in rerum natura, exiſtens cui conueniat poſsibilitas; ſed tantùm ſunt obiectiuè: quia ſunt obiecta Diuinæ Omnipotentię: quia ab ea fieri poſſunt. Ita etiam non conuenit illis bonitas, niſi ſub eſſe poſsibili: quia tamen à Deo actu cognoſcuntur, & ita ei obijciuntur, ac ſi eſſent actu præſentes, & exiſtentes; ideò poſſunt à Deo actu diligi, & amari, ac ſi eſſent actu præſentes, & exiſtentes: quia illud idē omnino eſſe, quod haberent, ſi actu producerentur, eſt poſsibile, & obijcitur intellectui diuino: poſſunt

autem à Deo amari affectu gaudij de eis gaudendo, & sibi ipsi; tanquam fini *cui*; quia sibi sunt vtiles, nempè ad ostensionem suæ Omnipotentiæ, cuius sunt obiecta, & etiam ipsis met, gaudendo quod sint possibiles, & etiam affectu desiderij inefficacis, eis desiderando inefficaciter existentiam.

Illud ergo Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*, pro aduersarijs adductum intelligendum est de volitione efficaci, qua voluit aliquid facere: quia loquendo de hac verum est, quod fecit omnia, quæ voluit facere; quia eius voluntate efficaci nullus resistere potest. Et de eadem voluntate efficaci potest explicari Sanctus Thomas, quando insinuat creaturas nunquam futuras, non diligi à Deo: quòd non tollit posse diligi à Deo affectu, inefficaci prosequutionis.

Et ad rationem aduersariorum respondemus, concedendo voluntatem, non posse ferri affectu prosequutionis, nisi in bonum: negamus tamen creaturas purè possibiles, non esse bonas. Et ad priorem probationem negamus nulli esse conuenientes: quia verè sunt vtiles, & conuenientes Deo ad ostensionem suæ Omnipotentię; & quanuis, vt purè possibiles nulli essent conuenientes, & consequenter, vt sic non essent bonæ bonitate relatiua: essent tamen bonitate absoluta, seu transcendentali: quia etiam, vt sic sunt integrę, & perfectæ, & consequenter bonæ bonitate absoluta, & ita possunt amari, amore prosequutionis inefficaci, tàm desiderij, quàm gaudij.

Et ad posteriorem probationem respondemus, creaturas purè possibiles sua essentia, esse bonas bonitate possibili, sicut sua essentia sunt entia possibilia, & eadem essentia, si actualiter produceretur, essent bonæ bonitate actuali, aliter tamen quam Deus; quia Deo ex vi suæ entitatis, & non aliunde conuenit bonitas absoluta, actualis, sicut etiam existentia, & reliqua attributa: & ideò ei repugnat non esse actualiter bonum: creaturæ verò, quanuis necessariò sint bonæ bonitate possibili, non tamen actuali: & quia possunt non produci; & quia postquam productè sunt, possunt destrui, & anihilari.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Deus positiuè velit non esse actuale rerum, quas non est productus?

SVpponimus in quo omnes conueniunt, Deum positiuè velle esse rem, quem futura est; quia sua volitione est causa esse actualis cuiuscumque rei.

Est tamen difficultas, an etiam positiuè velit non esse rē, quæ non est futura, ita vt sicut quādo aliquem præuenit suo auxilio, vult eum præuenire, etiam quando non præuenit, velit non præuenire.

Ferrara primo contra Gentes, cap. 81. & alij docent Deum, circa non esse actuale rerum possibilium, quas nunquam productus est, nullum habere actum positiuum, quo velit tale non esse carum: quia in eo non esse actuali rerum, nulla est ratio boni, in quod voluntas Dei possit positiuè ferri: quia bonum est passio entis ei soli conueniens.

Scotus verò in 1. dist. 43. q. 1. Vazq. disp. 79. Heric. dist. 19. c. 5. Meratius disp. 31. sect. 1. Ruyz disp. 8. sect. 3. & Alarcon disp. 3. cap. 5 docent voluntatem Dei positiuè velle, non esse actuale rerū, quas non est futurus.

Nos tamen existimamus, hanc posteriorem sententiam esse veram, quoad affectum inefficacem, & priorem tantum, quoad affectum efficacem. Et in primis, quòd Deus affectu inefficaci, tàm desiderij, quàm gaudij possit ferri in quolibet, non esse actuale rei: probatur; quia in quolibet non esse actuali rei, reperitur aliqua ratio boni congruentis, pertinentis, vel ad iustitiam punitiuam Dei, vel ad eius misericordiam, vel ad benevolentiam erga creaturas, vel ad fidelitatem, vel ad aliud attributum Dei: ergo voluntas Dei ferri potest positiuè in tale, non esse actuale sub ea ratione boni affectu inefficaci, vel desiderij in perseuerantiam illius, non esse, vel gaudij, vel amoris in eius quasi existētiam, sed an de facto feratur, dicemus disp. 3. dif. 1.

Vnde ad fundamentum prioris opinionis respondemus, quòd quanuis in non esse actuali rerum, non reperiatur bonitas, quæ est passio entis, & sita est in integritate rei: reperitur tamē ratio boni, aut honesti, aut delectabilis aut vtilis, imo etiam omnium horum trium simul, ratione cuius Deus potest in eo complacere; quia adest, aut desiderare, quod perseueret.

Deinde quod Deus affectu efficaci, non feratur in non esse actuale rerum numquam futurarum, probatur; quia ad non esse actuale rerum, seu ad eas non producendas, non est necessarium in Deo decretum, quo efficaciter decernat, non producere illas; quia ad eas non producendas sufficit, quòd non habeat decretum, seu voluntatem efficacem producendi illas: quia absque hac voluntate efficaci, produci non possunt: ergo non est in Deo admittenda, vt pote superflua: imò videtur Deo impossibilis, & nõ solũ; quia est superflua; sed etiam, quia tali voluntati efficaci deficit obiectũ; quia non est quid ea fieri possit; quia illud non esse actuale, nõ fit, sed potius res est, quæ non fit.

Ad hoc autem, quòd Deus intendat aliquem finem oriundum, ex non esse actuali rei, vt sæpè intendit sufficit carentia voluntatis efficacis producendi rem, ex cuius non esse actuali, oritur finis intentus, vt quando Deus non confert alicui peculiarem lucem in operando, vt cognoscat non à se ipso, sed à Deo illam habere; tunc ad intentionem dictæ cognitionis sufficit, quod in Deo non sit voluntas efficax dandi illam peculiarem lucem; quia non existente ea voluntate efficaci, ponitur ipsum medium vtile ad finem intentum, & ad summum requiritur affectus inefficax, quo Deus, aut desideret carentiam peculiaris luces, aut in ea complaceat, & non requiritur affectus efficax.

Addimus, quòd quanuis Deus posset affectu efficaci ferri, in quod libet non esse actuale rerum, non possemus cum fundamento absq; diuina reuelatione affirmare, quod de facto, sic feratur in illud: quia ex vna parte Deum de facto ferri, eo affectu, aut non ferri, penderet, ex sua libertate, & ex altera, ipsum, non esse actuale, non sufficeret ad id affirmandum; quia res eodem modo esset, non futura sola negatione dicti affectus efficacis faciendi illam, absque affectu, seu decreto positiuo, non faciendi illam, ac si esset decretum positiuum illam non faciendi.

Et ob rationes dictas existimamus Deum, circa non esse rerum, quæ existunt, vel extiterunt, non ferri affectu efficaci: quia absque tali affectu possunt destrui, sola cessatione affectus efficacis, quo eas conseruat, vel conseruabat: ferri tamen posse, circa illud affectu inefficaci, vel desiderij, antequam illud non esse adsit, vel gaudij, vel amoris, quando iam adsit; quia in eo non esse reperitur aliqua ratio boni proportionati ad dictos affectus inefficaces.

Cætera autem, quæ dicta sunt de carentia affectus efficacis, & de affectu inefficaci, circa non esse actuale rerum, nunquam futura-

rum

rum ſua proportione ſunt accommodanda carentiæ affectus efficacis, & affectui inefficaci, circa non eſſe actuale rerum, quæ exiſtunt, aut extiterunt.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Deus velit mala affectu proſequutionis?

SVpponimus mala eſſe in triplici differẽtia; quia alia ſunt mala naturæ, vt calor ipſi aquæ, & ægritudo homini, & alia ſunt mala pœnæ, vt punitio: & alia ſunt mala culpæ, vt peccata.

Hoc ſuppoſito conueniunt DD. Deum nullum malum poſſe velle, actu proſequutionis, niſi vt eſt aliqua ratione bonũ, ſiue actu proſequutionis, ratione noſtra eodẽ, ſiue ratione noſtra diſtincto, & priore, ex quo proſequutio illa mali, vt mali oriatur, iuxta ea, quæ diximus diſp. 1. dif. 4. quia ſolùm bonum eſt omnino appetibile affectu proſequutionis.

Eſt tamẽ difficultas, an Deus poſsit velle affectu proſequutionis quodcunq; malum, vt eſt aliqua ratione bonum, ſaltem radicaliter.

Circa quã cõueniunt primo DD. Deum velle omnia mala poſsitiua naturæ; quia ex vna parte non ſunt mala culpæ, & ex alia ſunt Phyſicè bona. Poſſe etiam velle malum conſiſtens in non eſſe actuali affectu inefficaci, & non poſſe efficaci diximus difficul. præcedenti.

Conueniunt ſecundò, Deum etiam poſſe velle mala pœnæ, vt conſtat ex illo Deuth. 32. *Congregabo ſuper eos mala*. Et ex illo Hierem. 6. *Ego adducam mala ſuper populum iſtum*. Et ratione probatur; quia ex vna parte malum pœnæ, vt ſic, non eſt malum culpæ, & ex altera eſt bonum Phyſicè, quando eſt poſsitiuum, vt aduſtio, & etiam eſt honeſtum: quia ſaltem eſt actus iuſtitiæ punitiuę, & quando eſt negatiuum, vt deſtructio, ſaltem eſt bonum honeſtum, pertinens ad dictam iuſtitiam.

Eſt tamen difficultas an Deus velit malum culpæ, ſeu peccatũ, vt peccatum, id eſt, malitiam ipſam: quia Deum velle actum peccati: imò efficaciter negari non poteſt: quia ad ipſum cõcurrit. Quod autem quanuis ad ipſum concurrat, non concurrat ad malitiam moralem, ſeu culpam ipſam, dicimus Tract. de peccatis diſp. 6 dif. 4.

Circa difficultatem non defuerunt hæretici, qui affirmauerint Deum etiam velle malitiã ipſam moralem, vt eſt bona, v g. vt eſt vtilis ad pœnitentiam, & ad humilitatem ipſius peccantis.

Catholici tamen constanter affirmant Deum non posse velle peccatum, vt peccatum formaliter, seu malitiam ipsam. Ita S. Th. q 19. ar. 9. Mæratius in eo art. dub. 3. Ruyz. disp. 26. sect. 1. & Alarcon disp. 3. cap. 6. quòd satis significatur Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Sapien. 4. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Et definitum videtur in Concilio Arausicano cap. 23. & in Triden. sess. 6. cap. 6. & ratione constat: quia Deus nequit approbare, neque desiderare, & multo minus efficaciter velle, quod est inhonestum; peccatum autem formaliter, seu pro malitia morali nullo fine, neque pœnitentiæ, neque humilitatis, neque alio potest desinere esse inhonestum: quia peccatum formaliter est essentialiter inhonestum: imò est inhonestas ipsa; ergo Deus nequaquam potest illud affectu aliquo prosequutionis velle, neque approbationis, & complacentiæ, neque desiderij.

Quòd autem peccatum, vt peccatum nequeat in se à Deo appeti, adhuc, vt pœna, quanuis possit aliquid antecedens ad peccatū, in pœnam prioris peccati, vt negatio auxilij efficacis: qua dicitur permittere peccatum, & etiam aliquid consequens ad peccatum ipsum in pœnā ipsius, vt infamia, aut infirmitas, aut mors latè dicim. Tract. de Peccatis disp. 8. dif. 7.

DISPVTATIO TERTIA.

De necessitate, & libertate voluntatis diuinæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Deus non solùm se ipsum diligat necessario, sed etiam creaturas?

CIrca hanc difficultatem supponimus vnum, & quærimus aliud, supponimus Deum se ipsum necessario diligere, & non solùm necessario, quoad specificātem, sed etiam quoad exercitium, in quo Doctores conueniunt.

Et in primis quòd se ipsum diligat necessario, quoad specificationem, id est, quòd ita se habent, aut diligat, vt nequeat se odio habere: probatur; quia in Deo reperitur, & apparet ita ratio boni, & nulla in eo reperitur, neque apparet ratio mali, neque apparere potest. Ergo Deus, ita se diligit, vt se nequeat odio habere; quia

odium

ōdium ſeu fuga tantum reſpicit malum, quòd autem etiam ſe diligat neceſſario, quoad exercitium, id eſt, quòd ita ſe habeat, vt nequeat à ſui dilectione ceſſare: probatur; quia in exercitio diligēdi ſeipſum, qui eſt ſummè bonus, nulla apparet, neque apparere poteſt ratio mali: ſicut ex eo actus ſubiti noſtræ voluntatis ſunt neceſſarij quoad exercitium; quia in ipſorum exercitio ob ſubitam conſiderationem nulla apparet ratio moleſtiæ, neque alius mali.

Quærimus autem, an Deus neceſſario velit, & diligat creaturas.

Circa quòd certum eſt Deum amore, & volitione efficaci non neceſſario: ſed omnino libere diligere creaturas; quia eas diligere efficaciter nihil aliud eſt, quàm efficaciter velle eas efficere: Deus autē nihil efficit neceſſariò, ſed libere, vt conſtat ex illo Pſalm. 93. *Deus vltionum libere egit*: ergo non neceſſario, ſed liberè diligit, ſeu vult creaturas volitione efficaci; quia ſi volitione efficaci eas diligeret neceſſariò eas neceſſariò efficeret; quia ea volitione, vtpote efficaci, non poſſet non efficere creaturas, vnde non ſolùm efficere creaturas eſt Deo liberum, ſed etiam ipſum velle efficax efficiendi illas, vt ſignificatur ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Si ergo Deus liberè vult efficaciter creaturas efficere quæcunque ſint, potuit non velle efficere meliores eis, quas de facto efficere voluit, & de facto non voluiſſe; quanuis potuerit, credimus, de quo diximus tract. de attributis, diſp. 11.

Ita tamen voluntas Dei eſt libera ad efficaciter volendum efficere creaturas, vt tantum ſit libera abſolutè, ſeu in ſenſu diuiſo; quia ex ſuppoſitione, ſeu in ſenſu compoſito, quòd velit, neceſſario vult: imò tunc non ſolum hac neceſsitate commitante, qua omne quod eſt, quando eſt neceſſe eſt eſſe, ſed etiam neceſsitate immutabilitatis moralis; quia quod ſemel efficaciter Deus vult, non poteſt non ſemper velle, & in eo perſeuerare quouſque fiat, quòd ſemel efficaciter voluit, de quo diximus diſp. 1. diffic. 3.

Hæc autem volitio efficax, qua Deus vult efficere creaturas, terminatur ad eas, vt exiſtentes, tanquam in finem, *qui ſeu cuius gratia*, ſicut effectio ipſa, quam Deus efficaciter vult, terminatur ad eas, vt exiſtentes, tanquam ad terminum *qui*; ipſas verò, vt poſsibiles reſpicit, tanquam finem *cui*; quia eis, vt poſsibilibus vult efficaciter actualem exiſtentiam; ea tamen volitio non eſt propriè beneuolentiæ earum; quia in eo ſtatu ſunt incapaces illius.

Eſt tamen difficultas an amor inefficax, quo Deus amat creaturas poſsibiles, ſiue numquam futuras, ſiue ſi futuras, præciſſas tamen

men ab existentia actuali sit necessarius an liber.

Valentia quæst. 19. punct. 2. & 3. Nauarrete controuers. 3. Machin disp. 40. sect. 2. & Gonçalez disp. 32. sect. 2. docent amorem hunc inefficacem, quo Deus diligit creaturas purè possibiles, nō esse necessarium quoad exercitium, sed liberū; quia in creaturis possibilibus non est infinita bonitas; quia sunt entitates finitæ, neq; sunt Deo necessariæ ad esse ipsius; quia Deo nihil intrinsecū deficeret; quamuis nulla creatura esset possibilis; quia Deus est ens magis necessarium, quā creaturę possibiles: ergo voluntas Dei nequit necessario quoad exercitium ferri in creaturas possibiles amore aliquo, adhuc inefficaci; quia neque voluntas humana deliberatè procedens, fertur necessariò quo ad exercitium, nisi in sumum bonū: imò & ipsi voluntati necessarium ad suum est, quale est solus Deus.

Vazq. verò, disp 79. cap. 2. Arrubal disp. 12. cap. 3. Heric. disput. 18. cap. 1. Ruiz disp. 6. Mæratius disp. 31. sect. 3. & Alarcon disput. 3 c. 4. docent Deum amore simplici, seu efficaci non liberè, sed necessario etiam quo ad exercitium diligere, seu velle creaturas possibiles. Et meritò; quia essentia diuina ex se ipsa, absq; actu aliquo elicito præhabet, quòd sit infinita actualis volitio, & amor inefficax, infinitus quidem omni modo; nempè quasi intensiuè, & extensiuè, sicut etiam quod sit cognitio actualis omni modo infinita: ergo nequit non esse volitio, & amor simplex cuiuscumque obtiboni, quod reperiatur, & sit sicut nequit non esse cognitio cuiuscūque viri, quod reperiatur & sit: ergo nequeunt nō esse volitio, & amor simplex creaturarū possibilium; quia istę supponuntur bonæ bonitate proportionata amori simplici, qui versatur circa bonum secundū se, prout abstrahit à præsente, & futuro: & etiam simplici gaudio, seu complacentiæ quæ versatur circa bonum vt præsens; quia creaturæ possibiles nunc, seu de præsenti sunt possibiles: ergo Deus necessariò quo ad exercitium diligit creaturas possibiles, & in eis complacet.

Et ob eandem rationem, Deus nequit non diligere, & gaudere simplici affectu in non esse actuali rerum, quas non est productorus sub ea ratione, qua est, & supponitur bonum; quia scilicet est infinita dilectio, & gaudiū, ac proinde nequit, non diligere tale nō esse, & de eo, vt præsens est gaudere. Vnde voluntas diuina affectu simplicis amoris, & gaudij, non solum potest ferri in non esse actuale possibilē; sed etiam de facto fertur; quia fertur necessario quoad exercitium.

Et ob eandem rationem Deus necessariò diligit, & cōplacet simplici affectu in creaturis futuris, & in præsentibus supposita carū futuritione, & præsentia, quia ea supposita, essentia diuina, quę est omnino infinita dilectio, & cōplacentia, nequit nō esse simplex dilectio, & com-

& complacentia boni, quòd iam ſupponitur futurũ, aut præſens: ſecus eſt de affectu efficaci; quia hic tendit ad efficiendã rem, quæ non ſupponitur efficienda ad ipſum affectum; quia per ipſum, tanquã per cauſam eſt efficienda, & non tẽdit ad illã poſsibiliter efficiendã: quia ſupponitur talis ad ipſum affectũ efficacẽ, ac proinde eſſentia diuina quanuis præhabeat, quod ſit volitio efficax, ſeu effectiua quãtum eſt, ex ſe; non tamen quod ſit volitio efficiens, & conſequenter quanuis neceſſariò ſit effectiua non tamen eſt neceſſario efficiens, ſed liberè: quia effectio non ſupponitur ad ipſam, ſed per ipſam fit. Et idẽ exiſtimamus de deſiderio ſimplici, quòd ſcilicet pro libertate Dei feratur in ſuum obiectum; quia ſcilicet non ſupponit illud efficiendum, ſed tendit in illud, vt fiat, quanuis inefficaciter tendat.

Ad rationẽ ergo aduerſariorũ reſpondemus, quòd quanuis in creaturis poſsibilibus non ſit infinita bonitas, neque ſint Deo neceſſariæ, vt ipſe ſit, in eas tamẽ omnino neceſſario fertur ſimplici affectu proſecutionis ob rationum dictam; quia ſcilicet ipſe ſeu ſua eſſentia ob ſuam omnimodam infinitatẽ in ratione volitionis, nequit nõ eſſe volitio cuiuſcunque boni, quanuis finiti, & Deo non neceſſarij, vt ſit voluntas verò creata, non eſt infinita volitio: imò neque eſt volitio, ſed vult volitione finita, & effecta ab ipſa voluntate, in cuius exercitio circa aliud bonum, quam circa ſummum, & clarè viſum poteſt inuenire rationem moleſti, aut impeditiui alterius affectus, aut aliã rationem mali: ob quã retrahi poteſt à volitione cuiuſcumque boni, etiam ſummi quando hoc non eſt clarè viſum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm decretum Dei ſit aliquid intrinſecè exiſtens in ipſo?

EX dictis difficultatibus præcedentibus conſtat, Deum non ſolum liberè efficere creaturas, quas efficit, ſed etiam liberè velle efficaciter eas efficere: eſt ergo difficultas Dei, hanc hoc velle efficax liberũ Dei (quòd dicitur decretum) ſit aliquid Deo intrinſecum.

Circa hanc difficultatem Doctores communiter conueniunt hoc velle efficax liberum Dei, quo liberè efficaciter vult effectionẽ creaturarũ, quas efficit non includere intrinſicè in ſe ipſo effectionẽ ipſã creaturarum, neque aliud Deo extrinſecum adhuc vt partẽ, & cõplementum, & meritò primo: quia ea volitio Dei ſecundum ſe totam eſt cauſa ipſius effectionis creaturarum: ergo ſecundum ſe totã præſupponitur ad effectionẽ creaturarũ. Secũdo, quia ſecundũ ſe totã eſt vitalis: ergo neque effectione ipſa, neq; alio extrinſeco eſſentialiter,

ſeu

seu intrinsice completur; quia nullum Deo extrinsecum est ipsi vitale.

Et ob easdem duas rationes dicta volitio efficax diuina, prout est in se, nō includit intrinsicè respectus rationes ad res volitas, adhuc, vt complementum ipsius volitionis; quia scilicet hic respectus rationis non est vitalis, & quia non conducit, vt principium reale ad effectionem creaturarum, & etiam quia; Deus re ipsa quacunque fictione secluſa vult efficaciter efficere creaturas: verum est id, quo Deus tanquam volitione efficaci vult efficere creaturas, non posse à nobis concipi, nisi cum respectu rationis ad ipsas creaturas volitas, tanquam ad effectum, & consequenter, tanquam ad aliquid posterius ipsa volitione; quia ea volitio à nobis concipitur instar nostræ volitionis efficacis, quæ essentialiter respicit rem volitam, tanquam effectum, & quid posteriusrespectus; enim relationis, seu habitudinis transcendentalis imbibitæ in essentia relati transcēdentalis, præsertim causæ, & causalitatis, non præsupponit suum terminū, & ideò terminus n.. est fundamentum illius, quanuis terminus relationis prædicamentalis sit prior ipsa relatione, & fundamentum illius; quāuis relatio prædicamentalis sit relatio causæ ad effectum: fundamentum ergo dicti respectus rationis, est volitio diuina necessaria, prout liberè applicata, seu terminata à Deo ad ipsas creaturas, vt statim dicemus.

Ita tamen intrinsecum Dei, seu perfectio intrinseca Dei, qua sola, & nullo alio ipsi extrinseco Deus liberè decernit efficere creaturas, vt ea perfectio non sit libera Deo, seu ita Deo conueniens, vt potuerit ab æterno ei non conuenire, sed est omnino necessaria, in quo contra Caietan. quæst. 19. art. 2. conueniunt communiter Doctores: primo; quia omnis perfectio intrinseca Dei, nequit non esse Deus, vt constat ex summa simplicitate Dei, quoad prædicata essentialia, qualis est volitio efficax, quòd autem esse Deus, ita necessariò est, vt non potuerit non esse. Secundò, quia si ea perfectio, qua Deus libere vult, esset ita libera, vt potuerit non esse in Deo, non posset nō distingui re ipsa formaliter ab ipso Deo, (quòd repugnat simplicitati Dei) quia idem non potest separari re ipsa à se ipso; dicta ergo perfectio diuina intrinseca Deo, est in ipso omnino necessaria; quia re ipsa est idem omnino, quòd essentia diuina, quæ ipsi Deo est actualis, & summa volitio sicut etiam est ipsi summa & actualis cognitio.

Superest ergo maxima, & nunquam superata difficultas quomodo scilicet Deus non necessario, sed liberè vellit efficaciter, seu decernat efficere creaturas, si nihil aliud quam essentia diuina, quæ sibi est omnino necessaria est, sibi volitio efficax efficiendi creaturas.

Circa

Circa difficultatem ſunt, qui primo reſpondeant, quòd quanuis volitio efficax diuina creaturarum ſit formaliter ſita in ſola entitate diuina quæ neceſſario conuenit eo nihilominus ea volitio eſt Deo libera, & contingens, & potuit Deo deficere; quia ſita eſt formaliter in entitate, ſeu eſſentia diuina, non ſecundum ſe, quæ vt ſic non poteſt dificere, ſed in eſſentia diuina, vt eſt virtualis productio vitalis ponderis, ſeu inclinationis in rem amatam, & quia hæc virtualis productio vitalis, in qua volitio formalis creaturarum formaliter conſiſtit, potuit pro libertate Dei deficere, ideò efficax volitio formalis diuina creaturarum eſt Deo libera & contingens, & potuit Deo deficere.

Hæc tamen prima reſponſio nobis diſplicet primo; quia ſi volitio diuina formalis efficax creaturarum, ſita eſt formaliter in prædicato intrinſeco Dei, vt ſupponitur, & benè ab his Doctoribus, nequit eſſe libera & contingens, ſeu defectibilis; quia nullum prædicatum Deo intrinſecum, in ipſo formaliter exiſtens, poteſt ipſi Deo dificere; quia eſt ſummè neceſſarium, & indefectibile vtpote Deus ipſe. Secundo diſplicet dicta reſponſio quo ad id, quòd in ea ſupponitur; nempè dictam volitionem diuinam, ſitam eſſe in productione virtuali ponderis in rem volitam; quia ſi volitio diuina ſecundum ipſos conſtituitur in productione ponderis; quia volitio creata in ſimili productione conſiſtit, ſicut ea productio ſecũdum ipſos in Deo, non eſt formalis ſed tantum virtualis, in Deo non erit volitio formalis, ſicut neque formalis productio ponderis, quòd eſt falſum ſicut quòd in Deo non ſit intellectio formalis.

Si ergo eſſentia diuina, adhuc vt eſt volitio nequit deficere, eſſentia diuina ſecundum ſe non erit virtualiter diſtincta à ſe ipſa, vt eſt volitio, vt falſo ſupponitur ab his Auctoribus; quia eſſentiæ diuinæ, & volitioni diuinæ, non conueniunt re ipſa prædicata contradictoria, ſicut conueniunt eſſentiæ diuinæ, & relationi diuinæ; quia eſſentię diuinæ conuenit re ipſa communicari alteri perſonæ, & non relationi diuinæ, ob quod, & non ob aliud eſſentia diuina, & relatio diuina dicuntur diſtingui realiter virtualiter, ſeu æquiualenter; quia quoad ea prædicata contraditoria æquiualent duabus rebus creatis diſtinctis, eſſentiæ autem diuinæ ſecundum ſe, & eidem, vt eſt volitio eſſentialis, non conueniunt re ipſa duo prædicata contradictoria; quia ſi aliqua maximè, quòd vt eſſentia ſecundum ſe, non poteſt deficere, & quod eadem, vt eſt volitio deficere poſsit: hoc autem poſterius, nequit Deo conuenire, vt iam diximus, cum nullum prædicatum diuinum exiſtens formaliter in Deo, qualiter exiſtunt omnia diuina prædicata intrinſeca poſsit modo aliquo deficere in ipſo,

quia

quia Deus, & omnia sua prædicata in intrinseca sunt in se ipsis, re ipsa omnino, & summè necessaria, & indefectibilia.

Circa hanc primã responsionem legi possunt Herice disp 16. cap. 3. vt Alarcon disput. 4. cap. 7. qui responsionem hanc latè impugnant.

Deinde sunt, qui secundo respondeant; ideò Deum non necessario, sed liberè velle efficaciter creaturas; quia quanuis sola essentia diuina, quasi forma Deus dicatur velle creaturas, non tamen absque respectu ad effectionem ipsam, seu causalitatem, qua Deus in tempore facturus est creaturas, ita vt quanuis volitio efficax creaturarũ intrinsicè, & essentialiter, nihil aliud sit, quàm essentia diuina, extrinsicè tamen præconnoter, vt præsupponat effectionem creaturarum (sicut mutatio intrinsicè nihil aliud est, quam actio agentis; quia ipsa sola est transitus; extrinsicè tamen præconnotat, & præsupponit carentiam termini ad quem in subiecto; quia hæc carentia præsupposita, actio agentis est transitus subiecti ex vno opposito in aliud; ratione cuius, actio dicitur mutatio, & quia effectio creaturarum libere procedit à Deo, ideò Deus non necessario, sed libere dicitur velle, seu decernere creaturas; quanuis non decernat, & velit ipsam effectionem, & causalitatem; quia hæc præsupponitur, vt essentia diuina sit volitio creaturarum.

Hic etiam secunda responsio nobis displicet primo; quia Deus non solum vult, & decernit creaturas ipsas, sed etiam effectionem ipsarum: imò creaturas media affectione, aliàs Deus sua volitione, & decreto non esset principium effectionis creaturarum, quòd videtur absurdum, & contra scripturam, in qua satis significatur, quòd Deus efficit creaturas; quia vult, seu decernit eas efficere, Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit*, (subintellige facere) *fecit*, vbi satis significatur Deum velle facere creaturas, & ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, vbi satis significatur Deum velle ipsam operationem, seu effectionem.

Secundo displicet; quia Deus non solum non vellet realiter efficere creaturas, quæ immediatè fiunt, & dependent à Deo, nulla media causalitate realiter distincta ab ipsis creaturis; quia fiunt immediatè sine effectione, sed neque ipsas creaturas sic immediatè factas; quia istæ non fiunt media effectione ex natura rei distincta ab ipsis, quę possit pręcõnotari, seu præsupponi ab essentia diuina, vt sit earum volitio.

Tertiò displicet, quia in scriptura, vt encomium & excellentia cuiuscunque volitionis efficacis, Dei commendatur, quòd nulla sit, quæ non impleatur, Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis volun-*

tas

tas mea fiet: si autem volitio efficax Dei constitueretur respectu desumpto ab effectione præsuppositæ, dictum encomium; nempè *omnis mea voluntas fiet*, nihil aliud contineret, quàm hoc; nempè omnia quę voluntas Dei faciet, fient, quòd cuiuscunque personæ creatæ, quamtunuis debili quadrat.

Respondendum ergo est ad dictam difficultatem, quòd quamuis sola essentia diuina, absque aliquo alio reali addito intrinseco ipsi essentiæ, & absque effectione, & absque alio extrinseco prę supposito, & præcõnatato sit ipsi Deo volitio efficax, seu decretum faciendi creaturas, nihilominus ea sola; quanuis necessariò conueniat Deo, non necessario, sed liberè voluit efficaciter, seu decreuit facere creaturas; quia essentia diuina ex se ipsa independenter ab obiectis præhabet, quòd sit Deo volitio actualis, absoluta, & omnino infinita, & ideò absque additione perfectionis absolutæ, & respectus realis, est sufficiens ad attingendum quodlibet obiectum volibile, vnumquodque tamen pro sua bonitate, & capacitate: ita vt hoc obiectum attingat necessario; quia id exigit bonitas illius, & illud liberè; quia eius bonitas non amplius exigit; quia ergo nulla creatura pro sua bonitate, necessario exigit fieri, ideò volitio absoluta Dei, non est necessario volitio efficax effectionis earum; sed pro libito, seu libertate Dei; quia pro libertate Dei habet pro obiecto, & effectu effectionem creaturarum, absque aliquo addito reali, adhuc respectiuo ad illam, & in hoc consistit eminentia, & infallibilitas huius mysterij, quòd Deus sua essentia diuina, quæ sola etiam absque cõnotato est sibi volitio absoluta, & ipsi necessario conuenit, pro sua sola libertate, absque super addito aliquo respectu reali, habeat pro obiecto, & effectu effectionem creaturarum ad eum modum, quo voluntas nostra pro sola sua libertate, absque aliquo super addito sit causans volitionem, & eam habeat pro effectu, quem posset non causare & efficere, & hoc est, quòd docet Vazquez disput. 80. num. 13. dum ait, Deum esse liberè volentem ex eo quod actus, qui est necessarius in Deo, cõparatur libere ad creaturas, id est, ex eo quòd volitio absoluta Dei, quæ sibi necessario conuenit, pro libertate ipsius Dei habet pro obiecto efficiendo creaturas, seu ad eas terminatur, & applicatur, & id docent Ruiz disputat. 13. sect. 2. Mæratius disput. 32. sect. 3. Fasolus quæst. 19. art. 3. dubio 8. & alij, quos refert, & sequitur Alarcon disput. 4. cap. 8.

Deus ergo dicitur, & est volens efficaciter liberè efficere creaturas, dicitur volens efficaciter absolutè, & necessario (qualis esset etiam, si non decerneret efficere creaturas) à sua essentiâ

essentia, quæ sibi absolutè, & necessario in est, dicitur verò volens efficere creaturas, & liberè ab eadem essentia, non quomodocunque; sed quatenus absque aliquo super addito pro sola libertate Dei applicatur, seu acommodatur, vt sit volitio effectionis creaturarum, cuius potuit non esse volitio; quia effectio creaturarum, id non exigit necessariò.

Volitio ergo Dei, qua vult creaturas, siue efficaciter, siue inefficaciter, nihil aliud est, quam essentia diuina, absque respectu reali super addito accomodata, seu terminata ad creaturas, tanquam ad obiectiua siue necessario, siue liberè pro diuersitate obiectorum, & pro diuersitate efficacitatis, & inefficacitatis volitionis, & pro diuersitate affectum volitionis, & ideò nihil deficeret Deo, quamuis non vellet creaturas; quia ei solum deficeret suam, essentiam esse applicatam, seu terminatam ad obiecta, aut necessario, aut liberè.

Vndæ hæc causalis est vera: *Ideò Deus facturus est creaturas; quia decreuit eas efficere*, & etiam hæc: *Ideò Deus decreuit efficere creaturas; quia voluit*: in hac tamen posteriori causalis ideò Deus decreuit efficere creaturas; quia voluit pro causa decreti significata per illam, particulam *quia voluit*, non reddimus actum volitionis, sed libertatem Dei, qua suum infinitum decretum absolutum applicuit effectioni creaturarum, sicut quando dicimus. Ideò Petrus voluit hoc; quia voluit; pro causa prioris volitionis non reddimus aliam volitionem; sed libertatem voluntatis Petri.

Libertas ergo diuinæ volitionis non est in ipsa volitione præcisè; quia vt sic est necessaria, sed est in ipsa volitione vt applicata, seu terminata ad effectionem creaturarum, seu in ipsa applicatione volitionis ad effectionem creaturarum; quia ea applicatione, volitio necessaria pro libertate Dei, quasi fit volitio creaturarum, eam liberè applicando ad effectionem creaturarum.

Quod autem dictum est de volitione libera Dei, proportionaliter dicendum est de actu scientiæ visionis, qua Deus videt creaturas futuras, quas potuit non videre; quia potuerunt non esse futuræ, quòd scilicet essentia diuina, quæ Deo est cognitio omnino in infinita, se ipsa sola, absque nouo aliquo reali, ipsi super addito, ob infinitatem suæ repræsentationis sit cognitio creaturarum futurarum; quia ipsis suppositis, vt futuris necessario applicatur: quod facilius intelligitur in actu scientiæ visionis; quia supponit suum obiectum futurum, quam in actu volitionis efficiendi creaturas; quia hæc siue efficax, siue inefficax præsupponitur, vt causa siue perfecta, siue inchoata ad effectionem creaturarum.

Ex

Ex dictis deducimus, Deum re ipsa prius natura, & causalitate decernere efficere creaturas, quam sint futuræ, & consequenter independenter à futuritione earum; quia creaturæ sunt futuræ; quia Deus decreuit eas efficere, & non è contra: non enim ideò Deus decreuit efficere creaturas; quia futuræ sunt, quanuis ex futuritione earum à posteriori deducamus Deum decreuisse eas efficere. Vnde Deus pro sua sola libertate, ita potuit esse decernens obiectum creatum, vt non solum, absque mutatione sui potuerit non esse decernēs illud obiectum; quia prius, & independenter à præsuppositā mutatione obiecti, potuit liberè applicari ad illud decernendum; quanuis ex decreto, quia habiturum est effectum, mutandum sit obiectum, si obiectum factibile est: addimus si factibile est propter nō esse rei, quæ futura non est; quia quanuis circa illud nō esse posset in Deo esse decretum sicut circa esse rei, quę producitur, potuisset tamen Deus, etiā absque mutatione obiecti, post decretū nō sequuta pro sola sua libertate, ita esse decernens rem non produci, vt potuerit nō esse decernens non produci; quia illud non esse rei ex dicto decreto nō mutaretur, sed idem & eodem modo fuisset, ac si Deus negatiuè se habuisset circa illud non esse: & eodē modo absque mutatione non solum antecedente, sed etiam absque mutatione subsequuta obiecti, etiam positiui posuit Deus pro sua libertate, ita esse inefficaciter desiderans fieri rem, quæ facienda non est, vt etiam potuerit nō esse desiderans. si desiderium simplex est in Deo liberū (quale esse diximus difficultate præcedenti) quia ex vna parte ex desiderio simplici, seu inefficaci obiectum non mutatur, & ex altera Deus absque sui mutatione eodem modo se habens, potuit esse volens rem, & non volens rem in quo differt à voluntate creata, quę eodem modo se habens non potest esse volens rem, & non volens esse rem; quia nequit velle rem absque actu elicito ipsi voluntati realiter super addito, quo debet carere vt sit non volens esse rem.

Constat ergo ex dictis volitionem efficacem liberam, seu decretū Dei efficiendi creaturas re ipsa nihil aliud esse, quā essentiam diuinā pro libertate Dei aplicatā ad effectio, seu terminatā creaturarū, sicut complacentia Dei necessaria in creaturis, nihil aliud est, quam essentia diuina ad eas necessario applicata. Vnde si Deus non vellet efficaciter efficere creaturas, quas voluit efficere, sicut potuit, nō velle efficere, & si non complaceret in eis, nihil re ipsa deficeret Deo; quia maneret & necessario volens absolutè, & complacens absolutè; quia essentia diuina, à qua Deus est volens, & complacens absolutè; quia est infinita volitio, & complacentia, maneret in Deo, & ei solum deficeret terminatio, seu applicatio ad creaturas. Hæc autem termina-

tio ad creaturas re ipsa nihil est, nisi creaturas esse obiectum volitionis diuinę, (quanuis à nobis nequeat ea terminatio concipi, nisi vt respectus ad creaturas) & ideò nihil deficeret Deo, nisi quòd creaturę non fuissent volitæ ab ipso, neque in eis complacuisset, sicut agens in materiam externam, terminari ad actionem, nihil aliud est, quam quod actio exeat ab agente, & ita ex eo quòd non terminaretur ad agendum, nihil ei deficeret.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm voluntas Dei sit propinquior causa rerum, quàm intellectus?

SVpponimus, vt certum de fide Deum producere creaturas, non per naturam, seu naturaliter, sed per voluntatem, seu voluntariè, id est, principium productionis creaturarum in Deo esse essentiam diuinam, non quatenus est natura, seu deitas constituens Deum in esse Dei; sed quatenus est volitio constituens Deum volentem, id est, Deum producere creaturas, non quatenus est; sed quatenus vult: & id contineri in scriptura sentit Iustinus Martyr lib. quæstionũ Christianis à Gentilibus propositarum, explicatione tertia, vbi id probat, & benè ex illo Psalm. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*, & ex illo ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et ratione naturali probatur; quia modus operandi ad extra rationali modo, id est, intellectu, & voluntate, est perfectissimus, nõ est ergo Deo denegandus.

Hoc supposito difficultas est, an voluntas Dei propinquius operatur ad extra res creatas, quàm eius intellectus, an è contra.

Bañez quæst. 14. art. 8. Gonçalez disp. 38. sect. 4. Nazarius controuers. 2. Albiz disp. 11. sect. 2. & Ruiz disp. 14. sect. 2. docent, intellectum Dei propinquius operari, quam eius voluntatem; quia cognitio, qua intellectus Dei operatur, concurrit ad productionem rerum quatenus applicatur à voluntate: ergo propinquius operatur; quia quòd applicatur ab alio ad operandum, propinquius attingit effectũ, quam ipsum applicans.

Durandus verò in 1. distin. 45. quæst. 2. Vazquez disput. 81. cap. 2. Arrubal disput. 55. & Fasolus quæst. 19. art. 14. dubio 1. docent, voluntatem Dei propinquius operari creaturas, quam eius intellectum, & meritò; quia intellectus Dei non alio modo concurrit ad productionem creaturarum, quàm quasi dirigendo voluntatem ipsius

ſius media propoſitione creaturarum factibilium, & modi quo fieri poſſunt, vt decernat eas efficere, & mediante decreto voluntatis potentiam executiuam; (ſi hæc eſt à voluntate diſtincta) quia voluntas eo modo directa, abſque nouo quaſi influxu intellectus immediatè efficiet, ſeu immediatè impellet potentiam executiuam ad efficiendum: ergo inter effectum, & inter influxum intellectus ſemper mediat influxus, ſeu decretū voluntatis: ergo volūtas Dei propinquius, quam intellectus concurrit ad productionem rerum.

Quod ſi poſt decretum voluntatis admittatur in intellectu Dei actus imperij, qui deferat impetum, ſeu decretum voluntatis ad potentiam exequentem (vt non pauci admittunt) dicendum erit, intellectum Dei eſſe cauſam rerum propinquiorem voluntate; quia tamen à nobis non admittitur in Deo talis actus imperij, & quia in Deo non eſt potentia exequens diſtincta à voluntate, & quia quanuis eſſet diſtincta, non eſſet neceſſarius, vt dicimus tract. de attributis, diſput. de omnipotentia, diffic. 2. imò in nobis non eſſe neceſſarium actum imperij diximus, &c. de actibus, diſput. 4. diffic. 17. ideò dicendum eſt voluntatem Dei eſſe cauſam propinquiorem intellectu ipſius: imò omnium proximam, & immediatam; quia ipſa etiam noſtro modo concipiendi eſt potentia decernens ſimul, & exequens.

Ad rationem ergo aduerſariorum negamus cognitionem, qua intellectus Dei concurrit ad rerum productionem concurrere, quatenus applicatam à voluntate; ſed tantum modo prędicto; nempè dirigendo voluntatem media propoſitione obiecti faciēdi, & modi quo fieri poteſt. Et ideò remotius attingit effectum, quam voluntas.

Quo autem modo volitio efficax Dei, qua decernit nobis cum cōcurrere ad noſtrum conſenſum, cohæreat cum noſtra libertate dicimus tract. de prędeſtinatione, diſp. 5. diffic. 12.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm in decretis liberis Dei ſit ordo prioris, & poſterioris?

GRabiel in 3. diſtin. 2. quæſt. vnica, art. 3. Capreolus diſput. 1. quæſt. 1. art. 3. Deza eadem quæſtione, & Ocham in 1. diſt. 9. q. 3. docere videntur in decretis diuinis efficiendi creaturas, nō eſſe ordinē aliquē prioris, & poſterioris, ſeu non eſſe ſigna priora, & poſteriora, in quibus Deus decreuerit vnam creaturā prius, quā aliā; quia

Deus ſimul, & ab æterno decreuit omnes creaturas: ergo non decreuit vnam prius, quàm aliam.

S. Thom verò, quæſt. 23. art. 4. Vazq. diſp. 82. cap. 3. & 4. Suar. lib. 3. de attribut. cap. 3. Herice diſput. 17. cap. 5. Ruiz diſp. 122. ſect. 2. & Albiz diſput. 7. ſect. 3. docent in diuinis decretis eſſe ordinem prioris, & poſterioris, ratione cuius Deus dicitur decreuiſſe vnam creaturam prius quàm aliam, & hoc modo loquendi vtuntur Auguſtin. lib. 1. ad ſimplician. quæſt. 2. & Proſper. in epiſt. ad Auguſtin. quæ eſt ante libros de prædeſtinatione Sanctorum. Et merito ordo iſte inter diuina decreta admittitur, nõ ex natura rei (vt falſo inſinuat Scotus in 3. diſtin. 7. quæſt. 3.) quia Deus vnico, & indiuiſibili actu omnia decreuit, ſed noſtro modo intelligendi, quo concipimus, volitionem Dei re ipſa indiuiſibilem reſpicere omnia obiecta efficienda; quia omnia quæ Deus decreuit, ordinatè decreuit; nempè vel vt finem & medium, vel vt media inter ſe ſub ordinata, quorum vnum deſeruiat ad productionem alterius, ob quod inſtar hominis prudenter decernentis, concipimus Deum decernentem vnum prius, quam aliud, finem videlicet prius, quam medium: & inde inter Theologos aſſumpta eſt diſtinctio ſignorum, ſeu inſtantium rationis, in quibus Deus dicitur prius decernere vnam rem & aliam poſterius.

Ad fundamentum ergo aduerſariorum reſpõdemus: ex eo quod Deus ſimul, & ab æterno decreuit omnia, ſolum inferri, quòd nullus ſit ordo durationis inter diuina decreta, ita vt nullum obiectum decreuerit prius ſecundum durationem, quam aliud, non verò quòd non ſit ordo, ſaltem rationis, quem nos admittimus.

DIFFICVLTAS V.

Vnde aſſignandus, & deſumendus ſit ordo prioris, & poſterioris inter diuina decreta?

CAietanus 1. par. quæſt. 1. art. 3. intendens ex ordine obiectorũ inter ſe, deſumere ordinẽ inter diuina decreta, circa ea obiecta, ita illum conſtituit vt in primo ſigno decreuerit res naturæ, id eſt, pertinentes ad naturam, & in ſecundo ſigno res pertinentes ad gratiam, & in tertio res vnionis hypoſtaticæ.

Modus tamen hic, & regula aſſignandi ordinem, & ſigna rationis communiter diſplicet, & meritò: primo quia plures res naturæ etiã pertinent ad gratiam, & prædeſtinationem. Secundò, quia peccatum crucifigentium Chriſtum pertinet ad ordinem naturæ, & tamen ſuppo-

ponit Christum, seu vnionem hypostaticam. Tertiò, quia plures res naturę non supponuntur ad res gratiæ; quia ad has non conducunt; quia, v.g. Petrum esse pulchrum non conducit ad iustificationē Pauli. Quartò, quia Caietanus non distinguit ordinem, quem habēt obiecta prout subsunt executioni ab ordine, quem habent prout subsunt decreto, qui verè sunt oppositi.

Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19. quęst. vnica, docet ordinem inter diuina decreta assignandum esse instar ordinis ordinatè decernendi in nobis, in quo nobis placet, vt statim dicemus; subdit tamen nos tunc ordinatè decernere, quoties post voluntatem finis prius decernimus, ea quæ fini sunt dignitate priora, in quo nobis displicet; quia ordo prioris inter nostra decreta mediorum ad aliquem finem nō desumitur ex maiori dignitate, qua vnum medium magis appropinquatur, & assimilatur fini quoad perfectionem, sed ex maiori propinquitate, quoad causalitatem, ita vt medium, quòd immediatius, & propinquius conducit ad adeptionem finis prius decernatur, seu eligatur; quanuis posterius executioni mandetur; quia media ordine in verso eliguntur, & executioni mandātur, ita vt medium, quòd est prius in intentione, vel electione, sit posterius in executione, & è contra.

Dicendum ergo est, vt optimè Suarèz 3. par. disp. 3. sect. 1. ordinem prioris, & posterioris inter decreta diuinæ voluntatis desumendum, & assignandum esse, ex ordine, seu habitudine, & dependentia, quam obiecta ipsa decreta habent inter se, prout comparantur cum diuina voluntate ordinante vnum ad aliud, seu volente, quòd sit vnū vt sit aliud: & ita illud erit prius in diuina voluntate, quòd ab ea appetitur, tanquam finis alterius. Et illud erit posterius, quòd ab ea appetitur, tanquam medium. Et inter decreta circa plura media, quæ subordinatè, vult in ordine ad aliquem finem, illud decretum erit prius, quòd sit circa medium, quod propinquius ordinatur ad finē; quia ordinem inter diuina decreta concipimus admodum ordinis, qui in nobis contigit, quando ordinatè decernimus; quia Deum concipimus ordinatè decernentem instar nostri ordinatè decernentiū: nos autem ordinatè decernimus, & volumus quādo prius volumus, id quod volumus vt finem, & deinde volumus id quòd volumus, vt medium, & inter ipsa media prius volumus id quòd volumus, vt propinquius finis; quanuis in executione oppositum contigat; quia medium prius mandatur executioni, quàm finis, & inter ipsa media illud prius executioni mandatur, quòd remotius est à fine, seu ad finē remotius conducit: sed an finis, quem dicimus Deum prius velle, quàm media, & medium propinquius, quod dicimus Deum prius

velle, quam remotius, sint prius volita efficaciter, an solo simplici, & in efficaci desiderio, quã sint efficaciter volita ea, quæ post illa Deus efficaciter vult, ex dicendis constabit.

Supereſt tamen difficultas an obiecta diuinæ voluntatis, inter quæ non est realis dependentia, & naturalis connexio qua vnum realiter referatur ad aliud, possint à Deo pro sola sua libertate ordinari, quoad volitionem ipsius.

Circa quam supponimus, vt certũ quòd quando inter obiecta, nulla est proportio, & aptitudo vt vnũ possit re ipsa conducere ad aliud, nequit pro sola Dei libertate vnũ ordinari ad illud, & consequenter, quòd inter decreta circa illa non possit esse aliquis ordo; quia vt optimè Vazq. disp. 82. n. 29. id quod non habet proportionem, vt possit ad aliud conducere, nequit à Deo ad illud ordinari, vt ei deseruiat, quia deseruire non potest: & è contra, quãdo inter obiecta, quæ Deus decreuit & voluit, talis est dependentia, & connexio, vt vnũ essentialiter dependeat ab alio, tanquam à medio, qualis est inter gloriam, tanquam mercedem, seu coronam iustitiæ, & inter meritum, tunc non poterunt à Deo non ordinatè decerni, meritum videlicet ad præmium; quia ipsa obiecta sunt eo modo essentialiter ordinata.

Punctum ergo difficultatis in eo est, an quando inter obiecta est sola proportio, qua vnum potest conducere ad aliud, & ad illud ordinari, absque essentiali connexione, qua ex se exigat ordinatè decerni, qualis fuit incarnatio Verbi, quæ non exigebat necessario ordinari in salutem generis humani, an tunc Deus pro sola sua libertate potuerit ea obiecta suis decretis inter se ordinare, aut non ordinare nulla in ipsis obiectis mutatione facta.

Vazq. vbi suprà, existimat solã proportionẽ obiectorum, qua vnũ potest conducere ad aliud, ita esse fundamentũ ordinis inter decreta Dei circa ea obiecta, & ex illa sola, ita desumendũ esse, vt eadẽ obiecta inuariata, & cũ eadem proportione permanentia non potuerint pro sola Dei libertate non ordinari, neque aliter ordinari: vnde ait, quòd quia opus bonũ iusti ex se habet proportionem dignitatis, seu meriti cũ vita æterna; ideò si iustus, qui benè operatus est, detur gloria nequeat pro libertate Dei non dari illi ob ea bona opera meritoria si de facto detur. fundamentũ huius sententiæ est; quia vt Deus qui dicitur dare gloriã ob merita, diceretur non dare gloriam ob illa, seu non ordinare illa in gloriã, necessariũ esset, quòd aliqua interueniret variatio, seu mutatio, vel in voluntate Dei ordinantis, seu ordinatè decernẽtis, vel in ipsis obiectis ordinatis, seu ordinatè decretis; quia res eodẽ modo permanentes, nequeunt esse fundamentũ contradictoriarũ denominationũ, quales sunt ordinare merita ad gloriam, &

non

non ordinare, ſed in voluntate diuina nulla poteſt eſſe variatio: ergo debet eſſe in obiectis: ergo ſi in eis nulla reperiatur, eodem modo dicentur ordinari.

Suar. verò vbiſup. Heric. diſp. 17. & Ruiz diſ. 22. ſect. 3. docēt, & meritò ſuppoſita proportione obiectorū, abſq; eſſētiali cōnexione, & dependētia inter ipſa Deū pro ſola ſua libertate potuiſſe eadē obiecta, abſq; variatione aliqua inter ipſa ordinare, aut nō ordinare inter ſe.

Quod primo probatur: quia in Angelis fuerūt opera bona, quæ talē proportionē congruitatis habebāt, vt eo modo, quo fuerunt abſq; mutatione aliqua in ipſis, potuerūt à Deo impetrare incarnationē, & tamē de facto nō impetrarūt, & Deus ita confert alicui beneficiū gratiæ intuitu meritorū alicuius Sancti, vt meritis illius, & beneficio gratiæ eodē modo ſe habētibus, potuerit Deus nō conferre beneficiū illud eorū intuitu, & Deus ita nobis cōfert auxilia gratiæ intuitu meritorū Chriſti, vt auxilijs, & meritis Chriſti in eadē proportione perſeuerātibus potuerit ea auxilia nō conferre intuitu illorū meritorū. Et ita Deus confert gloriā iuſto pro meritis vt gloria, & meritis eodem modo perſeuerātibus potuerit eā gloriā, nō intuitu eorū meritorū; ſed omnino gratis, & liberaliter conferre: hæc autē dicta exempla negari nequeūt fundamēto aliquo ſatisfaciēte: ergo ſola proportio inter obiecta nō eſt ſufficiens fundamentū ordinis prioris, & poſterioris inter decreta Dei circa ea obiecta, niſi accedat libertas Dei.

Secundo idem probatur ratione deſumpta ab exemplo voluntatis humanæ; quia hæc pro ſola ſua libertate poteſt obiecta eodem modo ſe habentia, & perſeuerantia ordinatè velle, & nō velle ordinatè, abſque mutatione aliqua facta in ipſis obiectis ſola extrinſeca denominatione eis proueniente ab actu ordinationis voluntatis ſi ordinētur; quia vt extrinſicè ordinētur ad aliud nō egēt ſpeciali aliquo eorum entitati ſuper addito, aut ſola extrinſeca denominatione eis deficiente, ſi non ordinentur: ergo id etiā poterit voluntas diuina, abſq; mutatione obiectorū ſola extrinſeca denominatione eis proueniēte à Diuina ordinatione ſi ordinētur, aut ea ſola deficiēte ſi nō ordinētur.

Quod ſi reſpondeas hoc poſſe fieri à voluntate humana; quia ſola ſui mutatione ordinat, & non ordinat; quia ordinat actu à ſe elicito, & eo deficiente non ordinat. Contra hanc reſponſionem eſt, quòd in hoc conſiſtit eminentia, & infinitas voluntatis Dei, quòd abſque mutatione ſui nō ſit minus ad ordinatè decernēdū creaturas, & ad eas non decernendum ordinatè, quam voluntas humana cū ſui mutatione: ſi ergo voluntas humana cū ſui mutatione (quia aliter nō poteſt) ordinat, & non ordinat obiecta inter ſe, abſque aliqua mutatione obiectorum, cur voluntas Dei, quæ abſque mutatione ſui po-

teſt non minus, quàm voluntas humana cum ſui mutatione non poterit ordinare, & non ordinare, abſque mutatione obiectorum.

Tertiò, idem probatur ratione à priori; quia Deus pro ſola ſua libertate potuit velle, & non velle efficere creaturas; quia earũ bonitas non exigebat neceſſariò, quòd fierent, neque quòd nõ fierent, & abſque mutatione aliqua præſuppoſita in ipſis creaturis, ex qua Deo proueniat, quòd ſit volens, aut non volens efficere; quanuis ex volitione efficaci, quia eſt efficax creaturæ ſunt faciendæ: ergo etiã pro ſola ſua libertate præſuppoſita in obiectis proportione, potuit ea ordinare, & non ordinare inter ſe, ſeu velle vnum ad aliud, & nõ velle ad illud, quia dicta obiecta. vt pote nõ cõnexa eſſentialiter, nõ exigunt neceſſario dictam ordinationem, & id potuit Deus, abſque mutatione in obiectis non ſolùm præſuppoſita, ſed etiam abſque illa ſubſequuta; quia dicta ordinatio non eſt cauſatiua alicuius entitatis ſuperadditæ ipſi rei, quę ordinatur.

Ad fundamentum ergo Vazq. reſpondemus, negando maiorem; nempè quòd vt Deus non dediſſet gloriam iuſto ob merita ob quæ de facto dedit, neceſſaria fuiſſet aliqua variatio, aut in voluntate Dei, aut in obiectis, & ad eius probationem, in qua aſſumitur, quod extrema eodem modo ſe habentia non poſſunt eſſe fundamentum denominationũ contradictoriarũ, negamus aſſumptũ, quando vnũ ex extremis eſt voluntas Dei, quæ pro ſola ſua libertate, abſq; mutatione ſui, poteſt eſſe ordinans, & non ordinans extrema; ſecus eſt, quando alterũ extremũ eſt voluntas creata, quæ abſque ſui mutatione nequit eſſe volens, & non volens, quanuis obiectũ aliàs mutetur; quia mutatio obiecti eſt impertinens ad varias denominationes actuum liberorum, non ſolum reſpectu voluntatis creatæ; quia hæc poteſt mutari: ſed multò magis reſpectu voluntatis Dei, quæ facilius ob ſui infinitatem poteſt eſſe volens, & non volens res, abſque mutatione in ipſa, quam voluntas creata cum ſui mutatione.

Ex dictis conſtat ſigna rationis, ſeu ordinẽ prioris, & poſterioris inter decreta Dei circa obiecta quæ nõ ſunt inter ſe eſſentialiter cõnexa, nõ eſſe ſumendũ, & aſsignandũ ex ſola proportione obiectorum inter ſe: ſed proportione ſuppoſita ex ſola libertate Dei, qui ita pro ſola ſua libertate ordinat, ſeu vult vnum propter aliud, vel ad aliud, vt potuerit non ordinare.

Circa ordinem inter actus intellectus Dei ex vna parte, & inter actus voluntatis ipſius ex altera, obſeruandum eſt cognitionem diuinam practicam rei, eſſe priorem decreto abſoluto diuinæ voluntatis circa eandem rem; quia decretum voluntatis Dei circa rem illam, quaſi pendet noſtro modo intelligendi ex propoſitione

pra-

practica, qua res illa proponitur voluntatis ipsius, sicut inter decretum nostrę voluntatis, circa rem, & inter cognitionem nostram practicam, circa eamdem, est similis ordo realis, instar cuius concipimus ordinem inter diuinum decretum, & inter cognitionem practicam, quæ est simplicis intelligentiæ: decretum verò Dei, circa rem, est prius nostro modo intelligēdi cognitione visionis eiusdem rei, vt constat ex dictis Tract de Scientia Dei disp.

At respectu rerum diuersarum cognitio visionis, circa vnam rem potest esse prior decreto Dei circa alteram; sed non semper est prior, nisi quando existentia rei visæ, est ratio motiua ad decernendum alteram rem, sicut opinio communis docet visionem, qua Deus vidit peccatum originale fuisse priorem decreto incarnationis, saltem in carne possibili; quia ex remedio peccati visi, commota fuerunt viscera misericordię Dei ad nos visitandum, & decernendum aduentum ipsius in carne; secluſa autem dicta conducētia, nullus est ordo inter cognitionem visionis Dei, circa vnam rē, & inter decretum circa alteram: sicut neque inter cognitionem simplicis intelligendæ vnius rei, & inter decretum circa alteram.

DISPVTATIO QVARTA.

De voluntate diuina saluandi homines.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Deo sit voluntas saluandi omnes homines.

BOnauentura, Scotus, OKam. & Gregorius in 1. dist. 46. quæst. 1. & Alexand. 1. par. quæst. 36. docent Deum non voluisse saluare eos homines, quos de facto non saluat. Quod etiam tradunt Zum. quæst. 19. ar. 8. Aluar. de Auxilijs disp. 3. & 34. Et alij recentiores Thomistę, quibus maximè fauet Augustinus in Enchiridio. capit. 103. dum ait testimonium illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, ita debere explicari, vt non credamus Deum voluisse aliquid fieri, quod factum non sit, & ideò dictam loquutionem Pauli, quanuis vniuersalem, & distributiuam, coarctat ad solos prædestinatos, illam explicando per distributionem partialem, nempè, vel per distributionem accommodam; ita vt sensus sit. Omnes qui saluantur, voluntate Dei saluantur; quia nullus saluatur

uatur, niſi quem Deus vult ſaluare, vel per diſtributionem, pro generibus ſingulorum, ita vt ſenſus ſit ex omnium hominum genere, eſt ſtatus Deus vult aliquos ſaluos facere.

Et ratione videtur probari; quia indignum Deo videtur, quòd eius voluntas non impleatur, iuxta illud ad Roman 9. *Voluntati eius, quis reſiſtet*: Ergo in Deo non eſt admittenda voluntas, ſeu deſiderium ſaluandi quos non ſaluat.

Sanctus Thomas verò quæſtion. 19. art. 6. & ibidem Molina, & Faſolus, Vazquez diſput. 83. Suarez libr. 4. de Prædeſtinatione, capit. 1. Arrubal diſput. 50 Herice diſput. 23. cap. 11. Albiz diſput. 9. ſect. 2. & Alarcon diſp. 6. cap. 3. docent in Deo eſſe voluntatẽ, ſeu deſiderium ſaluandi omnes homines, quæ in reprobis non impletur: quòd ſatis ſignificatur dicto teſtimonio Pauli 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.*

Primò, quia in eo vniuerſaliſsimè loquitur.

Secundò, quia id probat ex eo, quòd eſt vnus Deus omnium, & vnus Redemptor omnium: Ergo ſicut vnus eſt Deus, & vnus Redemptor omnium, etiam reproborum nullo excepto: ita etiam vult ſalutem omnium nullo excepto: verus ergo ſenſus Pauli, eſt Deum ex ſe ipſo velle omnes homines, nullo excepto ſaluare, quẽ ſenſum in eo loco ſequuti ſunt Chryſoſt. Oecumenius, Ambroſ. Hieronym. & Athanaſ. lib. 3. de Aſſumptione hominis, Damaſcen. libr. 1. de fide, cap. 39. & 30. Proſper. lib. 2. de Vocatione gentium, capit. 19. & id ſequutus eſt Auguſtin. lib. de Spiritu, & littera capit. 33. etiam ſi in Enchirid. c. 103. intelligens dicta verba Pauli de volitione efficaci, id non intellixerit vniuerſaliter; ſed per diſtributionem partialem.

Et ratione Theologica probatur; quia Deus creauit omnes homines propter ſalutem, & beatitudinem ſuper naturalem: ergo eã omnibus voluit, & deſideranit:

Ad rationem autem aduerſariorum, reſpondemus eſſe Deo indignum, quòd non impleatur, quòd efficaciter vult, non verò, quòd inefficaciter, qua ratione vult, ſeu deſiderat, quod omnes ſaluentur.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm voluntas ſaluandi omnes homines fuerit in Deo, non ſolùm ante præuiſum lapſum Adæ; ſed etiam poſt?

SVpponimus voluntatem hanc, ſeu deſiderium fuiſſe in Deo, ante lapſum Adæ; quia id ad minus, conuincit ratio deſumpta ex diuina ordinatione, qua omnes homines, quos creauit, ordinauit in finem ſuper naturalem, & ante præuiſum lapſum Adæ: quærimus autẽ, an etiam in ipſo fuerit, ſeu perſeuerauerit, poſt eum lapſum præuiſum, cuius nomine, etiam comprehendimuseũ lapſum, vt in ſuos poſteros deriuatum.

Circa hanc rẽ non deſunt, qui exiſtimẽt Deum in priori ſigno rationis ante lapſum Adæ præuiſum, deſideraſſe omnes homines ſaluos fieri, nõ verò poſt, & id inſinuat Driedo de captiuit. & redẽpt. generis humani. tract. 1. c. 4. quia Deus pluribus infantibus, & nõnullis adultis, non confert auxilia, adhuc ſufficiẽtia, vt ſaluentur, ergo poſt præuiſum dictum lapſum, non voluit eos ſaluare.

Suar. verò lib. 4. de prædeſtinatione cap. 1. & Alarcon diſp. 6. c. 4. docent Deum etiam in poſteriori ſigno poſt lapſum Adæ, deſideraſſe omnes homines ſaluare, quod ſupponunt communiter Doctores. Et meritò; quia id eſt, quod continetur in dicto teſtimonio Pauli; quia in eo abſque dubio loquitur de hominibus iam lapſis; quia loquitur de hominibus, prout nunc ſunt, & prout pro eis Deus decreuit fieri redemptor: & id eſt, quod docent PP. dif. præcedenti relati.

Ad fundamentum autem in oppoſitum reſpondemus, quòd quanuis Deus non offerat, omnibus auxilia ſufficientia ad ſaluationem (quod an verum ſit, dicimus Tractatu de Prædeſtinatione, diſput. 5. difficult. 8. & 9.) ex eo tamen ſolùm conuincitur, non eſſe in Deo voluntatem efficacem ſaluandi omnes, non tamen, non eſſe voluntatem inefficacem ſimplicis deſiderij: quia ex hac non neceſſario oritur electio mediorum, vt cõtingint in nobis, qui plura cupimus, ſimplici deſiderio, ad quorũ adeptionẽ nullũ apponimus mediũ: quia nullum apponere expedit ad alia, quæ magis cupimus, vt contingit in cupiente, non proijcere ſuas merces in mare, qui nullum ad id apponit medium: quia id expedit, vt nauis

non

non ſubmergatur,& ipſe non moriatur: præſertim quod negari nequit Deum aliquid feciſſe pro omnibus etiam paruulis,nempè fieri hominem,& remedium pro omnibus inſtituiſſe,aut admiſiſſe, quāuis aliquibus non potuerit humana diligentia applicari.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm voluntas ſaluandi omnes homines ſolum ſit ſigni, an verò beneplaciti?

SVpponimus ex dicendis diſp.5.dif.1.voluntatem Dei duplicem eſſe,aliam ſigni,ſeu metaphoricam,& aliam beneplaciti; voluntas ſigni dicitur ſignum aliquod externum,quo indicatur Deum aliquid velle,& re vera non vult,vt prophetia comminatoria,& præceptum,& alia plura;voluntas verò beneplaciti, dicitur qua Deo immediatè,& verè re ipſa placet res,cuius dicitur eſſe voluntas.

Alexand.1.par.quæſt.36.num.2.Caietanus 1. ad Timoth.2.& non pauci Scholaſtici in 1.diſt.45.& 46.docent in Deo non reperiri voluntatem beneplaciti,circa ſaluationem omnium; ſed tantum voluntatem ſigni,qua imponendo præcepta, & tribuendo media, quibus omnes poſsint ſaluari, indicat, ſeu ſignificat ſe deſiderare ſaluationem omnium;quia omne quod Deus fieri vult voluntate beneplaciti,re vera fit,vt conſtat ex illo Pſalm.13. *Omnia quæcumque voluit,fecit.* Et ex illo Iſaiæ 46. *Omnis mea voluntas fiet,* & tamen non omnes ſaluantur:ergo in Deo non eſt voluntas beneplaciti circa ſaluationem omnium.

Et confirmatur primò:quia imperfectionis videtur,quod Deus re vera velit voluntate beneplaciti,quòd aliquid fiat , & id non fieri;ſed non ſaluantur omnes:ergo non vult voluntate beneplaciti, quòd omnes ſaluentur.

Et confirmatur ſecundò,quia qui poteſt aliquem ſaluare, & non ſaluat plenè conuincitur non velle voluntate beneplaciti illum ſaluare;ſed Deus poteſt omnes ſaluare,& non ſaluat,ergo.

Durandus verò in 1.diſt.47.quæſt.1.Vazq.diſp.83.Suarez lib. 4.de prædeſtinatione cap.2.Leſius de prædeſtinatione ſect. 6.& Alarcon diſp.6.cap.3.docent:& merito Deum voluntate beneplaciti immediatè deſiderare ſaluationem omnium,& id eſt quod docēt Patres ſupra relati,præſertim Chryſoſtom.homil.7. in primam ad Timoth.& homil.1.in Epiſt ad Hebr.& Damaſc.loco citato. Et id ſatis deducitur ex dicto teſtimonio Pauli;quia eodem modo dixit

xit Deum velle, omnes ſaluos fieri, ac vitam agere in omni pietate: *quia* hæc duo connexa ſunt in contextu: imò voluntas ſaluationis omnium, adducitur pro ratione voluntatis, qua vult quod omnes agant vitam in pietate; ſed ex eodē Paulo vitam agere in pietate, eſt bonum, & acceptum Deo, & conſequēter ipſi verè gratū, & placens: ergo & quòd omnes ſalui fiant.

Deindè id probatur, ratione qua dif 1. vſi ſumus: quia ſcilicèt Deus creauit omnes homines, propter ſupernaturalē beatitudinē: ergo in eo fuit voluntas beneplaciti, qua omnibus hominibus immediatè deſiderauit eam beatitudinem.

Neque ab ea voluntate deſtitit, ob lapſum primi parentis ſuperuenientem, vt diximus difficult. 2. nec poſt hunc lapſum habuit voluntatem deſiderij damnationis omnium, & multo minus ante dictum lapſum quia quanuis voluntas deſiderij damnationis, ex alio motiuo fuerit compoſsibilis cum voluntate beneplaciti ſaluationis omnium, de ea tamen rigida voluntate nullatenus conſtat: & ſanè ſi in Deo eſſet deſiderium damnationis omnium, ſicut eſt deſiderium ſaluandi omnes, commēdatio Pauli, qua commendat volū luntatem Dei ſaluandi omnes, non eſſet tanta, quanta ibi indicatur, deſiderium autem ſaluationis omnium eſſe Deo liberū, & etiā poſſe haberi à Deo liberè deſiderium, excludendi omnes à gloria, dicem. difficult. ſequenti.

Ad fundamentum autem aduerſariorum reſpondemus, ex eo, quòd non omnes ſaluentur, tantum deduci non eſſe in Deo voluntatem, beneplaciti efficacem ſaluandi omnes; quia voluntas efficax, de qua tantum eſt ſermo Pſalm. 113. & Iſaiæ 46. Semper impletur, & eſſet imperfectionis, non impleri: non verò deduci, non eſſe in Deo voluntatem inefficacem: quia hæc non neceſſario impletur: neque eſt imperfectionis, non impleri, neque non impleri eſt indiciū, quod non ſit in Deo.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm voluntas diuina beneplaciti ſaluandi omnes ſit libera, an neceſſaria?

SVpponimus, vt optimè Vazquez diſp. 83. num. 11. & Suarez cap. 2. dictam voluntatem beneplaciti ſaluandi omnes, verſati circa ſalutem omnium conſideratam, vt futuram, ita vt tendat in exe cutionem, & futuritionem ſaluationis omnium (quanuis non effici-

citer)quia Deus non ſolum gaudet, quòd omnes poſsint ſaluari; ſed re vera cupit,ſeu deſiderat,quod omnes de facto ſalui fiant, vt inſtat ex relatis verbis Pauli. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt,quod ſalui fiant. Et id docuit Chryſoſt. dum in hæc verba Pauli ait: Deum vehementer deſiderare noſtram ſalutem,deſiderium autem ad executionem, ſeu futuritionem tendit: ad quod quanuis inefficax ſit, ſufficit, quod præſupponatur notitia ſimplicis, intelligentiç executionis,ſeu futuritionis poſsibilis,ſicut etiã ſufficit, ad deſiderium efficax.

Hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt,an dicta volũtas, qua Deus cupit,ſeu deſiderat,quod omnes ſalui fiant,ſit libera,an neceſſaria.

Circa quam non deſunt,qui exiſtiment non eſſe neceſſariam, & id indicat Vazq.in eo n.11.& probari poteſt.

Primò,quia hoc quod eſt homines ſaluari conſideratum, vt futurũ,circa quod,vt ſic,verſatur dictum deſiderium Dei,non poteſt,nõ placere Deo;quia vt ſic eſt bonum.

Secundò,quia non videtur Deum habere poſſe actum liberũ,circa obiectum creatum,niſi exvi talis actus immediatè reſultet aliqua mutatio in obiecto illius, ſed ex eo actu deſideriderij inefficacis, nulla reſultat mutatio in ſaluatione omnium: ergo non eſt libera.

Suarez verò lib.3.cap.2.num 8.Arrub.diſput.50.capit.2.Herice, diſput.23.cap 11.& Alarcon diſput.6.capitul.3. docent, & meritò eam voluntatem eſſe liberam,quòd ſatis indicat Proſper.vbi ſuprà dum ait,eam voluntatem pertinere ad gratuitam Dei beneficentiã, erga homines.

Et id probatur primo ab inconuenienti;quia aliàs Deus non minus diceretur deſiderare, quòd humanitates omnium hypoſtaticè aſſumerentur;quia futura aſſumptio omnium,nõ eſſet minus bona, quàm omnium ſaluatio,quod admittẽdum non eſt:aliàs ſicut Paulus exhortatur,quod fiat oratio pro omnibus;quia Deus cupit omnes ſaluari,poſſet etiam exhortari,vt fieret oratio pro aſſumptione hypoſtatica omnium,ſi Deus eam deſideraret;imò etiã nunc Deus diceretur,deſiderare ſaluationem damnatorum; quia idem eſt obiectum,& eodem modo bonum.

Et ratione à priori probatur; quia dictum deſiderium tendit in bonum, quod non præſupponitur eſſe; quia tendit in executionem gloriæ; quia tendit in gloriam,vt fiat(quanuis inefficaciter,& ideò ex vi illius non ſit futura)ergo non conuenit Deo neceſſariò:ſed liberè quia, vt conſtat ex dictis diſput.3.difficult.1. volitio efficax efficiendi aliquid conuenit Deo liberè; quia tendit in ob-

obiectum, vt fiat, & fit, quod nondum præsupponitur esse: volitio enim diuina solùm fertur necessario in obiectum, quòd præsupponitur esse.

Ad priorem ergo rationem aduersariorum, negamus saluationem hominum, vt futuram, seu executioni mandandam, non posse, non placere Deo; quia quanuis sit bonum quoddam, non tamen præsupponitur ad volitionem Dei; quia potuit sua volitione tendere in eam, vt fiat, & sit, quanuis solùm inefficaciter.

Et ad posteriorem respondemus, maiorem tantum esse veram; quando actus liber est efficax, non verò, quando tantum est inefficax, qualis est dicta voluntas, qua Deus ex se ipso cupit omnes homines saluos fieri.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm voluntas saluandi omnes sit absoluta, an tantum conditionata?

SVarez lib. 4. cap. 2. Ruyz disp. 19. sect. 11. & 12. & Fasolus artic. 6. dub. 1. docent esse conditionatam ex parte obiecti, quanuis sit absoluta ex parte actus, ita vt verè vellit omnes saluos fieri, sub condi tione, si ipsi velint, aut sub alia. Quibus fauet Ambrosius, Chrysostomus, & alij Patres, 1. ad Timoth. 2. dum asserunt Deum velle, saluare hominem, si ipse velit. Et ratione probatur; quia ea voluntas est efficax; quia ex ea Deus mouetur ad offerenda media, vt impleatur, & executioni mandetur; sed si efficax est, nequit esse omnino absoluta; quia necessario impleretur, est ergo cõditionata ex parte obiecti, seu inuoluẽs conditionẽ ex parte illius, ex cuius conditionis defectu, non impletur, quanuis efficax sit.

Vazquez verò disput. 83. capit. 3. & Alarcon disput. 6. capit. 3. docent, & merito eam voluntatem, non solùm esse absolutam ex parte actus; sed etiam ex parte obiecti: Quòd indicat Paulus, dum absolutè, & absque vlla limitatione ait: *Deum velle omnes homines saluos fieri*. Et ratione probatur; quia ea voluntas non est efficax, neque amplius, quam simplex desiderium, quo Deus cupit, & desiderat omnes homines saluos fieri, vt indicat Chrysostomus Homil. 1. in Epistol. ad Ephes. dum eam diuinam voluntatem appellat desiderium, & ex nullo capite potest amplius deduci, adhuc ex oblatione mediorum, quæ Deus offert; quia oblatio hæc oriri potest sufficiẽter ex simplici desiderio, sicut

ex

ex simili, quo Pater in humanis, desiderat filium euadere doctum offert illi pecunias, & alia ad id necessaria: si ergo dicta voluntas, nō est amplius, quam inefficax desiderium, non est cur dicamus inuoluere conditionem aliquam ex parte obiecti: sed esse omnino absoluram; quia tamen dictum desiderium talis est naturaturæ vt virtute contineat voluntatem efficacem saluandi, non quę actu, & expressè sit in Deo (quia esset superflua) sed quæ esset, si non obstarēt peccata, ideo ratione huius dici potest, quòd Deus habeat voluntatem efficacem saluandi omnes conditionatam, etiam ex parte actus; seu quòd idem est, quòd Deus vellet, efficaciter saluare omnes, si hæc, aut illa conditio subsisteret. Et ita intelligendi sunt Ambr. Chrysost. & alij Patres pro aduersarijs adducti, quando indicant in Deo eam voluntatem esse conditionatam, & ex his patet ad fundamentum aduersariorum.

DISPVTATIO QVINTA.

De varijs affectibus voluntatis diuinæ.

DIFFICVLTAS I.

Quotuplex sit volitio Dei.

OMissis diuisione voluntatis, seu volitionis diuinę, in efficacem, & inefficacem, & diuisione in absolutam, & in conditionatā, & quia faciles sunt, & quia iam sunt explicatæ, duæ super sunt, in hac diffic. explicandæ.

Prior est, qua volūtas ratione Dei, tā efficax, quā inefficax diuiditur in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti: voluntas signi est non vera, & propria volitio; sed signum externum, quo Deus, ita se gerit exterius, ac si haberet veram volitionem, siue eam habeat, siue non, quę continetur Genes. 22. dum præcipit Abrahæ immolare filium suum, quem tamen voluit Deus non immolari. Vnde signum, quod dicitur voluntas, seu volitio Dei, vt optimè Sanct. Thom. ar. 12. Ad secundum dicitur talis, non quia sit signum, quod Deus verè velit; quia in nobis solet esse signum verè volendi, eo enim signo Deus se gerit, instar hominis volentis; & ideo in Deo dicitur voluntas, quanuis non propria, sed metaphorica, sicut punitio: quia in nobis est signum veræ iræ, dicitur in Deo ira (quanuis in Deo non

non ſit verè,& propriè ira) quia puniendo ſe gerit inſtar hominis iraſcentis:ſigna autem quibus Deus ſe gerit inſtar hominis volentis,ſaltem ſunt quinq,nempè præceptum,prohibitio,conſiliũ,permiſio,& operatio.

Voluntas verò diuina beneplaciti eſt vera,& propria volitio,qua res aliqua verè placet,de qua eſt Sermo Mat. 11. *Ita Pater quoniam ſic fuit placitum ante te.*

Hæc autem diuiſio voluntatis,in voluntatem ſigni,& in voluntatem beneplaciti,tantum eſt analogi in analogata;quia volũtasſigni, vt ſigni etiam in nobis,non eſt vera volũtas,ſed tantùm metaphorica,quia tantùm eſt voluntas,quia eſt ſignum voluntatis:imò in Deo ipſa ſigna,non ſunt verè ſigna,ſed tantùm metaphoricè: quia in eo nõ ſunt verè ſigna,ſed tantùm dicuntur ſigna per analogiam, ſeu ſimilitudinem ad ea quinq;ſigna, quæ in nobis ſunt ſigna veræ volũtatis,& ob id quãuis in Deo no ſit vera volũtas,dicta tamẽ ſigna non ſunt falſa,ſicut ſunt in nobis deficiẽte volũtate:quia ſcilicet in Deo nõ ſunt verè ſigna:ſed tantùm dicuntur metaphoricè ſigna,per analogiam ad ſigna in nobis.

Poſterior eſt,qua voluntas diuina, tàm efficax, quàm inefficax diuiditur in antecedentem,& conſequentem, ſeu in primariam,& ſecundariam,quę diuiſio eſt Theologis ſatis per vulgata, & deſumpta ex Damaſceno 2.de fide,cap.29.& ex Chryſoſt.hom. 1.in Epiſt. ad Epheſ.

Diuiſio hæc voluntatis diuinę,non eodem modo ab omnibus declaratur:omiſsis autem varijs explicationibus duæ nobis magis placent,prior eſt Sancti Thomæ ar.6.ad primum, vbi voluntatem antecedentem vocat eam,quæ verſatur circa res ſecundum ſe, vt puram à circũſtantijs,vt voluntas,qua iudici diſplicet punire hominem abſolutè,& ſecundum ſe conſideratum:conſequenter verò vocat eam voluntatem,quæ verſatur circa rem conſideratam,cum aliqua circunſtantia, vt voluntas, qua iudex vult punire hominem conſideratum cum delicto: antecedens autem dicitur antecedens:quia eſt circa rem,ſecũdum ſe,quæ vt ſic eſt prior, quã cum circunſtantia.

Et conſequens,dicitur cõſequens;quia eſt circa rem, nõ cum circunſtantia,quæ vt ſic,eſt poſterior ipſa ſecundum ſe.

Poſterior explicatio,quæ ferè coincidit cum iã dicta, nobis maximè probatur:quia eſt conformis menti Damaſceni,& Chryſoſtomi,& maximè quadrat ipſis nominibus antecedentis,& cõſequẽtis, & eam adducunt Vazq.diſp.83.& Suar.lib.3.de Attribut.cap.8.nẽpè,vt ea voluntas,ſeu volitio diuina dicatur antecedens, qua Deus

aliquid vult ex ſe ipſo nulla ocaſione ſumpta, ex noſtris bonis, aut malis operibus, ſeu antecedenter ad noſtra opera, qualis eſt voluntas, qua Deus Angelos creauit, & qua Deus cupit, ſeu deſiderat gloriam omnibus viatoribus. Conſequens verò dicitur illa, qua Deus vult aliquid ſumpta occaſione ex noſtris operibus, ſeu poſt viſa noſtra opera, qualis eſt voluntas puniendi peccatores, in ſtatu peccati morientes, & præmiandi iuſtos, benè operantes in ſtatu iuſtitiæ morientes.

His duobus prædictis membris, huius diuiſionibus poteſt addi, aliud tertium, nempè voluntas, ſeu volitio comitans, qua Deus comitatur cauſas ſecundas, in operando, concurrendo, videlicet cũ illis ad ſua opera, & non antea, neque poſtea, ſed ſimul cum illis ſimultate etiam naturæ; quia opera earũ indiuiſibiliter re ipſa procedunt ab ipſis, & à Deo.

DIFFICVLTAS II.

Qui affectus proſequutionis conueniant Deo?

SVpponimus in voluntate noſtra alios eſſe affectus conſiſtentes in proſequutione, vt ſunt amor ſtrictè, & ſpecialiter ſumptus, deſiderium, & gaudiũ, & alijs conſiſtentes in fuga cõtrarijs dictis, vt ſunt odium ſpecialiter ſumptum, timor, & triſtitia.

Amor ſpecialiter ſumptus eſt affectus proſequutionis, qui verſatur, circa rem bonam, ſecundum ſe prout abſtrahit à præſente, & abſente, ſeu prout abſtrahit ab adepta, & non adepta. Deſiderium eſt affectus proſequutionis, qui verſatur circa rem, vt futuram, ſeu vt adipiſcendam, qui affectus quando appetens eam appetit ab alia perſona dicitur ſpes: gaudiũ eſt affectus proſequutionis, qui verſatur circa rem, vt præſentem, ſeu vt adeptã in ea vitaliter quieſcẽdo: quia quando circa eã, vt adeptam verſatur in ea, non quieſcẽdo vitaliter, dicitur ſimplex, ſeu pura cõplacentia, nihilominus quãdo eſt in perſona, nõ impedita à dicta vitali quietudine etiam dicitur gaudiũ; quia eſt tale cauſaliter; quia in ea perſona, regulariter eſt cauſa dictæ vitalis quietudinis.

Odium ſtrictè, & ſpecialiter ſumptum eſt affectus fugæ, circa rem, ſecundum ſe prout abſtrahit ab adepta, & non adepta. Timor eſt affectus fugæ, circa rem, vt futuram, ſeu prout adipiſcendam nollendo, quòd fiat præſens, ſeu acquiratur: triſtitia eſt affectus

ctus fugę, circa rem, vt præſentem, ſeu vt adeptam, qui etiam poteſt eſſe duplex (ſicut ſuo modo gaudium) alter ſimplicis, ſeu puræ diſplicentiæ, quæ formaliter non ſit inquietudo vitalis, ſeu afflictio, qualis eſt in beatis diſplicentia de peccatis noſtris: imò & de proprijs in vita mortali commiſsis, & alter diſplicentiæ, quæ ſit formaliter inquietudo vitalis, ſeu angor, & afflictio, qui affectus: in o etiã prior diſplicẽtia in ſubiecto capaci, & nõ impedito dicitur triſtitia, & dolor: quia cauſaliter eſt talis, quia in eo ſubiecto regulariter eſt cauſa triſtitiæ, & doloris.

Quo ſuppoſito, circa affectus proſequutionis conueniunt primo Doctores, in Deo reperiri amorem quo ſe ipſum, & creaturas rationales, ſeu intellectuales amat, quòd eſt adeo manifeſtum, vt probatione non egeat.

Eſt tamen difficultas, an in Deo ſit amor, non ſolùm latè, & generaliter ſumptus pro proſequutione in quocunque affectu reperta, ſed etiam ſtrictè, & ſpecialiter ſumptus, vt ratione diſtinctus à gaudio, & deſiderio.

Herice diſput. 13. capit. 6. & alij recentes Deo, negant amorem ſtrictè ſumptum, prout à gaudio diſtinctum, quo ſibi velit, & amet ſuas intrinſecas perfectiones, quòd etiam ſentit Albiz diſput. 4. & ſatis indicat Arrubal in notationibus ad queſtion. 20. numero 3. quia amor ſtricte, & ſpecialiter ſumptus, prout diſtinguitur à gaudio, quòd verſatur circa bonum, vt præſens, ſeu vt poſſeſſum, & à deſiderio, quòd verſatur circa bonum, vt futurum, ſeu vt poſsidendum verſatur circa bonum, ſecundum ſe, vt præciſum à præſente, ſeu poſſeſſo, & à futuro, ſeu poſsidendo: ſed nullus eſt affectus in Deo, circa ſuas perfectiones intrinſecas, quas ſibi vult, & in quibus placet, qui verſetur circa illas, vt præciſas à poſſeſsione ipſarum; quia intellectu diuino, quo eius voluntas quaſi ducitur ad affectus, nequeunt præſcindi à poſſeſsione, & præſentia, ſeu exiſtentia actuali: quia poſſeſsio, ſeu præſentia ipſarum, eſt re ipſa omnino, & indiuiſibiliter indiſtincta, & eadem cum ipſis, & intellectus diuinus ea omnia intuetur, vt in ſe ſunt: ergo in Deo nullus eſt affectus circa ſe ipſum, & circa ſuas perfectiones qui ſit ſtrictè, & ſpecialiter amor, ſed tantum gaudium.

Suarez verò lib. 3. de Attributis cap. 6. Ruyz diſp. 52. ſection. 1. Alarcon diſp. 7. cap. 1. & communiter Doctores docent, in Deo eſſe amorem ſtrictè, & ſpecialiter ſumptum, circa ſuas intrinſecas perfectiones, quo eas ſibi amat, & vult, diſtinctum ratione à gaudio, & à deſiderio, & meritò: quia Deus ſibi vult, & amat ſuas intrinſecas

perfectiones, nempè ſapiẽtiam, iuſtitiam, miſericordiam, & aliàs nõ ſolùm vt à ſe habitas, ſeu poſſeſſas: ſed etiam vt ſecundùm ſe bonas, ſeu ipſi cõuenientes: quia ex vna parte, nõ ſolũ ſunt poſſeſſæ à Deo: ſed etiam ipſi ſunt, ſecundũ ſe conuenientes, & bonæ: quia poſſeſsio nõ tollit ipſas eſſe, ſecundũ ſe bonas, & cõuenientes Deo: imò ſi nõ eſſent ſecundum ſe bonę earum poſſeſsio, nõ eſſet Deo bona, ſeu cõueniens, quanuis perfectio, vt poſſeſſa, & perfectio, vt bona, ſeu vt conueniens Deo, re ipſa nullatenus diſtinguantur, neque à Deo inter ſe præſcindantur, ſeu diſtinguãtur: & exaltera parte perfectiones diuinæ, non ſolùm, vt poſſeſſæ quaſi mouent diuinam volũtatem: ſed etiam, vt ſecundum ſe bonæ, & conuenientes Deo. quia bonum quãuis poſſeſſum, etiam ſecundum ſe, vt pote verè bonum eſt ſufficiens ad mouendam voluntatem, vt contingit in nobis, qui res, vt ſecundum ſe bonas, & conuenientes poſſumus amare, quanuis ſint poſſeſſæ, & ad earum poſſeſsiones aduertamus, ſiue etiam eas, vt poſſeſſas amemus, ſiue non: ſed tantum, vt ſecundum ſe bonas. Deus ergo, qui ſuas perfectiones intuitiuè cognoſcit, & vt in ſe ſunt, acproinde, vt poſſeſſas, & vt ſecundum ſe bonas: quia verè ſunt poſſeſſę & etiam ſecundum ſe bonæ, eas ſibi amat, non ſolùm, vt poſſeſſas affectu gaudij. ſed etiam, vt ſecundum ſe bonas affectu amoris ſtricti, & ſpecialis re ipſa, eodem cum affectu gaudij, quanuis ab eo ratione noſtra diſtincto.

Addimus Deum non ſolùm ſuas intrinſecas perfectiones, ſibi amare amore ſtricto, & deeis gaudere, ſed etiam creaturas aliquas exiſtẽtes ſibi, & nobis amare, ſibi, v.g. oſtenſiones ſuorũ attributorum, & nobis, verbi gratia, ſanctitatem, qua ſancti ſumus, & alia nobis bona, & de omnibus eis gaudere ob rationem dictam. quia ſcilicet non ſolùm, vt poſſeſſæ ſunt Deo, & nobis bonæ, ſed etiam ſecundum ſe.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, amorem ſtrictum verſari circa bonum, ſecundum ſe, vt præciſum à præſenti, ſeu poſſeſſo, ſumpta particula *præciſum*, non prout eſt idem quod ſeparatũ à poſſeſsione, adhuc per cognitionem: quia ad dictũ amorẽ, nulla requiritur ſeparatio, & præciſio: quia obiectum poſſeſſum, etiam cognitum, vt tale poteſt amari dicto amore ſtricto, ſi etiam cognoſcatur, vt ſecundum ſe conueniens ſubiecto, ſed ſumpta particula *præciſum*, vt idem eſt, quòd non requirens poſſeſsionem, neque cognitionem poſſeſsionis: quia ad eũ amorẽ ſufficit ſola bonitas, ſeu conuenientia obiecti ſecundũ ſe, & cognitio illius, non requiſita bonitate poſſeſsionis, neq; cognitione illius: Imò impertinenter ſe habẽtibus: vnde quãuis Deus nequeat cognoſcere bo-

bonitatem obiecti ſecundum ſe, vt diſtinctam à bonitate poſſeſſionis, dum verè cognoſcat bonitatem obiecti ſecundum ſe, quanuis vt indiſtinctam à bonitate obiecti, vt poſſeſſi, verſabitur circa illud affectus ſtricti amoris, quanuis etiam verſetur, circa illud, vt poſſeſſum affectu gaudij.

Obſeruandum eſt hunc amorem ſtrictum, quo Deus ſibi amat ſuas perfectiones intrinſecas, & oſtenſiones ſuorum, attributorum eſſe amorem beneuolentiæ, erga ſe ipſum, vt patet, & conſequenter etiam eſſe amorem charitatis; quia non diſtinguitur ab amore beneuolentiæ, erga perſonam intellectuarem; imò & amorē quo perſonæ diuinæ, ſibi mutuo amant dictas perfectiones intrinſecas, & extriſecus eſſe amorem mutuum amicitiæ inter ipſas; quia verè eſt beneuolentiæ, & erga alias perſonas, de quo latè Ruyz diſput. 52. ſect. 4.

Secundò, conueniunt Doctores in Deo reperiri ſtrictè, & formaliter gaudium, ſeu delectationem, & lætitiam, & non ſolùm de bono ſuo; ſed etiam de bono noſtro; quia gaudium eſt de bono præſente, vt præſente, ſeu poſſeſſio, & nō ſolùm eſt ſibi bonum præſens, ſed etiam nobis.

Tertiò conueniunt communiter Doctores, in Deo eſſe deſiderium ſtrictè, & formaliter ſaltem boni noſtri, tàm efficax, quàm inefficax, quo nobis deſiderat bona: quia plura bona nobis deficiunt, quæ poteſt nobis deſiderare.

Addimus *ſaltem boni noſtri*: quia ſibi, nihil intrinſecū deficit, neque deficere poteſt, quòd poſsit ſibi deſiderare: quia tamē ſibi deficiunt, aut deficere poſſunt bona aliqua extrinſeca, vt laudari, & glorificari à nobis, ideò poteſt in Deo admitti deſiderium ſtrictè, quo ſibi ea deſideret.

Sed quanuis in Deo admittatur deſiderium ſimplex, tàm efficax, quàm inefficax, non tamen omne; quia in Deo non admittatur ſpes, vt dicimus Tract. de Spe, diſp. 1. difficul. 11. quia ſpes eſt deſiderium boni, non exiſtentis in poteſtate deſiderantis: quodcumque autem bonum extrinſecum, quòd Deus poteſt deſiderare, eſt in ſua poteſtate, etiam bonum, quod eſt nobis bonum liberum: quia cuiuſcumque, adhuc Regis in manu Domini eſt, & quocumque voluerit inclinabit illud. Quòd autem ad deſiderium futuritionis, tàm efficax, quàm inefficax ſufficiat Deo cognitio ſimplicis intelligētiæ poſsibilitatis futuritionis, diximus diſp. 4. dif. 4.

Obſeruandum eſt in quocumque affectu proſequutionis eſſe duplicem reſpectum alterum ad perſonam cui volumus bonum, tāquam ad finem *cui*: alterum ad bonum ipſum, quòd volumus perſo-

ne, tanquam ad finem *qui*: affectus autem prosequutionis, prout respicit personam, cui volumus bonum dicitur affectus beneuolentiæ, & prout respicit bonum ipsum, quod volumus personæ dicitur, affectus concupiscentiæ: Deus ergo suis affectibus prosequutionis desiderij videlicet, & amoris, & gaudij, non solùm se ipsum prosequitur affectu beneuolentiæ, quatenus sibi prosequitur bonum: sed etiam creaturas ipsas intellectuales, quibus etiam affectu beneuolẽtiæ prosequitur multa bona, iuxta illud Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mũdum, vt filium suum vnigenitum daret.* Creaturas verò irrationales, vt pote incapaces affectus beneuolentiæ, etiam passiuæ, vt constat ex Aristotel. 8. Ethic. cap. 2. non prosequitur, nisi affectu concupiscentiæ; quia eas sibi, aut etiam nobis prosequitur, & quamuis ipsis velit aliqua bona, vt conseruationem, & alia; sed non ob ipsas ex beneuolentia erga ipsas, sed ex beneuolentia sui, ob suam glorificationem, & aliquando etiam ex beneuolentia nostri, ob nostram commoditatem. Ita tamen Deus sibi, & nobis prosequitur bona affectu beneuolentiæ, vt etiam ea prosequatur affectu charitatis: quia hìc non distinguitur ab affectu beneuolentiæ: Imò nobis etiam affectu amicitiæ, quæ tantum versatur erga alterum, & quęcumque persona diuina alijs duabus: quia talis affectus est ad alterum, quamuis necessario sit mutuus, affectus autem quo Deus sibi, vt Deo prosequitur bona, non est amicitiæ; quia vt sic non est ad alterum. De quo latè Ruyz disput. 52. section. 4. Quo autem superaddito indigeat affectus beneuolentiæ, vt sit amicitiæ dicimus Tract. de Charit. disp. 1. dif. 6.

DIFFICVLTAS III.

Qui affectus fugæ Conueniant Deo?

COnueniunt DD. in Deo esse odium, vt constat ex illo Sapiẽt. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

Est tamen difficultas, an in Deo sit odium propriè, an tantùm Metaphoricè?

Capreolus in 1. dist. 45. art. 1. Ferarrien. 1. contra Gent. cap. 90. & alij docent in Deo, non esse propriè odium, adhuc respectu peccati, & peccatoris: sed tantum Metaphoricè quatenus puniens peccatum, & peccatorem se habet instar odientis.

Et in primis quod Deus, non habeat propriè odium respectu peccati (quod dicitur odium abominationis) probatur: quia propriè

priè odium tantum refertur ad ſubſiſtentis, ſeu ad ſubſtantiã, peccatũ autẽ non eſt ſubſiſtens, ſed accidens deinde quod non habeat propriè odium reſpectu peccatoris (quòd dicitur odium inimicitiæ, ſeu maleuolentiæ) probatur; quia propriè odium maleuolentiæ, eſt velle alicui malum vt malum illius eſt: nulla autem voluntas, neque creata, neq; diuina ferri poteſt in malũ, vt malum eſt: ergo Deus nequit odio propriè ſumpto habere peccatorem.

Ruyz diſp. 54. docet in Deo eſſe propriè odium abominationis reſpectu peccati, non verò eſſe propriè odium inimicitiæ, ſeu maleuolentiæ reſpectu peccatoris; priorem partem probat ratione poſtea à nobis adducenda pro ea: poſteriorem verò probat; quia Deus nulli peccatori, ad huc in æternum damnato vult malum, verbi gratia, pœnæ, vt malum illius eſt; ſed vt eſt ei aliqua ratione bonum, nempè vel vt vtile ad eius correctionem, ſi peccator adhuc eſt in via, vel vt eſt ei vtile, vt ſit ſubiectus iuſtitiæ, quòd eſt ipſi bonum, ſicut Pater creatus puniens Filium, non vult ei eam pœnam, vt ei malam; ſed vt ei bonam, nempè vt ei vtilem ad correctionem.

Vazquez verò diſp. 84. cap. 3. Arrubal quæſt. 20. num. 6. Herice diſp. 20 cap. 4. Albiz diſp. 9. ſect. 1. & Alarcon diſp. 7. cap. 3. docent. Et merito in Deo eſſe propriè odium, non ſolùm abominationis peccati; ſed etiam maleuolentiæ peccatoris, quòd nos diximus Tract. de Charit. diſp. 8 dif 1.

Et in primis in Deo eſſe propriè odium abominationis peccati, probatur: quia peccatum quanuis non ſit ſubſiſtens, ſeu ſubſtantia, Deo maximè diſplicet, & ex complacentia ſui; quia ſibi eſt offenſiuum, & ex complacentia ipſius peccatoris, vt eſt creatura; quia eſt ei noxium: ergo Deus propriè odit peccatum, odio abominationis.

Deinde in Deo eſſe propriè odium maleuolentiæ peccatoris, probatur, quia Deus peccatori vult malum, vt malum illius eſt; quia ei vult malum, vt habet rationem pœnæ: pœna autem, vt pœna eſt malum eam patienti, quanuis non velit ei illud malum, ex diſplicentia illius, vt creatura eſt; quia ei, vt ſic vult aliqua bona ex beneuolentia ſecundum quid etiam ipſam pœnam; quia non ſolùm eam illi vult, vt pœnam: ſed etiam, vt vtilem ad alios fines, illi bonos ſupra ab aduerſarijs relatos; ſed vult ei illum malum, quatenus peccator eſt; quia vt ſic eſt Deo inimicus, quòd ſufficit ad odium maleuolentiæ, ſeu inimicitiæ, ſicut Pater creatus puniens Filium flagitioſum cum odio aliquando habet, vt flagitioſum, quanuis non inimicum, & amat amore beneuolentiæ, vt filium. Deus ergo pro-

priè odio maleuolentiæ ſimpliciter verſatur, circa peccatorem, vt peccatorem & ſibi ſimpliciter inimicum, & etiam affectu beneuolẽtiæ, ſecundum quid, circa eundem, vt ſuam creaturam.

Ad prius ergo fundamentum aduerſariorum reſpondemus, quòd quanuis odium maleuolentiæ, vt eſt odium, & fuga tantùm referatur ad ſubſtantiam: imò tantum ad rationalem, ſeu intellectualem, odium tamen abominationis, etiam poteſt ad accidens referri, v.g. ad ægritudinem: non ergo mirum eſt, quòd in Deo referatur ad peccatum.

Ad poſterius verò reſpondemus, quòd quanuis voluntas nequeat ferri in malum, vt malum eſt, affectu puræ proſequutionis, benè tamen affectu, qui etiam ſit fuga reſpectu alicuius perſonæ; quia ei tanquam inimico appeti poteſt malum, vt ipſi malum, aliàs neque in nobis poſſet eſſe affectus odij maleuolentiæ; quia affectu odij maleuolentiæ, qui indiuiſibilis eſt, & vnus ſecundùm ſpeciem, non poſſumus ferri in malum, vt bonum eſt; quia non vt bonum inimico, vt patet, neque vt bonum alij perſonę, quia aliàs vnus, & idem numero affectus eſſet odium maleuolentiæ vnius perſonæ, & amor beneuolentiæ alterius, quòd eſt falſum: affectus ergo odij maleuolẽtiæ, quo volumus alicui perſonæ malũ fertur in perſonã reſpectu, quo dã diſplicẽtiæ, ſeu fugæ, & in malũ, vt malũ ei perſonæ volitũ, fertur reſpectu quodã proſequutionis, itaut malitia moueat voluntatẽ ad proſequendum illud inimico, qui ipſi proſequenti diſplicet.

Deinde, vt aduertunt Vazquez, Herice, Albiz, & Alarcon, eadem proportione, qua in Deo reperitur odium amori oppoſitum, etiam reperitur affectus fugę, deſiderio oppoſitus (qui ſpecialiter dicitur fuga) quo Deus fugit nobis mala, quæ nobis euenire poſſunt, imò & quo ſibi fugit mala extrinſeca, quæ ſibi poſſunt euenire: quia ſicut nobis deſiderat multa bona, v.g. vitam iuſtam, & ſibi multa bona extrinſeca, v.g. laudem: ita etiam nobis fugit multa mala, v.g. vitam flagitioſam, & ſibi multa mala extrinſeca, verbi gratia, blaſphemiam.

Deſperatio verò nullatenus Deo conuenit, ſicut neque ſpes, ob eandem proportionalẽ rationem, ob quã diximus in Deo nõ reperiri ſpem: quia ſcilicet nullum malũ fugit ſibi, neque alijs, quòd non ſit in ſua poteſtate impedire.

Neque Deo conuenit timor; quia affectus timoris ſupponit ignorantiam, aut dubitationem euentus mali futuri, quæ Deo conuenire non poſſunt.

Triſtitia quoque, ſeu dolor, qui gaudio opponitur Deo, conuenire non poteſt, non ſolùm de malo proprio: quia non de intrinſeco;

co; quia nullum tale ſibi poteſt euenire, neque de extrinſeco, vt de blaſphemia; quia ſibi nullo modo nocet, ſed neque de malis noſtris, non quia triſtitia ſolum poſsit eſſe de malo proprio; quia eſſe etiam poteſt de malo amici, ſicut gaudium quòd triſtitiæ opponitur poteſt eſſe de bono amici, & ideò in Deo admiſsimus gaudium de bono noſtro, ſed quia triſtitia ſeu dolor non oritur ex diſplicencia mali præſentis in eo, qui poteſt malum illud facilè impedire, & repellere, vt poteſt Deus.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm in Deo ſit propriè, & formaliter ira?

CIrca hanc difficultatem, quæ magis eſt de nomine, quàm de re Lactantius, lib. de ira Dei à c. 17. quem ſequitur Suarez diſput. de iuſtitia Dei, quæſt. 5. & lib. 3. de attributis, cap. 7. docet iram propriè conuenire Deo; quia exiſtimat iram formaliter, nihil aliud eſſe, quam affectum puniendi peccata, qui non eſt Deo denegandus; quia in eo afectu nulla includitur, neque ſupponitur imperfectio.

S. Thom verò, quæſt. 19 art. 11. Vazq diſp. 84. cap. 4. Heric diſp. 20 cap. 4. Ruiz diſp. 54 ſect. 5. Albiz, Alarcon, & alij, docent in Deo non reperiri iram propriè ſumptam. Et meritò; quia ira formaliter ſupponit in eo, qui iraſcitur triſtitiam, ſeu dolorem ab aduerſario acceptum, quem illi rependere contendit; quia vt docet Ariſtot. 1. de anima tex. 16. *Ira eſt appetitio doloris viciſsim inferendi*, & in idem redit, quòd docet 2. Rhetoric. cap. 2. & 4. dum ait: *Qui iraſcitur dolet.* Et ita docet iram eſſe appetitum vltionis cum dolore: & Ariſtoteli conſentiunt Damaſcenus 2. de fide, cap. 16. & Niſſenus lib. 4. Philoſophiæ, cap. 13. dum dicunt iram eſſe appetitum recruciationis, quãuis ergo in Deo ſit affectus puniendi peccata; quia tamen non eſt doloris illati, aut cruciationis vindicta, ideò non eſt Deo tribuenda propriè ira: ſed tantum metaphoricè; quia ſcilicet puniendo ſe gerit inſtar hominis iraſcentis, & vindicantis cruciationem ſibi illatam, ex quo conſtat fundamentum aduerſariorum nullius eſſe momenti.

In Deo ergo reperiuntur ſtrictè, & ſpecialiter, & abſque metaphora, amor, deſiderium, & gaudium, & odium, & fuga; quia eſſentialiter nullam includunt, neque ſupponunt imperfectionem: non verò deſperatio, neque timor, neque triſtitia, neque ira; quia eſſentialiter includunt, aut ſupponunt imperfectionem.

DIS-

Tractatus de Voluntate Dei,

DISPVTATIO SEXTA.

De virtutibus voluntatis diuinæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm in Deo sit iustitia commutatiua strictè, & specialiter sumpta?

SVpponimus ex Aristotele 5. Ethic. cap. 3. & 4. æqualitatem debitam, quæ est obiectũ iustitiæ propriè, & strictè, & specialiter sumptæ duplicem esse: alteram inter rem, & rem vt inter rem venditam, & inter pretium, quæ dicitur Arismethica, & circa eam versari iustitiam commutatiuam, tãquam circa obiectum, & alteram esse æqualitatem inter vnam proportionem, & inter alteram, qualis est æqualitas inter bona proportionaliter distribuenda ex vna parte: & ex altera inter proportionem meritorum plurium personarum, quibus facienda est distributio, quę æqualitas dicitur Geometrica; quia est proportio proportionum, & circa hanc versari iustitiam distributiuam: de quo latè dicimus tract. de iustit. & iur disp. 2 diffic. 10.

Circa difficultatem ergo Suarez disp. de iustit. Dei, sect. 2. Aluarez 3. par. disp. 4. Rebel lib. 1. de iustit. quæst. 4. sect. 3 Ragussa 3. par. disp. 3. Tanner quæst. 10. de voluntate, disp. 2. dub. 2. & Granad. tract. 10. disp. 4. sect. 2. docent in Deo esse iustitiam commutatiuam strictè, etiam secluſa diuina promissione. Quòd significari videtur, ad Hebreor. 6. illis verbis, non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, vbi gloria, quæ retribuitur pro meritis, dicitur merces, & corona iustitiæ, & est iustitia, seu æqualitas inter rem, & rem; nempè inter gloriam, & inter merita: ergo in Deo admittenda est iustitia cõmutatiua strictè, & specialiter; quia quoties scriptura potest propriè & strictè explicari, non est ad metaphoras, neque ad latam significationem recurrendum.

Et ratione probatur; quia in obiecto iustitię commutatiuæ formaliter, & strictè sumptæ, nulla includitur, neque supponitur imperfectio: ergo non est Deo deneganda. Consequentia patet, antecedens autem probatur; quia quamuis iustitia commutatiua humana, ratione sui obiecti, seu materiæ circa quam versatur, includat imperfectionem, aut supponat, in obiecto tamen iustitiæ commutatiuæ formaliter, & per se sumpto, nulla includitur, neque supponitur imperfectio;

fectio; quia obiectum formale, & per se iustitiæ commutatiuæ nihil aliud est, quam ius alterius rigorosum, & proprium, seu in re (quòd dicitur dominium) siue ad rem, ita vt actus iustitiæ commutatiuæ formaliter nihil aliud sit, quàm actus tribuendi vnicuique id in quo, vel ad quod habet prædictum ius: in eo autem actu nulla includitur, neque supponitur imperfectio.

Scotus verò, in 4. distin 46 quæst. vnica, Medina 1. 2. quæst. 114. art. 3. Vazquez disp. 85. Lorca disp. 44. de gratia, & Alarcon disput. 8 cap. 6. & 7. docent. Et meritò in Deo non reperiri iustitiam commutatiuam strictè sumptã, adhuc facta promissione diuina, quod nos etiam dicimus tract. de iust. & iur. disp. 2. diffic. 8. & id tradit S. Tho. quæst. 21 art. 1.

Et id probatur primo ratione desumpta, ex defectu obiecti ad iustitiam commutatiuam essentialiter requisiti; quia obiectum essentiale iustitiæ commutatiuę, est ęqualitas quę reperitur inter rem, & rem: inter rem videlicet datam, & inter rem acceptam, siue inter datum & acceptum: sed inter Deum & creaturas nequit reperiri dicta ęqualitas: ergo neque iustitia commutatiua. Consequentia patet. Maior autem constat ex Aristot. 5. Etich. c. 2. & 4. & 5. & ex S. Thom. vbi suprà, & ex communi Philosophorum, & Theologorũ consensu, aliàs si non esset datum, & acceptum, non posset esse commutatio, eamque latè probat Vazq vbi supra. Minor autem nempè, quòd inter Deum, & creaturas, nequeat esse æqualitas dati, & accepti, probatur; quia Deus nequit aliquid à creaturis accipere, quod in primis constat ex illo Iob 25. *Si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet, quasi dicat nihil.* Deinde id ratione constat, & quia Deo nihil possumus tribuere, quòd non sit ipsius, cum sit Dominus omnium, & quia quod ei tribuimus, nullius est ipsi vtilitatis, nihilque ei valet, vt ex se patet, & constat ex illo Iob. 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confert si fuerit immaculata via tua.*

Quod si ad hoc respondeas gloriam & honorem, quem Deo reddimus esse maioris momenti, quàm famam & honorem nostrũ, & ideò quanuis non sit Deo vtilis, non minus posse esse materiam iustitiæ commutatinę, quam famam, & honorem nostrum. Contra responsionem est, quòd quanuis sit maioris æstimationis, & ideò sit materia maioris virtutis; nempè religionis in nobis respectu Dei, & sit materia pro qua Deus potest ex gratitudine præmium ad æqualitatem reddere; quia est obsequium sibi factum; quia tamen Deo nullatenus est vtilis, & ex ea nihil emolumenti Deo accrescit; ideò nequit esse materia pro qua possit fieri commutatio iusta, quia nihil Deo datur, quòd ipsi prosit: honoratio verò, qua homines honorã-

tus

antur, quanuis sit eis extrinseca, est tamen eis vtilis, saltem vt contenti viuant, & ideò in hominibus potest esse materia iustitiæ commutatiuæ, de quo dicimus tract. de incarnat. disp. 1. diffic. 10.

Deinde opinio nostra probatur, ratione desumpta ex defectu alteri⁹ tituli ad iustitiã cõmutatiuã, & distributiuã requisiti, quiin Deo deficit; quia vt actus qui versatur circa æqualitatẽ sit actus iustitiæ, siue cõmutatiuæ, siue distributiuæ (pro diuersitate æqualitatis) requiritur in eo qui exercet actus iustitiæ debitum quoddã iustitia faciẽdi eã æqualitatẽ; quiaqui absq; eo debito tribuit, potius dicitur liberalis, aut gratus, aut misericors, quã iustus, sicut qui nõ tribuit, quando nõ est tale debitũ nõ est iniustus. Et in eo qui facit actũ iustitiæ cõmutatiuæ, requiritur debitum iustitię, correspõdens iuri alterius, ratione rei ab eo formaliter, aut æquiualenter acceptæ, sed Deus quanuis admittere velimus ipsum aliquid accretionis à nobis accipere, & quod ipsi sit vtile, & quod illud non sit ipsius Dei, nihilominus ratione talis rei acceptæ, nequit Deus obligari ex iustitia, quanuis intercedat promissio ipsius; quia quanuis promisserit, si non retribueret gloriam, quam promisit, nullam nobis faceret iniustitiam; quia etiam post promissionem manet suppremus Dominus; quia ex promissione non amisit, neque diminuit suum dominium suppremum, & ideò sicut ratione talis dominij ante promissionem, posset absq; iniustitia non dare gloriam, & post datam auferre: ita etiam post promissionem; quia post eam manet idem dominium, absque diminutione aliqua, poterit absque iniustitia gloriam promissam non dare, & post datam auferre (quanuis in eo faceret contra fidelitatem) quia quantum est ex parte dominij salua fidelitate, potest facere, quòdvoluerit: quia ergo Deus ex acceptis, adhuc interueniente pacto, & promissione, non deberet ex iustitia retribuere; ideò æqualitas, quã constituit inter gloriam, & merita, non erit iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ; quia ea æqualitas non est debita ex iustitia, sicut inæqualitas quæ in non retribuendo maneret, non esset in iustitia.

Hoc ergo, quòd est Deum non posse abdicare à se dominium suppremum rerum tantum deseruit, vt Deus nequeat obligari ex iustitia, non verò vt nequeat alteri satisfacere pro re ab eo accepta; quia absque ea abdicatione potest ei alteri fieri satisfatio à Deo; quia absque ea hic alter potest fieri Dominus rei, quæ sibi datur, ac erat Dominus rei, quæ ab ipso fuit data, vndè ad rationem iustitię non est essentialiter requisita re passio in retribuẽte; quia priuetur dominio rei, quam retribuit: sed sufficit retributio; quia ille cui fit, fiat Dominus rei, quæ sibi retribuitur pro alia, cuius alterum fecit Dominum, aut quam consumpsit in vtilitatem illius, & ad hoc solum inter homines requiritur re passio; quia absque hac nequit alter, cui fit retribu-

butio fieri Dominus rei ; quia duo homines nequeunt eiusdem rei esse simul in solidum Domini.

Ad prius ergo fundamentum aduersariorum ex scriptura desumptum concedimus, Deum in ea dici iustum, negamus tamen id debere intelligi de iustitia stricte, & specialiter sumpta ; quia vt diximus Deo repugnat, sed dicitur, iustus primo ratione, quadam communi æqualitatis, cum ratione reperta in quolibet operè virtutis, quòd exercet, ratione cuius æqualitatis, seu conformitatis cum ratione, quælibet virtus dicitur iustitia non stricte, & specialiter; sed communi quadam, & lata significatione: & eodem modo dicitur, iustus iustitia propriè, quatenus propriè distinguitur contra metaphorice, quo modo Deus dicitur propriè sciens, absque metaphora, lata tamen & generali significatione; quia quælibet notitia euidens qualis est in Deo, dicitur scientia, absque metaphora, quanuis non sit discursiua secundo modo Deus dicitur iustus ; quia est nobis fidelis in adimpletione promissionis nobis factæ: fidelitas tamen non est rigorosa iustitia; sed tantum pars potestariua illius. Tertio, Deus dicitur iustus; quia in retributione gloriæ pro meritis seruat æqualitatẽ Arismeticam inter gloriam, & merita non tamen iustitia commutatiua stricte sumpta.

Ad posterius fundamentum ex ratione desumptum, negamus in obiecto iustitiæ commutatiuæ stricte, & specialiter sumptæ, non reperiri, neque supponi imperfectionem : tum quia, vt diximus ex Aristotele, & ex communi omnium applausu obiectum essentiale illius est æqualitas dati, & accepti: hæc autem inter Deum, & nos repugnat; quia in Deo esset imperfectio aliquid à creaturis accipere, & quòd nõ esset suum, & quòd ipsi esset vtile: tum etiam, quia in eo, qui facit actum iustitiæ prærequiritur debitum, seu obligatio correspondens iuri alterius, tanquam quid correlatum: hæc autem obligatione pugnat dominio suppremo, & omnino independenti, quòd Deus habet in omnia; quia ea obligatione, non solum impediretur ab vsu, sicut impediri potest promissione ab ipso facta; sed etiam diminueretur; quia ea obligatione existente non maneret in Deo suppremum dominium, & omnino independens ; quia ea existente non posset, absque iniustitia contra personas creatas non dare rem, neque semel datam auferre.

Deus ergo; quia incapax est accipiendi aliquid â creaturis, quòd non sit suum, & quod ei sit vtile ; & quia est incapax obligationis correspondentis iuri existenti in illis contra ipsum; quia in nullo esse potest; quia id repugnat suppremo dominio, cui omnia alia dominia, & iura subordinantur; ideò est incapax actus iustitiæ commutatiuæ

tiuæ ſtrictè, adhuc per Analogiam ex creaturis translati, quia formaliter nequit, adhuc per Analogiam translatus excludere imperfectionem Deo repugnantem: vndè ad probationem negandum eſt obiectum per ſe commutatiuæ non eſſe æqualitatem dati, & accepti, & quamuis non eſſet; ſed tantum ius alterius, non minus repugnaret Deo iuſtitia commutatiua ſtrictè ſumpta; quia Deo etiam repugnat, quòd in altero ſit ius contra ipſum, & in ipſo obligatio ei iuri correlata. Circa obiectum tamen actus iuſtitiæ commutatiuæ exiſtimamus proximum, & proprium obiectum illius actus, qui eſt actio exterior, qua conſtituitur æqualitas dati, & accepti, eſſe hanc æqualitatem, vt dicimus tract. de iuſtitia, diſp. 3. diffic. 6. ius verò in altero exiſtens, & obligationem huic iuri correſpondentem exiſtentem in faciēre actum iuſtitiæ, ratione cuius ea æqualitas eſt debita eſſe quid requiſitum, tanquam connotatum ab obiecto, vt ea æqualitas ſit debita, quòd non eſt proprium iuſtitiæ commutatiuæ; quia etiam conuenit diſtributiuæ, vt dicemus difficultate ſequenti.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm in Deo ſit iuſtitia diſtributiua ſtrictè, & ſpecialiter ſumpta.

RIcardus & Argentina in 4. diſtin. 46. art. 1. quæſt. 1. Caietanus quæſt. 21. art. 1. Scotus lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 5. art. 4. Suarez diſ. de iuſtitia Dei, ſect 3. & Ruiz diſp. 59. ſect. 1 docent in Deo eſſe iuſtitiam diſtributiuam ſtrictè, & ſpecialiter dictam, & eam reperiri in diſtributione glorię pro meritis. Quod docuiſſe videtur S. Thom. in 2. diſt. 27. art. 3. & 1. contra Gent. cap. 93.

Et in primis eam ſtrictè in Deo reperiri probatur; quia in ea iuſtitia nulla imperfectio reperitur, neque ad eam aliqua præſupponitur. Deinde eam iuſtitiam reperiri in retributione gloriæ pro meritis probatur; quia Deus in ea retributione ſeruat æqualitatē Geometicam ad eam per ſe attendens: ergo ſeruat iuſtitiam diſtributiuam. Conſequentia patet, antecedens autem probatur. Et in primis quoad eius priorem partem; nempè in ea retributione ſeruari æqualitatem Geometricam; quia Deus diſtribuit maiorem, & minorem gloriam pro maiori, & minori merito: deinde quoad eius poſteriorem partem; nempè quod ſeruat dictam æqualitatem ad eam

per

per se attendendo (quòd ad rationem iustitiæ distributiuæ requiritur.) Probatur; quia Deus videt eam seruari, & eam facit, vt suppremus omnium moderator, ad quem expectat in distributione boni communis debitam proportionem seruare: ergo ad eam per se attendit.

Rursus idem antecedens, quoad vtramque partem contineri videtur in Scriptura; quia Ioann. 14. Dicitur, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, vt scilicèt vnicuique pro sua dignitate mansio tribuatur. Et Matth. 20. Supponitur in Regno Dei esse sedem dextram, & siniſtram, quarum distributio non fit, nisi facta collatione personarum, & meritorum inter se, in quo consistit æqualitas Geometrica, seu proportionum, & ad Roman. 2. Deus dicitur reddere vnicuiq; absque acceptione personarum: ergo reddit, & distribuit modo opposito acceptionis personarũ vitio: hoc autem vitium tantum opponitur iustitiæ distributiuæ, in Scriptura, ergo satis insinuatur Deum retribuere, ex iustitia distributiua ad proportionem personarum, & meritorum attendendo.

Sed an in inflictione pœnæ, etiam exerceatur à Deo iustitia distributiua, non conueniunt auctores dictæ sententiæ; quia Caieta. & alij affirmant; quia in ea Deus seruat æqualitatem Geometricam, & ad eam attendens. Sotus verò, & alij negant; quia Deus in punitione non attendit ad proportionem personarum, & meritorum, sed tantum ad æqualitatem inter supplicium, & demeritum.

Bonauentura in 4. dist. 46. art. 2. quæst. 1. Scotus, & Durandus quæst. 1. Paludanus quæst. 1. art. 1. Gabriel articulo 2. Vazquez disput. 86. & prima secundæ disput. 223. Alarcon disput. 8. capitulo 11. & alij docent. Et merito in Deo non esse iustitiam distributiuam strictè, & specialiter sumptam, ex quibus alij id docent, instituentes tantum Sermonem de retributione gloriæ. Vazquez & alij generaliter de omni materia: hanc nostram sententiam satis insinuat Anselmus in Prosologio capitulo 10. dum ad Deum ait: *Iustus es, non quia reddis debitum, sed quia facis quòd docet te summè bonum*. Sentit ergo iustitiam Dei, non esse

strictè iustitiam cum ei tantum tribuat iustitiã ex decentia, & nõ ex debito. Subintellige correspondente iuri alterius, sine quo nequit esse iustitia strictè sumpta.

Vt autem hæc nostra sententia ratione probetur, repetendum est latius, quòd diximus difficultate præcedente, ex Aristotele quinto Etichorum, capitulo 3. & 4. & ex communi Doctorum applausu, nempè obiectum proprium, & per se iustitiæ distributiuæ, prout à commutatiua distinguitur esse æqualitatem Geometricam, quæ ex vna parte versatur inter proportionem bonorum, quæ distribuenda sunt. Et ex altera inter proportionem meritorum plurium personarum, quibus distribuenda sunt, aliàs si dicta æqualitas non esset obiectum peculiare, & per se iustitiæ distributiuæ, non bene per eam solam definiretur, & à commutatiua distingueretur. Vnde iuxta sententiam Aristotelis, quando ex pluribus oppositoribus petentibus vnam Cathedram datur digniori, non est certum seruari iustitiam distributiuam; quia tunc deficit proportio bonorum distribuendorum, quamuis Sanctus Thomas pro certo habeat, & merito non pertinere ad iustitiam commutatiuam; quia tunc non attenditur ad æqualitatem inter rem, & rem, nempè inter Cathedram, & inter Dignitatem personæ cui datur; quia sola æqualitas inter rem, & rem est obiectum peculiare, & per se iustitiæ commutatiuę, vt in omnium sententia contingit quando Cathedra datur vni, qui solus accedit, sed reduci ad distributiuam; quia res datur digniori attenta proportione, & comparatione cum alijs. Ex sententia ergo Aristotelis, & Sancti Thomæ communiter recepta, iustitia distributiua, prout à commutatiua distinguitur respicit æqualitatem Geometricam, vel saltem Semigeometricam, tanquam obiectum proprium, & per se.

Vnde, quando quis non potest integre soluere pluribus creditoribus, & ideo seruata proportione Geometrica soluit, ita vt cui debet centum, soluat quinquaginta, & cui debet quinquaginta, soluat viginti quinque, non solam seruat, iustitiam commutatiuam, quatenus seruat æqualitatem

Ari-

Arithmeticam reddendo quinquaginta ; quia debet quinquaginta , quamuis plus debeat , & reddendo vigintiquinque; quia debet vigintiquinque , quamuis plus debeat , ſed etiam ſeruat iuſtitiam diſtributiuam , quatenus ſolnit ſeruata proportione Geometrica inter debita , & ſolutiones , & vtramque æqualitatem ſeruat propter ſe, & neutram propter alteram ; quia quamuis in eo caſu impotentiæ , non poſſet ſeruari æqualitas Geometrica , niſi ſeruaretur Arithmetica , nec è contra , nihilominus , quamlibet ſeruat propter ipſam ; quia ſoluit, vt extinguat, quòd in eo caſu impotentiæ debet ex vtraque iuſtitia.

Suarez verò immerito , non diſtinguit diſtributiuam à commutatiua , ex eo , quòd diſtributiua reſpiciat æqualitatem Geometricam , & commutatiua Arithmeticam . Et etiam fallitur in eo, quòd addit eas iuſtitias diſtingui, ex diuerſis debitis , & iuribus exiſtimans iuſtitiam commutatiuam reſpicere debitum correſpondens iuri dominij , aut ei æquiualenti , diſtributiuam verò debitum correſpondens iuri non ita rigoroſo , vt æquiualeat dominio , ſed iuri minoris valoris fundato tantum in dignitate , ſeu proportione perſonæ, ratione cuius ei debetur aliquid ex bonis communibus ; quia vt optimè Vazquez diſputatione 223. ius ex quo æqualitas propria iuſtitiæ diſtributiuæ debita eſt , non eſt minus rigoroſum , & minoris valoris , quam ius commutatiuæ ; quia negari nequit, quod quando ſpolia militiæ ex diſtributiua diuiduntur inter milites, poteſt vnusquiſque illorum ius ad ſuam partem vendere quanti æſtimatur dominium illius , ſicut etiam contingit in debitis ex iuſtitia commutatiua.

Et idem eſt de iure , quod dignior inter plures habet ad Cathedram : ius ergo , quod ab vtraque iuſtitia reſpicitur, æquale eſt.

Et æquè rigoroſum , quamuis ex defectu diuerſitatis iuris prædictæ duæ iuſtitiæ , non diſtinguantur eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter, vt dicimus Tractatu de Iuſtitia, diſputatione 3. diffic. 12.

Quia

Quia scilicet duæ dictæ æqualitates, quas iustitia distributiua, & iustitia commutatiua respiciunt, quanuis sint physicè essentialiter distinctæ, moraliter tamen, seu vt debitę non sunt essentialiter distinctę; quia sunt debitę à iure æquè stricto, & rigoroso.

His suppositis nostra sententia ratione probatur; quia Deus in retributione præmiorum, & in retributione pœnarum, & in largitione perfectionum Physicarum, non seruat per se ex intentione æqualitatem Geometricam, sed tantum Arithmeticam: Ergo in eorum collatione non exercet, neque facit iustitiam distributiuam: consequentia patet ex dictis.

Antecedens autem probatur; & imprimis in largitione perfectionum Physicarum; quia Deus, vt tribuat vnicuique rei pefectionem ipsi conuenientem, solum attendit, quid rei cui perfectionem tribuit sit conueniens, & connaturale, non quid alteri rei tribuendum sit, comparando vnam rem alteri; quia ita tribuit cuilibet rei, ac si quælibet esset sola.

Et idem contingit in collatione præmij, & pœnæ; quia Deus, vt præmium, aut pœnam conferat, non attendit quam proportionem, meritorum, vnus cum altero habeat, sed quid vnusquisque gesserit, seu quantum vniuscuiusque opera mereantur, & cuilibet, nulla facta comparatione, confert tantum præmij, aut pœnæ, quantum meretur, iuxta illud ad Roman. secundo: *Qui reddet vnicuique, secundum opera sua.*

Constituendo videlicet æqualitatem, inter præmium, & merita, & inter supplicium, & demerita; vnde in eorum collatione potius seruat formam, seu modum iustitiæ commutatiuæ, quàm distributiuæ.

Et quamuis verum sit, quod quando plures simul præmiantur, aut puniuntur à Deo resultet æqualitas proportionum, inter solutiones, & personas, ea tamen æqualitas omnino per accidens resultat, & se habet cum iudicio, & in-

intentione Dei ; quia vt Deus ſoluat quantum merentur opera, quòd tunc intendit, & non aliud, non attendit, ad aliud quam ad æqualitatem præmij cum merito, & ſupplicij cum demerito, id eſt, ad conferendum tantum, quantum, opera merentur, ſicut quando debitor, integrè ſoluit debita pluribus creditoribus, quanuis ex eis ſolutionibus reſultet æqualitas proportionum, non tamen ſeruatur, niſi iuſtitia commutatiua ; quia vt ſoluat quod debet per accidens, & comitanter ſe habet æqualitas Geometrica.

Accedit, quòd quanuis in eorum retributione Deus ex intentione ſeruaret æqualitatem Geometricam, quòd eſt falſum, non ſufficeret, vt in eo eſſet iuſtitia diſtributiua ſtrictè ; quia eam non ſeruaret ex debito iuſtitiæ ; quia vt diximus difficultate præcedenti, debitum hoc Deo repugnat ob eius ſuppremum, & infinitum dominium ; ad rationem autem iuſtitiæ ſtrictæ, etiam diſtributiuæ, vt ibi etiam diximus requiſitum eſt debitum iuſtitiæ in ſoluente.

Ad fundamenta ergo aduerſariorum reſpondemus ; & in primis Sanct. Thomam noſtram ſententiam tandem fuiſſe amplexam, 1. 2. quæſt. 114. ar. 1. & 2. 2. quæſt. 61. ar. 4. vt aduertit Vaz quez 1. par. diſp. 86. cap. 2.

Ad rationem verò, qua prior pars ſententiæ aduerſariorum probatur, reſpondemus negando iuſtitiam diſtributiuam non ſupponere imperfectionem ; quia ſupponit debitum iuſtitiæ, ad quòd contrahendum neceſſaria eſt carentia, aut abdicatio ſuppremi dominij, quæ in Deo eſſet imperfectio magna. Et addimus, quòd quanuis iuſtitia diſtributiua nullum includeret, neque ſupponeret imperfectionem, & ob id Deo non repugnaret, nihilominus dicendum non eſſet à Deo de facto exerceri in retributione præmij, & pœnæ (ex quo conſtabit ſolutio ad rationem adductam pro poſteriori parte) quia quanuis Deus in collatione præmij (& idem eſt in collatione pœnæ) ſeruet æqualitatem Geometricam, & eam ſeruare videatur, id tamen eſt per accidens, & comitanter ; quia ad eam æqualitatem non atten-

attendit, vt soluat quod intendit, & promisit, nempè præmiare quã tum opera cuiuslibet merentur; quia quanuis per impossibile eam non videret, satisfaceret suæ promissioni, & dignitati operum, pro eis reddendo quantum merentur, quòd solum intendit, & promisit; quia Deus ita præmiat, & punit plures, ac si quilibet solus esset præmiandus, aut puniendus.

Id verò, quòd in scriptura dicitur; nempè in cœlo, esse varias mansiones, sedem quoque dextram, & sinistram, solum conuincit in retributione gloriæ pro meritis etiam reperiri æqualitatem Geometricam, sicut re vera reperitur, quia maior gloria retribuitur digniori, & minor minus digno; non tamen seruari per se, & ex intentione; quia Deus id non intendit, sicut neque promisit; quia tantum intendit præmiare quantum quisque meretur, ex quo per accidens resultat æqualitas proportionum, sicut qui duobus debet, alteri centum, & alteri quinquaginta, & priori soluens centum, & posteriori quinquaginta, tantum seruat iustitiam commutatiuam; quia tantũ intendit seruare æqualitatem Arismeticam; quia hanc tantum per se debet, quanuis etiam eo mitanter adsit æqualitas Geometrica.

Id etiam quod dicitur ad Roman. 2. Deum vnicuique retribuere, absque acceptione personarum, tantum conuincit eam retributionem fieri modo opposito acceptioni personarum, quòd ita est; quia non retribuit respiciendo ad personam, cui retribuit; sed ad eius merita, vt ipse sæpè promisit; non tamen conuincit Deum retribuere modo opposito vitio, seu peccato acceptionis personarũ; quia istud tantum contingit, quando est debitum iustitiæ retribuendi, & quia respicitur ad personam, non fit retributio: in Deo autem, vt diximus non est debitum iustitiæ retribuendi, id verò, quòd additur vitium, seu peccatum acceptionis personarum opponi tantum iustitiæ distributiuæ, falsum est; quia etiam opponitur commutatiuę, iudex non solum committit peccatum acceptionis personarum, quando ex affectu, erga aliquam ex illis, non seruat alij æqualitatem Geometricam, sed etiam quando ei non seruat Arismeticam.

In Deo ergo; quia eum non concipimus, vt in se est; sed instar nostri, nullum ei tribuimus affectum, nisi ex his, qui in nobis sunt, & nõ nisi per Analogiam, & etiam seclusis imperfectionibus: & ideò non omnes qui sunt in nobis, nisi eos, qui non includunt, neque supponunt imperfectionem, & nullum in Deo affectum iustitiæ strictę admittimus, neque distributiuæ, nec commutatiuę; quia quanuis abstrahantur, nequeunt non supponere imperfectionem.

DIFFICVLTAS III.

Quæ aliæ virtutes distinctæ ab stricta iustitia reperiantur in Deo?

SVpponimus in Deo nullam esse virtutem sumptam pro habitu; quia habitus supponit imperfectionem in potentia, vel in principio, cui deseruit; quia si est sua natura acquisitus concurrens ad facilè operandum, supponit in suo principio difficultatem : & si est infusus concurrens cum potentia, aut principio ad substantiam actionis supernaturalis, supponit in potentia, aut in principio phisicam in sufficientiam ad actionem: difficultas autem, & in sufficientia ad suas actiones Deo repugnat: & ob has duas imperfectiones Deo negauimus habitum ad sciendum, tit. de scientia Dei, disput. 1. difficult. 5.

Hoc ergo supposito difficultas est, quæ aliæ virtutes præter iustitiam, sumptæ pro actibus reperiantur in Deo?

Circa quam conueniunt primo DD. in Deo reperiri virtutes intellectuales pro actibus sciēdi sumptas secluſis imperfectionibus, quæ in nobis reperiuntur; nempè artem, prudentiam, sapientiam, scientiam, & intellectum, de quibus prout in nobis reperiuntur, agit Aristoteles 6. & cap. 3. & nos 1. 2. tit. de virtutibus, difficult. 4. & in primis in Deo reperitur ars; quia in Deo est iudicium, quo quasi dirigitur ad opus, vt artificiosum: deinde reperitur prudentia; quia in Deo est iudicium, quo quasi dirigitur ad opus, vt honestum, & hę duæ virtutes sunt practicę. Rursus in Deo reperitur sapientia; quia in eo reperitur iudicium, circa altissimum obiectum; nempè circa se ipsum, & circa obiecta creata in ordine ad se ipsum, tandem in Deo reperiuntur scientia, & intellectus, quæ versantur circa obiecta creata in eis sistendo: reperitur scientia; quia in Deo est iudicium euidēs, & certum, absque illatione conclusionum, quę à nobis inferuntur ex præmissis, & reperitur intellectus; quia in Deo est iudicium euidens, & certum, circa ea quæ nobis sunt prima principia, & hæ tres posteriores virtutes sunt speculatiuæ.

Conueniunt secundo in Deo esse charitatem Theologicam, non fidem, neque spem, reperitur charitas Theologica; quia in eo reperitur amor beneuolentiæ, qua saltem personæ diuinæ se ipsas mutuo diligunt. Non est in Deo fides Theologica, & quia hæc est cognitio obscura, quę Deo repugnat, & quia nemo sibi credit. Non est in Deo spes Theologica: & quia nemo sperat quæ habet in sua po-

testate, omnia autem sunt in potestate Dei, & quia nemo â se ipso sperat.

Ita tamen in Deo nulla est virtus sumpta pro habitu, vt in ipso admittendæ sint virtutes quasi in actu primo; nempè ipsi actus intrinseci Dei, vt terminabiles ad obiecta, vel ad actus extrinsecos ipsarum virtutum, ac proinde illæ virtutes essent in Deo, quanuis nullum actum externum exerceret, v. g iudicium Dei, vt terminabile ad opus externum artificiosum, est virtus intellectualis artis in actu primo, & affectus Dei, vt terminabilis, ad subleuandum miseriam creaturarum, est virtus moralis misericordiæ, in actu primo, & affectus beneuolentiæ Dei, vt terminabiles ad se ipsum, est virtus Charitatis Theologicę in actu primo, & vt terminabilis ad creaturas, est virtus moralis charitatis erga creaturas in actu primo, & actus ipsi intrinseci Dei, vt iam terminati, seu applicati obiectis, aut actibus externis, sunt actus virtuosi, quasi in actu secundo, & etiam ipsi actus externi, quibus interni sunt applicati.

Conueniunt tertio in Deo reperiri eas omnes, & solas virtutes morales, quę essentialiter nullam includunt, neque suppo. nunt imperfectionem, neque imposibilitatem in obiectis ipsarum respectu Dei.

Vnde in primis in Deo non reperitur temperantia strictè, & specialiter; quia hæc essentialiter versatur circa passiones sensus eas moderando: in Deo autem non sunt passiones istæ: reperitur tamen in Deo metaphoricè, seu per similitudinem; quia Deus est his passionibus superior, & magis quàm qui habet eas, & eas moderatur excipimus mansuetudinem, & clementiam, quæ quanuis non strictè; quia non versantur circa peculiarem, & strictam materiam, latè tamen possunt Deo propriè tribui, vt aduertunt Ruiz disput. 55. section. 1. & Alarcon disput. 8. cap. 1. quia Deus seruat earum leges, quasi moderando suam potestatem puniendi.

Deinde in Deo non reperitur fortitudo strictè (sub qua omnes eius species comprehendimus) quia hæc versatur circa timorem, audaciam, & tristitiam: in Deo autem non reperiuntur passiones istæ. Tandem in Deo non reperitur strictè virtus religionis, neque virtus obedientiæ (quæ sunt partes non subiectiuæ; sed potestatiuę iustitiæ) quia religio, & obedientia essentialiter respiciunt alium tanquam superiorem: Deus autem nullum habet superiorem, neque in eo reperitur virtus pœnitentiæ; quia hæc essentialiter respicit propriũm peccatum, quòd Deo repugnat.

Re-

Reperiuntur tamen in Deo ſtrictè charitas erga creaturas rationales, & veracitas, ſeu fidelitas in adimpletione promiſſionis, & veracitas in dictis, & benignitas, & miſericordia (quæ, quia ſunt ad alterum ſunt partes non ſubiectiuæ; ſed poteſtatiuæ iuſtitiæ) quia in eorum obiectis nulla includitur, neque ſupponitur, imperfectio, adhuc in obiecto miſericordiæ, quia obiectum huius, eſt ſubleuare miſeriam, quam Deus ſubleuare poteſt, & ſubleuat; compaſsio autem, quæ in nobis eſt miſeriæ proximi, quæ in Deo reperiri nequit, non requiritur eſſentialiter ad hanc virtutem, quia tantum ſe habet per accidens ad illam.

Sed an in Deo ſit virtus gratitudinis controuerſia eſt (& potius de nomine, quàm de re) quia Suarez tom. 3. de gratia, lib. 12. cap. 30. & Ruiz diſput. 55. ſect. 4. eam Deo denegant; quia nullum accipit beneficium, pro quo ſolo fieri poteſt gratificatio.

Vazquez verò 1. 2. diſput. 215. cap. 1. & 8. Lorca diſput. 44. de gratia, & Alarcon diſp. 8. cap. 3. eam Deo concedunt, & non abſque ratione; quia ſcilicet à nobis fiunt Deo obſequia ipſi grata, & non debita ex iuſtitia: aliàs qui ea omitteret, peccaret contra iuſtitiam in Deum, pro obſequijs autem gratis, non debitis ex iuſtitia, abſque dubio fieri poteſt gratificatio (quæ eſt actus virtutis gratitudinis) quanuis in rigore non ſint beneficia; quia ad eam pertinet, non ſolum beneficia, ſed etiam obſequia recompenſare.

Et quia adhuc in nobis non eſt alia ſtrictè iuſtitia præter commutatiuam, & diſtributiuam, vt nos loquendo de iuſtitia legali, & vindicatiua, dicimus, titul. de iuſtitia, diſputat. 3. difficult. 14. & 15. ideò, quanuis in Deo admittamus iuſtitiam legalem, vt verè admittimus; quia proſpicit bono communi, & obſeruationi legis, & iuſtitiam vindicatiuam; quia punit peccatores, non eo ipſo admittimus in Deo iuſtitiam aliquam ſtrictè ſumptam diſtinctam à commutatiua, & diſtributiua: imò quanuis in nobis iuſtitia legalis, & etiam vindicatiua poſsint eſſe iuſtitia commutatiuè ſtrictè ſumpta, qualis erit legalis, ſi quis ex pacto proſpiciat bono communi, aut obſeruationi legis, vt proſpicit iudex, & qualis in eo eſt iuſtitia vindicatiua; quia iudex ad id ex pacto obligatur in fauorem reipublicæ, & ciuium; neutra tamen in Deo poteſt eſſe iuſtitia ſtrictè, ſaltem ex deffectu debiti, ſeu obligationis iuſtitiæ in ipſo; quia in nullo eſt ius iuſtitiæ contra Deum, vt in fauorem noſtri teneatur ad proſpiciendum bono communi, neque ad puniendum peccatores. In Deo ergo iuſtitia legalis, & etiam vindicatiua, erit virtus charita-

tis erga se ipsum, & etiam erga rempublicam, aut erga aliam personam, si ex beneuolentia erga rempublicam, aut aliam personam ipsi prospiciat, aut puniat peccatores: vel erit alia virtus iuxta motiuum quo reipublicæ, aut alij personæ prospiciat, aut quo puniat peccatores, non tamen distincta ab omnibus alijs virtutibus, vt de legali, & vindicatiua diximus vbisuprà.

TRACTATVS

DE PRÆDESTINATIONE.

DISPVTATIO PRIMA.

De prouidentia Dei.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm in Deo sit prouidentia circa creaturas?

VT à nomine ipso exordiamur nomen *prouidentia* est vox significans solicitam directionem, seu ordinationem rerum in suos fines: & vt aduertit Ruizius disput. 1. sect. 1. deducitur ex præpositione *pro*, quæ idem est, quòd præpositio *ante*, vel *procul*, & ex verbo *video* quasi. Sit idem quòd ante, seu à longè *videntia*, quę sita est in ratione quadam intra prouidentem, qua ante gubernationem ipsam rerum de ea solicitè curat.

Hoc ergo suppositio inter eos, qui Deum esse fatentur non defuerunt, qui Deo prouidentiam circa creaturas negauerint, Democritus videlicet, & Epicurus, & Heraclitus, vt referunt Lactantius lib. 1. de ira Dei, cap. 9. & 10. & Nissenus lib. 8. philosofiæ, cap. 3.

Veritas tamen Catholica est in Deo esse prouidentiam, circa creaturas, vt cōstat ex illo, Sapientiæ 14. *Tua autem Pater prouidētia gubernat*, & ex illo Ecclesiast. 5. *Ne dicas non est prouidentia, ne fortè ira*

iratus Dominus, &c. Quòd etiam tradunt plures Patres, quos referunt Ruizius disput. 1. sect. 3. & Fasolus quæst. 22. art. 1. & id amplius constabit ex dicendis difficult. 3. vbi aliis testimonijs scripturæ, & ratione Theologica id probandum est.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo prouidentia comparetur cum prædestinatione.

COnueniunt Doctores, prædestinationem esse partem prouidentiæ: dissentiunt tamen in explicando, quæ ratio partis ei conueniat.

Durand. Capreolus, & Gabr. in 1. dist. 40 quæst. 1. & Molina quæst. 22 art. 1. disp 2. docent esse partem subiectiuam, seu speciem prouidentiæ, sicut homo est pars subiectiua, seu species animalis, quòd videtur sentire S. Thom. in 1. dist. 40. quæst. 1. art. 2. quia prouidentia concipitur à nobis, tanquam quid abstractum, seu commune ad prouidentiam naturalem, & supernaturalem: imò supernaturalem distinguimus, seu diuidimus in supernaturalem sufficientem non electorũ, & in efficacem electorum (quæ dicitur prædestinatio) imò naturalẽ etiam distinguimus in sufficientem, & in efficacem: ergo prædestinatio nostro modo concipiendi, est species, seu est pars subiectiua prouidentiç, sic in communi conceptæ, sicut homo est species, seu pars subiectiua animalis concepti, vt est quid commune ad hominem, & ad reliqua animalia.

Caiet. verò q. 23. art. 1. Vazq. disp. 87. n. 24. & Suar. lib. 1. de Prædestinatione, c. 18. docent, & congruentius prædestinationẽ esse partem integrantem, seu integralem prouidentiæ, sicut manus est pars integrans, seu integralis Petri; quia in Deo vnam tantũ artem indiuidualẽ cõcedimus; quãuis sint plura obiecta specie distincta ipsa arte facta; quia in Deo est vnus modus omnia illa practicè sciẽdi: ergo etiam in Deo vna tantùm indiuidualiter prouidentia, adhuc nostro modo cõcipiendi, est concedenda circa omnia obiecta, quę ab ipsa attinguntur; quia ea omnia quanuis plura sint specie distincta, eodem modo attingit; imò etiam, vt inter se connexa, & ordinata in glorificationẽ, & laudem ipsius. Ita tamen prouidentia est totũ integrale respectu prædestinationis, vt sit totũ partim, & heterogeneũ, sicut est homo respectu manus, & pedis; & partim, & homogeneum sicut est quantitas respectu suarum partium; quia prouidentia habet aliquas quasi partes diuersæ rationis, & aliquas eiusdem: imò & prædestinatio ip-

sa, quia prouidentia; imò & prædestinatio habent obiecta plura diuersæ speciei, & alia plura eiusdem.

Ad rationem: ergo oppositæ sententiæ respondemus, quòd quãuis nostro modo concipiendi diuidamus prouidentiam diuinam ex parte actus diuini, in plures partes ipsius actus, in ordine ad diuersa, seu plura obiecta materialia, circa quæ versatur: eas tamen partes, seu rationes prouidentiæ ex parte actus, non diuidimus in plures prouidentias, seu in plures species prouidentiæ, ob rationem dictam, sed tantum in plures partes integrantes vnam prouidentiam indiuidualem ad eum modum, quo pars philosofiæ, quæ tractat de cœlo, est pars integrans totam philosofiam, & non est species philosofiæ, & ideò prædestinatio potest dici pars integralis prouidentiæ totalis, etiam ex parte actus diuini; quanuis congruentius ex parte obiectorum; quia in obiecto prouidentiæ reperiuntur ex natura rei, plures illę partes, & non in actu ipso, & ob id prædestinatio dici solet pars obiectiua prouidentiæ, id est, pars ex parte obiecti prouidentiæ.

Constat ergo, nos non posse ita apte, & congruenter concipere diuinam prouidentiam, vt quid commune, seu vt totum potentiale ad suam prouidentiam naturalem, & supernaturalem: & neutrã ad sufficientem, & ad efficacem, ac concipimus illam, vt totum quoddam singulare, indiuiduale, quasi integrale, & aggregatum, constans ex pluribus, quasi partibus integrantibus, eam tam ex parte ipsius actus diuini nostro modo concipiendi, quàm ex parte obiectorum materialium, illius actus ex natura rei.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm prouidentia Dei, sita sit in actu sui intellectus, an in actu suæ voluntatis?

SVpponimus ad prouidentiam in Deo (sub qua, quo ad hanc difficultatem, etiam comprehendimus prędestinationẽ, quæ est pars integralis prouidentiæ, qua Deus dirigit creaturas intellectuales ad gloriam) requisitos esse in Deo actum intellectus, & actũ voluntatis.

Et in primis actum voluntatis requiri probatur: quia ad prouidẽtiam Dei erga creaturas, pertinet eas conseruare, & cum eis ad ipsarum operationes eco operari, & eas ad suos fines dirigere, saltem ad vltimum, Deus autem, absque decreto suæ voluntatis, nequit prędicta efficere, vt patet. Deinde etiam actum intellectus requiri probatur; quia Deus nequit dictas actiones, nec alia decernere, absq; præ-

uio

nio actu intellectus, quo dicta obiecta proponantur suæ voluntati: ergo ad prouidentiam Dei erga creaturas requisiti sunt in ipso actus intellectus, & voluntatis.

Hoc ergo supposito difficultas est, an prouidentia diuina sita sit directè, essentialiter, seu formaliter in actu intellectus, an in actu volũtatis, an in actibus vtriusque.

Capreolus in 1. dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. Cai, Baneto, Nauarrete, & Zumel q. 22. & 23. art. 1. Gonçal. dis. 65. sect. 2. Ruizius dis. 3. sect. 3. & Mæratius q. 22. art. 1. dub. 1. docent, prouidentiã generatim, & prædestinationẽ speciatim sitã esse directè, & essentialiter in solo actu intellectus, quòd indicat S. Tho. q. 22. & 23. art. 1. & deduci videtur ex Scriptura, in qua prædestinatio per solum actum intellectus indicatur ad Romanos 11. verbo præsciendi, illis verbis: *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, id est, quam prædestinauit, vt exponit August. de bono perseueranti, cap. 18. præscire autem est actus solius intellectus, & Psal. 2. Prouidentia indicatur verbo respiciendi, illis verbis: *Respice in me, quare me dereliquisti*, respicere autem ad intellectum pertinet, non ad voluntatẽ. Et ratione probatur. Primo; quia posidere, & etiam prædestinare, est aliquem in suum finem ordinare, & ita Actorum 13. nomine præ ordinationis significatur, illis verbis; *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; ordinare autem vnum ad aliud, est actus solius intellectus. Secundo probatur; quia prouidentia est actus quidam prudentiç, vt indicat Boetius lib. 4. de consolatione, prosa 6. sed prudentia tantum pertinet ad intellectum, vt ex se patet, & ex Arist. 3. Ethic. cap. 6. ergo & prouidentia.

Auctores tamen huius sententiæ dissentiunt in assignando actum intellectus, in quo solo prouidentia essentialiter consistit; quia alij eam constituunt in actu scientiæ, qui præcedit decretum, quo voluntati proponuntur, quæ facienda sunt, qui in nostra sententia est actus simplicis intelligentiæ, vt diximus tract. de scientia, disp. 5. dif. 5. alij verò eam constituunt in actu, quodam imperij, quem in Deo ponunt, post decretum voluntatis, & secundum ipsos, est intimatio quædam decreti voluntatis impellens potentiam Dei exequentem ad executionem eius, quòd decretum est.

Alexand 1. p. q. 26. memb. 2. Petrus de Tarantasia in 1. dist 40. q. 2. Molin. q. 22. art. 1. disp. 1. Herrer. in 1. dist. 17. Fasolus art. 1. dubitat. 1. & Heric. disp. 22. c. 6. docent, prouidentiam directè, & essentialiter sitam esse simul in actu intellectus, & in actu voluntatis, in quòd indicat Becanus cap. 13. quibus fauere videtur Augustin. de bono perseuerantiæ, cap. 14. dum definiens prædestinationem ait,

quòd sit prę̃scientia,& præparatio beneficiorum Dei,quibus certissimè liberantur,quicumque liberantur, & deduci videtur ex scriptura,in qua prædestinatio aliquando significatur, & nominatur cognitioni,& præscientia, quę pertinent ad intellectum ; & aliquando electione,& proposito,quæ pertinent ad voluntatem.

Bonauentura verò,in 1.dist.40.art.1.quæst.2. Scotus, & Gregor. quęst.1. Henr.quodlib.4.Vazq.disp.87.cap.3.Suar.lib.1.c 7 & Lessius de prædestinatione,sect.1.docent,& merito essentiam prouidẽtię,& prędestinationis sitã esse directè,& formaliter in solo actu voluntatis,cui maximè fauent August de prædestinatione Sanctorum, cap.10. Prosper.in cap.8. Gallorum Fulgentius lib. . ad Monimũ, cap 7.& id exprimit Damasc.lib.2.de fide,cap.29.dum ait : *Prouidentia est voluntas Dei, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt.* Et id satis indicatur in Scriptura,in qua prædestinatio significatur actu voluntatis, v. g. electione & proposito, Matth.20. *Pauci verò electi*, id est,prædestinati, & capit.24. *Propter electos breuiabuntur dies illi*, & ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti*, & infra: *Prædestinauit nos secundum propositum voluntatis suæ*, & infrà : *Prædestinati secundum propositum eius , qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* , & ad Romanos 9. *Vt secundum electionem, propositum Dei maneret.*

Et ratione probatur;quia prouidentia & prædestinatio nihil aliud est,quàm cura, & solicitudo, & conatus,quo prouidens præparatur ad conferendum ei cui prospicit, & prouidet ea quibus eget, vt ad suum finem perueniat,vt constat ex Damasceno vbi suprà, & ex cõmuni acceptione: cura autem & solicitudo , & conatus ad voluntatem pertinet , vt patet,& non ad intellectum ; quia in eo nullus est actus,cui conuenire possit ; quia non actui, qui præcedit decretum voluntatis. Primò; quia talis actus non est liber , dicta autem cura, seu prouidentia,& prędestinatio est libera.Secundò; quia talis actus æqualiter se habet ad omnes,ac proinde , non magis diceretur prædestinatus vnus,quàm alius.Tertio;quia exvi illius nihil est futurum; quia eo posito,libera relinquitur voluntas Dei: Deinde cura , & solicitudo nequit conuenire actui intellectus,qui est post decretum voluntatis;quia post tale decretum non est alius actus in intellectu , nisi visio,qua videtur res futura ex decreto;huic autem visioni,nequit cõuenire cura in qua sita est prouidentia;quia ea visio nõ est factiua, seu practica,sed tantũ speculatiua:intimatio autẽ illa , seu actus imperij,vt eo impellatur potẽtia exequẽs,revera nõ est adhuc in nobis, vt latè diximus tract.de actibus,dis.4.dist.17. quia est superfluus adhuc in nobis; quia ad impellendam potentiam exequentem,sufficit de-

decretum efficax voluntatis (ſicut in Brutis ſufficit affectus efficax ſui appetitus, abſque imperio aliquo ſuorum ſenſuum, ad impellendam potentiam exequentem) imo potentia exequens eſt inca pax, vt ei fiat intimatio.

Et quanuis in nobis eſſet dictus actus imperij, non eſſet in Deo: quia in eo potentia executiua, non eſt diſtincta à ſua voluntate, vt dicimus Tract. de Attributis, diſp. 11. diffic. 2. & ſanè in intellectu nullus eſt actus, niſi cognitionis, & hìc, vel ſimplicis intelligentiç, vel viſionis, quorum neuter ex ſe eſt efficax ad ſubueniendum: prouidẽtia ergo, & prædeſtinatio conſtituenda eſt directè, & eſſẽtialiter in ſolo actu efficaci voluntatis, quo Deus dicitur præparatus ad conferenda ea quibus creaturæ egẽt, vt in ſuos fines perueniant. ſed an prouidẽtia, & prędeſtinatio ſolùm ſit actus voluntatis circa media, an verò etiam circa finem rei, cui prouidetur, poſtea dicemus.

Ad fundamentum ergo primæ ſententiæ, deſumptum ex Scriptura, dum in ea prædeſtinatio indicatur verbis ad intellectum pertinentibus, nempè præſciendi, & reſpiciendi. Reſpondemus eis indicari, nõ quia in actu intellectus ſita ſit directè, & eſſẽtialiter: ſed quia ad eam neceſſariò prærequiritur ſcientia, videlicet, ſimplicis intelligentiæ approbationis.

Et ad priorem rationem concedimus, prouidere, & prædeſtinare eſſe ordinare aliquem in ſuum finem, non tamen quomodocumque: ſed efficaciter, ideſt, ordinando, vt fiant media propter finem, quòd ſolùm conuenit voluntati; quia intellectui nõ aliter conuenit ordinare media ad finẽ, quã cognoſcendo proportione mediorum ad finem, & eam Proponendo voluntati.

Ad poſteriorem reſpondemus, prouidentiam ſumptam pro præuidentia ſeu præſcientia futurorum, de qua loquitur Boetius eſſe actum intellectus, & pertinere ad prudentiam, non tamen ſumptam pro præparatione ſtudio, & cura rerum faciendarum; quia vt ſic eſſentialiter, & directè, & formaliter tantum pertinet ad voluntatem: ad intellectum verò, tantùm indirectè, & præſuppoſitiuè; quia ea præparatio neceſſario præſupponit peculiarem actũ intellectus, quo voluntati proponuntur media vtilia ad finem.

Nec nobis obſtant, quæ adducta ſunt pro ſecunda ſententia: quia ei non fauet Auguſtinus, quia præſcientiam ibi ſumit, pro ſcientia approbationis, ad quam cum effectu pro libertate Dei, ſequitur Prædeſtinatio, ſicut ſumpſit capit. 18. & non quia ſentiat in ea ſitam eſſe eſſentiam prædeſtinationis, adhuc partialiter; ſed quia ad prædeſtinationem neceſſariò prærequiritur, ac proinde pręſcientia, nõ intrat eſſentialiter definitionem prędeſtinationis, & hoc modo explicatur

plicanda est Scriptura, quoties in ea prædestinatio videtur tribui actui intellectus, vt paulò antea explicuimus.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Deus sua prouidentia attingat omnes creaturas?

INTER Eos, qui in Deo admittunt Prouidentiam circa creaturas, varij fuerunt errores, circa quas creaturas versetur: quia Cicero lib. 2. de Diuinatione Deo negauit prouidentiam, circa ea, quę à nostro libero arbitrio dependent. Et Iulius Sirsirenus li. 2. de Fato cap. 25. Deo negauit Prouidentiam, circa fieri mostrorum, & aliorum defectuum naturalium. Et alij negarunt Deo prouidentiam, circa creaturas in indiuiduo eam admittentes, circa genera, & species: Et alij negarunt prouidentiam, circa res corruptibiles. Et alij circa res sublunares: & alij circa res viles, quibus fauere videtur Paulus 1. ad Corinthios 9. illis verbis: *Numquid Deo cura est de bobus.* Et Cœsar apud Lucanum, Deo negauit prouidentiam, circa homines vulgares, eam circa magnates admittés, circa hos, & circa alios errores, legendi sunt Recentiores, præsertim Ruiz. disp. 1. sect. 2. & Heric. disp. 21. c. 2.

Veritas tamen Catholica est in Deo esse prouidentiam, circa omnes res creatas singulares, quanuis liberas, & naturales, & corruptibiles, & sublunares, & monstruosas, & casuales, & viles, & vulgares, qua eas gubernat, & regit in suos fines dirigendo.

Et in primis in Deo esse prouidentiam, circa omnes, & quascumque creaturas, constat generatim ex illo Sapientiæ 8. *Attingit à fine, vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et ex illo capi. 12. *Non est alius Deus quam tu cui cura est de omnibus.* Et ex illo cap. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & aqualiter cura est illi de omnibus.*

Deinde in Deo esse prouidentiam, circa res singulares, & corruptibiles, & sublunares, & viles, & vulgares specialiter constat, ex illo dicti cap. 12. *Considerate coruos, quia non seminant, nec metunt, & Deus pascit illos.* Et infra: *Considerate lilia agri non laborant, nec nent, dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex dictis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei.* Et ex illo Deutheronom. 25. *Non alligabis os bobi Trituranti*: illis ergo ver

bis

bis Pauli 1.ad Corinthios 9. *Numquid Deo cura eſt de bobus.* Quibus videtur negari Deo prouidentia circa bobes: non negatur abſolutè prouidentia, ſeu cura circa illos; quia hæc exprimitur in eo cap. 25. Deuth ſed tantum negatur prouidētia circa illos, talis qualis eſt circa creaturas intellectuales, eas dirigens medijs præceptis, & cōſilijs, eamdem veritatem tradunt plures ex Patribus, quos referunt Ruiz. ſect. 3. & Faſol. q 22. ar. 1.

Eadem veritas Catholica ratione Theologica probatur; quia ad prouidētiam diuinam (quæ ſupponit creationem rerum quibus prouidetur, vt ex ſe patet) tria pertinent. Primū eſt cōſeruare res, quib⁹ prouidet, ad quod reducitur facere omnes alias res cōducētes ad cō ſeruationem earum quas conſeruat. ſecūdum eſt cōcurrere, ſeu cooperari ad omnes actiones ipſarum, ad quòd reducitur omne illud, quòd ad id conducit. Tertiū eſt ita cōſeruare res, & cum eis cooperari, vt medijs eis actionibus illas dirigat in ſuos fines; ſed Deus creaturas omnes etiam ſingulares, & viliſſimas nulla excepta cōſeruat, vt cōſtat ex illo Sap. 11. *Quomodo enim poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes*: & etiam cū eis omnibus cooperatur, ad omnes operationes ipſarum, vt cōſtat ex illo Act. 17. *In ipſo viuimus mouemur, & ſumus*: & ita eas omnes cōſeruat. & cū eis omnibus ad ipſarū operationes cooperatur, vt eas omnes in fines ipſarū vſq; ad vltimū (qui eſt Deus) dirigat & ordinet, vt cōſtat ex illo Prou. 16. *Omnia propter ſemetipſū operatus eſt Dominus*: ergo in Deo eſt prouidentia, & perfectiſsima circa omnes creaturas; quia ad prouidentiam, & perfectiſsimā, circa eas, nihil aliud præter prædicta requiritur.

Omnes ergo, & ſingulæ creaturæ maximæ, & minimæ, liberę, & naturales, corruptibiles, & ſublunares, viles, & vulgares, mōſtruoſæ, & caſuales, ſubditæ ſunt diuinæ prouidētiæ; quia omnes Dei volūtate cōſeruātur, & adiuuantur, & in ſuos fines ſaltē vltimum diriguntur, vt cōſtat ex teſtimonijs adductis: imò omnes à Deo fiūt, vt cōſtabit diſ. ſequēte etiam monſtroſæ, & caſuales; quia mōſtroſæ à ſui videlicet agētis creati perfectione raro degenerantes, etiam fiunt à Deo, & ex intentione, quia quanuis cauſas ex quibus res mōſtroſæ fiunt, Deus inclinauerit in ſuos effectus perfectos, & ad eos eas cæperit adiuuare, ipſe tamē ſua voluntate applicuit cauſas contrarias, quibus eas adiuuando, voluit illas aliàs impediri à productione ſuorum effectuum perfectorū, vt defectuoſi ſeruiant alijs rebus ſaltem bono vniuerſi eius videlicet pulchritudini, & integritati: & etiam res caſuales, ſeu fortuitæ fiūt à Deo, & ex intentione; quia quanuis ſint caſuales reſpectu cauſæ creatæ; quia præter eius intentionem cueniunt, non tamen reſpectu Dei; quia ipſe omnia creata efficit, & ex

in

ntentione; quia nihil fit, seu oritur à Deo præter intentionẽ ipsius: es ergo mõstrosæ, & casuales nõ subterfugiũt diuinã Prouidentiã: quia eas effectas conseruat, & cum eis cooperatur, & eas dirigit in suos fines, saltem in vltimum.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Deus immediatè, seu per se ipsum prouideat omnibus creaturis?

CIrca hanc difficultatẽ, Arist. lib. 12. Metaph. cap. 2. & lib. de mũdo ad Alex. & in alijs locis, sentire videtur Deũ immediatè prouidere soli primo, seu suppremo orbi, & eo mediante alijs inferioribus rebus prouidere.

Catholici tamen conueniunt, Deum immediatè, & proximè omnibus, & singulis creaturis prouidere, & id est, quòd docent Patres, dum dicunt, Deum omnia gubernare, & id est, quòd continetur in testimonijs Scripturę diffic. 4 adductis, in quibus dicitur Deus à fine, vsque in finem omnia attingere, & ei esse æqualiter curam de omnibus; quia si per se ipsum immediatè, non prouideret omnibus, nec diceretur attingere omnia: & multo minus diceretur curare æqualiter de omnibus: quòd etiam significatur illis verbis, Iob 34. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est.* Quòd super his verbis Gregor. 24. Moral. capitul. 6. expressit dum ait: *Mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit.*

Quòd etiam ratione Theologica probatur; quia omnia, & singula in particulari, quantumuis minima, pendent à Deo immediatè in fieri, & in conseruari, & in operari: ergo omnibus, & singulis immediatè, seu per se ipsum prouidet: consequentia patet, antecedens autem probatur, & in primis quòd omnia pendeant immediatè à Deo in conseruari, constat ex illo Sapien. 11. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non est, conseruaretur.* Ex quo etiam constat, omnia pendere à Deo in suo fieri; quia eadem est omnino ratio conseruationis, & effectionis rei, præsertim cum fieri, & conseruari sit eadem actio, aut passio. Deinde quòd omnia etiam dependeant immediatè à Deo in operando, cõstat ex illo Ioann. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et ex illo 1. ad Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus.* Et ex illo 15. *Deus dat vnicuique seminum proprium corpus.* Et ex illo Isaiæ 26. *Omnia*

nia opera noſtra, operatus eſt in nobis Dominus: Ex quo etiam conſtat omnia, quæ fiunt à creaturis pendere immediatè à Deo in ſuo fieri; quia nulla creatura operatur, & facit niſi etiam Deus cum ea cooperetur, & coefficiat: & iterum idem antecedens, quo ad ſuas tres partes conſtat ex illo Actorum 17. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.*

Pro huius tamen maiori declaratione obſeruandum eſt, prouidentiam Dei, qua immediatè prouidet creaturis verſari, circa duas res, ſeu duas res attingere, vnam tanquam ſubiectum, ſeu finem *cui* prouidet, & proſpicit, & alteram, tanquam bonum, quod prouidet, & procurat ipſi ſubiecto, ſeu fini *cui*: inter quę duo, hæc eſt differentia, quòd ſubiectum cui prouidetur, debet ſupponi præexiſtens: quia prouidentia, qua alicui prouidetur eius creationem ſupponit, & ab eius conſeruatione incipit, bonũ verò, quòd illi prouidetur, ſeu procuratur, non præſupponitur ad prouidentiam; quia per ipſam procuratur, vt fiat.

Prouidentia ergo diuina omnia, & ſingula, quæ fiunt à cauſis ſecundis attingit immediatè ad minus, tanquam ſubiecta, ſeu finis, *quibus* prouidet, & procurat bonum; quia omnia, & ſingula ad minus immediatè conſeruantur à Deo, & cum eis immediatè cooperatur: Deinde omnia, & ſingula, quæ fiunt à cauſis ſecundis, etiam attingit immediatè, tanquam bonum, quod prouidet, ſeu procurat, vel alijs rebus quibus deſeruiunt, vel ad minus ipſis cauſis ſecundis, illa producentibus; quia eas cauſas immediatè adiuuat, ad illa producenda: vnde non ſolùm conſeruari, & operari rerum, quæ fiunt à cauſis ſecundis, ſunt effectus immediati diuinæ prouidentiæ, tanquam bonum, quod operatur ipſis effectibus, qui conſeruantur, & operantur; ſed etiam *fieri* eorum effectuum, eſt effectus immediatus diuinæ prouidentiæ, tanquam bonum, quod prouidetur ipſis cauſis ſecundis eorum.

Quæ verò fiunt à Deo, ſolo ad minus attinguntur immediatè à diuina prouidentia, tanquam ſubiecta quibus prouidet cõſeruationem, & operationem. Addimus *ad minus*: quia plura ex illis etiam attingit immediate, tãquam bonum quod prouidet, ſeu procurat alijs quibus deſeruiunt.

Deus ergo, ita ſua prouidentia, aut decreto efficaci attingit immediatè omnes, & ſingulas operationes creaturarum ad eas concurrendo, & cooperando, v: eo actu, ſeu decreto prouidentiæ ſpeciatim, & diſtinctè decernat ſingulas operationes creaturarum; quia Deus in tempore concurrit immediatè cum omni cauſa, tàm naturali, quàm libera ad omnes, & ſingulas operationes earum in parti-

cu-

culari: ergo habet decretum ſigillatim concurrendi cum illis, ad ſingulas operationes in particulari: quia medio ſuo decreto cõcurrit, & cooperatur: & quia dictum decretum medio quo, concurrit in tẽpore eſt in Deo ab æterno, ideò Deus ab æterno verè prouidit, & ſigillatim prædefiniuit, & prędeterminauit omnes, & ſingulas operationes, quas cum cauſis ſecũdis naturalibus, & liberis eſt in tempore facturus, ita tamen, vt particula præ addita verbo definiuit, & determinauit denotet, non anteceſsionem cauſæ, ſed durationis reſpectu exiſtentiæ præſentis ipſarum operationum.

Vnde diſplicet ſentẽtia eorum quidicunt Deum, nõ prædefiniuiſſe ſpeciatim opera minoris momẽti cauſarum naturalium, nec opera noſtra libera; quia iſti cogũtur affirmare, aut Deum remotè tantum in cauſis opera illa prouidiſſe, quòd eſt error, quem videtur tenuiſſe Ariſt. aut quod Deus ab æterno nõ decreuit, ſed in tẽpore, quod eſt cõtra immutabilitatem diuinam ſaltẽ moralem, vt dicim. Tract. de volunt. diſp. difficc.

Diſplicet etiam, quod alijs affirmant, nempè decretum quo nõnulla (vt actus peccaminoſus) decreuit tãtum fuiſſe conditionatũ; quia nequit nõ eſſe abſolutum; quia Deus re ipſa, & abſolutè cõcurrit ad actus peccaminoſos, abſque decreto autem abſoluto nequit Deus re ipſa, & abſolutè concurrere: ſed an Deus decernat, & prædefiniat opera cauſarum ſecũdarum, ante præuiſum earum cõcurſum, ſeu influxum dicem diſp. 5. dif. 12. obſeruandum tamen eſt primo, ita omnia ſubdita eſſe diuinæ prouidentiæ, vt etiam peccata ſint ei ſubdita, & non ſolùm, quoad entitatem phyſicam eorum: ſed etiã quoad malitiam, ſeu culpam, diuerſo tamen modo: quia quoad entitatem phyſicam actus ſubduntur, tanquam effectus diuinæ prouidẽtiæ; quia verè pendent à Deo, tanquam à cauſa prima, ſicut aliæ entitates phyſicæ: quoad malitiam verò ſubduntur, non tanquam effectus ipſius prouidentię; quia Deus non eſt cauſa illius, quia actus peccati, prout à Deo, non eſt malus, ſeu contra rationem, ſed prout eſt à creatura, (vt nos dicim. Tract. de peccatis diſp. 5. diffic. 4.) ſed tantum ſubdũtur, tanquam pura obiecta, quia peccata iam facta ordinat, vel ad eruditionem, vel ad pœnitentiam, vel ad alia: ſed an Deus permittat peccata ex intentione pœnitentiæ, aut alterius virtutis dicem. diſp. 3. diffic. 6.

Obſeruandum eſt ſecundò, vt optimè Vazq. q. 22. ar. 3. in Deo non eſſe diſtinguendos, adhuc ratione noſtra duos actus, alterum prouidentiæ, quo ab æterno prouideat, circa res futuras ſtatuendo, quid poſtea facturus ſit, & alterũ gubernationis actiuæ, quo in tẽpore exequatur, & faciat quod ab æterno decreuit; quia actus quo ab æterno

no decreuit, ſeu prouidit opus, etiam perſeuerat quando ſit opus decretum & ideò ſuperfluè ponetur in tempore alius actus, præſertim cum nullus ſit in Deo, qui nō fuerit ab æterno, & non minus ſuperfluè ponetur ab æterno alius actus, vt eo exequatur in tēpore, quod decreuit, cū ſufficiat actus ipſe quo id decreuit, ſicut nec in nobis ſūt duo actus voluntatis quādo ſubito occurrit occaſio, & ea preſente ſtatuimus, quid faciendum ſit, & id cōtinuo exequimur; quia tūcvno & eodem actu interiori voluntatis ſtatuimus, & exequimur, quāuis aliquando vno ſtatuamus, & alio quod ſtatutum eſt, executioni mādemus, tunc videlicet quando ceſſāmus à conſideratione eius, quod ſtatuimus, & cōſequenter a decreto, ſeu ſtatuto; quia vt poſtea accedente occaſione operandi fiat effectus, neceſſarium eſt renouare decretum; quia tamen ceſſatio hæc non contingit in Deo, ideò ipſe vno ſolo prouidet ab æterno, & exequitur in tempore.

DIFFICVLTAS VI.

Deus omnia gubernet immediatè immediatione ſuppoſiti, & immediatione virtutis.

PEr gubernare intelligimus excutioni mandare, quòd decretū eſt, & non procedit difficultas de rebus, & operationibus, quæ à ſolo Deo executioni mandantur; quia abſque dubio Deus, in eas vtraque immediatione influit: quia Deus ea, quæ ex ſe ſolo facit, aut conſeruat (vt regulariter conſeruat creaturas) vtraque immediatione facit, & conſeruat, immediatione quidem virtutis: quia facit, & cōſeruat virtute in ipſo exiſtente, & immediatione ſuppoſiti: quia inter dictas operationes: & inter Deum nullum mediat ſuppoſitum, vt patet, ſed procedit de rebus, & de operationibus, quæ etiam fiūt à cauſis ſecundis.

Supponimus autem Deum immediatione virtutis operari, & influere in omnes operationes, & effectus cauſarum ſecundarum, in quo conueniunt omnes, qui admittunt Deum, immediatè concurrere cum cauſis ſecundis, ad ipſarum operationes, & effectus quia eos omnes operatur, & attingit non ſolùm virtute à Deo cōmunicata cauſis ſecundis: ſed etiam propria ſua virtute, in ipſo exiſtente.

Hoc ergo ſuppoſito, cōtrouerſia eſt, an Deus etiā cooperetur ad operationes cauſarū ſecūdarū immediatè, immediatione ſuppoſiti.

Capre. in 2. d. 1. ar. 1. & 3. Fer. 3. contra Gen. c. 70. & Vazq q. 22. ar.

3.

3.num 34. docent Deum, non cooperari cum causis secundis immediatione suppositi, quòd probari videtur. Primò, quia causa secunda subest, & subordinatur primæ in operando: ergo vna attingit propinquius, quàm altera aliàs inter eas nulla esset subordinatio, & nullus ordo, sed causa secunda operatur immediatè, immediatione suppositi: ergo Deus cooperatur mediatè mediatione suppositi. Secundò, quia causa secunda, vt potè peculiaris, & propria modificatur primam, vt potè causam communem: ergo causa secunda propinquius operatur quam prima.

Caietano verò 1.part.quæst.8.art.1. Suarez in Metaphys. disp. 22.sect.1.numer.18.& communiter Theologi, & Philosophi. Docēt Deum cooperari cum causis secundis, ad earum operationes immediatè immediatione suppositi, & meritò, quia inter Deum, & inter operationem causæ secundæ, vt est à Deo, non mediat aliud suppositum: ergo immediatè procedit à diuinis suppositis.

Et confirmatur; quia operatio causæ secundæ immediatè procedit à virtute existente in diuinis suppositis: ergo immediatè procedit ab ipsis; vnde omne suppositum, quod operatur immediatè immediatione virtutis, eo ipso etiam operatur immediatè immediatione suppositi: quòd est verius, & clarius in Deo, cuius supposita sunt re ipsa omnino idem, quod ipsa virtus, concurrit autem Deus, immediatè vtraque immediatione, ad operationem causæ secundæ, secundùm omnem rationem in ea inuentam; quia operatio causę secūdæ est re ipsa omnino indiuisibilis, & vna quoad omnem suam rationem.

Ad priorem ergo rationem aduersariorum concedimus antecedens, & negamus consequentiam; quia subordinatio, & subiectio, qua causa secunda subordinatur Deo in operando, non consistit in eo, quòd mediet causa secunda inter Deum, & inter effectum; sed tantum in eo, quòd causa secunda operetur dependenter à Deo; quia absque Deo non sufficit ipsa.

Et ad posteriorem respondemus causam secundam, in eo solo sensu modificare causam primam, quòd prima cooperatur, cū secūda iuxta exigentiam secundæ, ei se accommodando, & quando sub cōditione vidit causam secūdam operaturam: ex quo nō deducitur causam secundam propinquius attingere operationem, & effectum quam primam.

Deus ergo, & causa secunda, ita immediatè cooperatur ad eūdem effectum; vt æquè immediatè cooperentur, quia cooperatio vnius non est prior cooperatione alterius, nec è contra, nō solū prioritate durationis, quod certissimum est, sed nec causalitatis, seu dependen-

pendentiæ; quia vtriusq; cooperatio, seu concursus est re ipsa omni no idem, & indiuisibilis, dependentia autem realis vnius ab alio sup ponit distinctionem realē inter ea: nihilominus creatura ipsa, dicitur re ipsa dependere à Deo in operando; quia sine eius cooperatione, seu adiutorio operari nequit, ex quo tantum fit operationem causæ secundę, pendere à prima (& ex eo secunda dicitur subordinata primæ) non verò à cooperatione illius.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrū Prouidentia diuina semper consequatur finem, ad quem ordinat media.

CAiet. Bañez & Ripa q. 22. ar. 1. Aluarez de Auxilijs disp 30. & Na uarrete controu. 30 docent prouidentiam diuinam, semper cō sequi finem, ad quem ordinat media, quòd significare videtur S. Th. q. 22. ar. 2. ad 1. dum ait nihil esse in rerum natura, quòd subterfugiat diuinam prouidentiam, & id etiam videtur significare Ecclesia in illa oratione: *Deus, cuius prouidētia in sui dispositione nō fallitur*. Et ratio ne videtur probari; quia prouidentiam frustrari, & non assequi finem, ad quem ordinat media, nequit prouenire, nisi aut ex ignorantia prouidentis: quia ignorat, quæ media sint efficacia ad finem, quem intendit, aut ex impotentia; quia nequit ea media executioni mandare, ignorantia autem, & impotentia Deo repugnant ergo.

S. Thom. verò in 1. d. 40. q. 1. & ibidem Duran. & Capreol. Vazq. disp. 87. Fasol. q. 22. ar. 1. dub. 2. Ruiz. disp. 4. sect. 2. & commun. DD. docent, & meritò prouidentiam diuinam, non semper assequi omnē finem ad quem ordinat media, quòd in primis probatur exēplis; quia negari nequit Deum reprobis prouidere, & præparare media ad gloriam, ad quam eos dirigit, & quam eis desiderat, & tamen eis medijs non consequitur talem finem, & idem etiam aliquando contingit in agentibus naturalibus, quæ aliquando deficiunt à cōsequutione suorum finium particularium, in quos prouidentia diuina diriguntur: quia agentia naturalia aliquando producunt effectus monstrosos, ergo.

Deinde ratione à priori probatur, desumpta ex libertate Dei, ex qua prouenit, quòd non semper velit conferre media efficacia rebus, quibus prouidet, vt consequantur omnes fines, ad quos præparat media, adhuc fines particulares earum (quanuis optimè cog-

noscat, quæ sint efficacia, & quanuis ea possit optimè executioni mandare, quia nihil est quod Deum ad id cogat: præsertim cum voluntas finis ex qua oritur quod Deus prouideat, & præparet media non semper sit absoluta, & efficax (quia ipse sua libertate non vult) sed aliquando, & non raro tantum sit inefficax, & si aliquando sit efficax tantum sit efficax, sub conditione, quæ deficere potest.

Obseruandum est primo, quòd quanuis prouidētia diuina, quoad finem quem præsupponit cōcupitum, antequam præparet media ad illum non semper sit absoluta, & efficax, nihilominus, quoad applicationē mediorum, quę prouidit, seu præparauit ad illū finē semper est efficax, itavt ea media semper tribuat; quia decreto efficaci in quo prouidentia essentialiter consistit, ea decreuit.

Obseruandum est secundo, quòd quanuis diuina prouidentia non semper assequatur finem peculiarem, & proprium rei cui prouidet, & cui præparat media, vt eum finem in quem eam dirigit cōsequatur, & ideo tūc Deus nō dicatur ei rei complete prouidere (quia ei nō vult prouidere complete) quòd nostra sentētia docet, semper tamē Deus cōsequitur aliquem finem, aut vniuersi, aut saltē sibi propriū; quia ad minus consequitur laudem, & gloriam sui in quam tādem Deus omnia ordinat.

Id verò quòd docet S. Th. nempè nihil subterfugere diuinā prouidentiam, nec nobis, nec sibi cōtradicit; quia aliud est quod omnia, quę eueniunt cadant sub diuinam prouidentiam, quod est verum, aliud verò quod omnis finis quem Deus desiderat; semper eueniat, quod est falsum, & non docuit S. Tho. sed tantum illud prius.

Illa autē verba Ecclesiæ, *Deus cuius prouidētia in sui dispositione nō fallitur*, nō significant diuinā prouidentiā assequi omnē finē cōcupitum, sed quòd nō fallitur circa vtilitatem, & efficacitatem, aut inefficacitatem mediorum, quæ præparat ad finem desideratū, quòd est verum, & nobis non contradicit.

Ad rationem verò aduersariorum constat ex dictis, hoc quòd est diuinam prouidentiam, non semper consequi omnem finem desideratum, non prouenire ex ignorantia, nec ex impotentia, nec ex alio defectu Dei prouidentis, sed ex sola sua libertate, ex qua solùm voluit media inefficacia ad illum finem: fiunt autem inefficacia, aut ex libertate liberij arbitrij, quando creaturæ intellectuali conferuntur, aut ex causa aliqua extrinseca impediente (vt in agentibus naturalibus) quā Deus ob alium finem, quem sibi præponit non impediuit, imò eam adiuuauit.

Tan-

Tandem obſeruandum eſt prędeſtinationem in eo differre a prouidentia communi etiam ſupernaturali, quod prædeſtinatio ſemper confert finem proprium, ſeu peculiarem prędeſtinati ad quem ei præparantur media, per prædeſtinationem, vt conſtat ex Paulo ad Rom. 8. dum ait: *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, illos & glorificauit.* & ex Auguſt. de bono perſeuerantiæ cap. 14. dū definit prædeſtinationem quod ſit: *Præparatio Beneficiorum Dei quibus certiſsimè liberantur, quicumque liberantur*: Quòd conuenit prædeſtinationi, non quia ſit pronidentia ſupernaturalis; quia etiam hæc non ſemper conſequitur finem, ad quem præparantur media, vt contingit in reprobis; ſed quia nomine prædeſtinationis intelligitur pars prouidentiæ ſupernaturalis efficax, quæ præparantur media efficacia ad gloriam ſicut etiam ea prouidentiæ naturalis pars integralis, qua præparantur media efficacia ad peculiares fines, poteſt dici prouidentia efficax, & poſſet alio nomine ſimplici gaudere, ſicut pars prouidentiæ ſupernaturalis efficax gaudet nomine ſimplici prædeſtinationis.

Sed an hęc voluntas finis, quæ in prædeſtinatione præſupponitur in Deo ad præparationem mediorum ad illum, ſit efficax dicemus diſp. 2. dif. 5. & etiam an poſsit eſſe efficax ea, quæ prę ſupponitur in prouidentia communi, ad præparationem mediorum: & etiã quomodo prouidentia diuina cohæreat cum noſtra libertate, ſeu quomodo eam non impediat, quæ eſt difficultas etiam communis prædeſtinationi.

DISPVTATIO SECVNDA.

De exiſtentia & natura prædeſtinationis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Deo ſit prædeſtinatio circa creaturas rationales, ſeu intellectuales?

VT à nomine ipſo exordiamur vox *Prædeſtinatio* compoſita eſt ex præpoſitione præ & ex nomine *deſtinatio*: deriuatur autem deſtinatio à verbo *deſtino*, quod inter alia aliquando ſignificat mittere, ſæpius tamen ſtatuere, ſeu definire miſsionem: in præ

sentiarum autem *Prædestinatio* absolutè, & absque addito aliquo sumpta à Theologis, sumitur pro decreto, seu statuto mittendi in vitam æternam: Præpositio vero, *præ* addita est nomini *destinatio*, vt *Prædestinatio* significet antecessionem, seu prioritatem durationis admissionem, imò etiam prioritatem causalitatis respectu missionis: quia statutum, seu decretum, quo creaturæ rationales medijs auxilij mittuntur, seu perducuntur in tempore in vitam æternam, antecedit duratione missionem ipsam; quia missio est in tempore, & decretum est in Deo ab æterno: & etiam antecedit illam causalitate; quia verè est causa illius, & de prædestinatione sic sumpta procedit hæc diffic. & disp. & tractatus totus.

Circa difficultatem, ergo errauit Ioannes Erigene c. 8. sui libelli negando Deo veram prædestinationem: quòd etiam nonnullis tribuitur dixisse.

De fide tamen est Prædestinationem strictè sumptam pro statuto, seu ordinatione missionis in vitam æternam, in Deo reperiri, quòd supponit Tridentinum Sessione 6. cap. 12. & conclusione 16. & id exprimunt plures Patres, & constat ex Paulo ad Romanos 1. & 8. & 11. & 1. ad Corin. 2. & ad Ephesios 1. & ex alijs locis in quibus Deo tribuit prædestinationem hominum in vitam æternam, sub varijs nominibus, nempè prædestinationis, electionis, propositi, & præscientiæ.

Et id ratione Theologica cõstat; quia multi sunt, qui adiutorio Dei transferuntur in vitam æternam, vt constat ex scriptura, hæc autem translatio nequit fieri absq; ordinatione, & decreto Dei, quo id ab æterno decreuit: ergo ab æterno est in Deo ordinatio, & voluntas illius Translationis, seu Transmissionis in vitam æternam, quæ strictè dicitur prædestinatio, quòd ita conuenit Deo, vt nulli creaturę possit cõuenire; quia ipsi soli conuenire potest efficax præordinatio in eum finem supernaturalem.

DIFFICVLTAS II.

Quòd sit obiectum prædestinationis?

EX Dictis disp. 1. diff. 3. constat prædestinationem, sitam esse directè, & formaliter in decreto, seu proposito voluntatis diuinæ, etiam si actus intellectus præsuppositiuè prærequiratur, vt generaliter prærequiritur ad quemcumque actum voluntatis. Quis autem sit hic actus intellectus, & cuius obiecti postea dicemus,

est

est tamen difficultas quod sit obiectum, seu materia circa quã versatur dictum decretum in quo prædestinatio consistit.

Pro eius tamen clariori resolutione, obseruandum est in obiecto, seu materia, circa quam prædestinatio versatur, duo possunt distingui (vt etiam distinximus disput. 1. difficult. 5. in obiecto prouidentiæ) vnum tanquam subiectum, seu finem *cui*, cui procuratur bonum alterum, tanquam bonum quod procuratur subiecto prædestinato.

Hoc ergo supposito certum est prædestinationem, nihil aliud respicere, tanquam subiectum, seu finem, cui nisi creaturam intellectualem (sub qua etiam comprehendimus rationalem) quia prædestinatio est, præordinatio alicuius, tanquam subiecti in gratiam (sub gratia etiam comprehendendo auxilia gratiæ) vel in vitam æternam, vel in vtramque, nulla autem creatura, nisi intellectualis potest, tanquam subiectum præordinari in gratiam, nec in vitam æternam.

Est ergo difficultas de altera parte obiecti, circa quod versatur prædestinatio, tanquam circa bonũ quod subiecto, seu prædestinato procuratur, quod nam illud sit.

Circa quam supponunt Doctores, prædestinationem absolutè, & strictè sumptam, non respicere malum, vt malum, tanquam id ad quod præordinat prędestinatum, non solùm malum culpę: quia Deus inquit aliquem prædestinare, vt peccet, sed nec malum pœnę saltem, vt malum pœnæ; quia prædestinatio, qua quis absolutè, & absque addito dicitur prædestinari, non respicit malum, vt malum, culpa autem, & pœna, vt pœna est malum, & disconueniens subiecto, prædestinatio, ergo solùm respicit bonum, & non quodcumque nisi gloriam, aut ad gloriam conducens, quod dicitur gratia, prædestinatio enim est, prędordinatio alicuius in vitam æternã, tanquam in finem prædestinati.

Punctum ergo controuersiæ, quæ potius est de nomine, quã de re, est an sola gloria, vel an sola gratia, vel an vtraque sit bonum, ad quod prædestinatio præordinat prædestinatũ, idest, an solũ propositum, seu decretum, dandi gloriã prædestinato sit, & dicatur prædestinatio, vel an solũ decretum dandi prędestinato gratiam, vel an decretum dandi prædestinato gratiam & gloriam.

Ocha. Gab. Rub. in 1. d. 40. q. 1. Cather. Opusc. de prædest. libr. 1. cap. vlt. docent solam gloriã esse bonum, ad quèd prædestinatio præordinat prædestinatũ; quia ex vi præordinationis ad eã solã, prædestinatus est sufficiẽter prędordinatus, vt certissimè consequatur gloriam: ergo ex vi illius est sufficienter, & completè prædestinatus.

Hic modus dicendi non placet quatenus à bono circa quod versatur prędestinatio excludit gratiam: primo quia est contra reliquos Theologos, quòd in controuersia modi loquendi, non est leue fundamentum contra illum; quia loquendum est vt multi. Secundò; quia non est satis consonus Paulo, qui ad Romanos 8. indicat prædestinationem versari circa vocationem, & iustificationem præsertim ad Ephesios 1. dum ait: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei*, adoptio autem fit per gratiam formaliter santificantem, & inchoatiue & causaliter per auxilia gratiæ. Tertiò displicet; quia aduersatur modo loquendi Patrum, præcipuè August. qui de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. ait: prædestinationem esse præparationem gratiæ, & de bono perseuerantiæ, cap. 14. ait, esse præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur (id est saluantur) quicumque liberantur, & in Enchiridio cap. 100. prædestinationem appellat prædestinationem ad gratiam. Quarto displicet; quia aduersatur rationi, quam statim adducemus.

Durand. 1. distin. 41. quæst. 2. & Cartagena discursu 3. dub. 2. pag. 45. indicare videntur solam gratiam esse bonum, ad quod prędestinatio præordinat prædestinatum, quòd exprimit Alarcon disput. 2. cap. 3. quibus fauere videtur S. Thomas art. 4. & maximè Augustin. qui semper quòd definit prædestinationem, eam definit per ordinationem ad gratiam, & ratione potest probari; quia prędestinatio est pars integralis Prouidentiæ, vt diximus disput. 1. diffic. 2. Prouidentia autem non est circa finem subiecti, cui prouidetur, sed circa media ad finem illius: ergo prædestinatio non est circa gloriam, quæ est finis prædestinati, sed circa media gratiæ, quibus perducitur in gloriam.

Hic etiam modus dicendi non placet quatenus à bono, ad quod prædestinatio præordinat prædestinatum, excludit gloriam. Primò; quia aduersatur communi modo loquendi, etiam S. Thomæ art. 2. dum ait executionem prędestinationis extendi, vsque ad magnificationem, quæ est glorificatio. Secundò, quia est minus consonus modo loquendi, Pauli ad Romanos 8. vbi prædestinationem vsque ad glorificationem inclusiuè perducit, & cap. 9. vbi ait, Vt ostenderet diuitias gloriæ suę in vasa misericordiæ, quę prędestinauit in gloriam, & Actorum 13. Quotquot erant præordinati in vitam æternam. Tertiò displicet; quia aduersatur modo loquendi Patrum, præsertim August. qui 15. de ciuitate cap. 1. ait, ciuitatem Dei prædestinatam esse ad regnum cœlorum, quanuis non est certũ nomine regni cœlorum intelligere gloriam, & non gratiam, & lib. 1. de prædestinatione Dei (si hic liber est August. cap. 3. vbi prædestinationē appel-

pellat prędeſtinationem gloriæ. Quartò diſplicet; quia aduerſatur rationi, quam poſteà adducimus.

Tandem alij duas in Deo diſtinguunt prædeſtinationes, vnam ad gratiã, qua Deus decernit dare gratiã, & alteram ad gloriã, qua Deus decernit dare gloriam; ad id autem affirmandum ducũturvarijs modis loquendi relatis ex ſcriptura, vbi interdũ prædeſtinati dicuntur prædeſtinari in adoptionem filiorum Dei, & interdum dicuntur prædeſtinari in gloriam, & ex Auguſt. qui interdum prædeſtinationem appellat prædeſtinationem ad gratiam interdum prædeſtinationem gloriæ, & ad regnum cœlorum.

Hic etiã modus dicendi nobis diſplicet; qui aduerſatur communi modo loquendi Theologorũ, qui quanuis in Deo admittant voluntatẽ dandi gratiã, & voluntatẽ dandi gloriã (imò ratione diſtinctas) vtramque tamen ſignificant & cõprehendunt ſub vna perfecta, & completa, & ſimpliciter dicta prædeſtinatione.

Vazq. ergo diſp. 89. & 91. Suarez lib. 1. de prædeſtinatione, cap. 5. Gonçalez diſp. 6. q. 111. Ruiz. diſp. 1. ſect. 8. & cõmuniter Theologi docent, & meritò prędeſtinationẽ eſſentialiter ſimul complecti, & ſignificare vtramque præparationem; nempè ad gratiam, & ad gloriam, ſeu quod idem eſt gratiam, & gloriam eſſe bona, ad quævna cõpleta prædeſtinatione præparatur prædeſtinatus; quod videtur expreſsiſſe Fulgencius, lib. 1. ad Mon. cap. 9. & 10. dum ait: *Propterea omnia, & vocationis initia, & iuſtificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædeſtinatione ſẽper Deus habuit*, & ratione probatur; quia prædeſtinatio eſt quædam cõpleta, & perfecta prouidentia, qua Deus completè prouidet prædeſtinatis, vt adipiſcanturvitam æternam, ad completam autem prouidentiam, qua vnus prouidet alteri pertinet non ſolum ei pręparare media ad finem, ſed etiam eum ad finis adeptionem adiuuare, ſi ad eam ille cui prouidetur egeat adiutorio prouidentis: & etiam prædeſtinatio eſt præordinatio, qua prædeſtinatus mittitur in vitam æternam, perfecta autem, ſeu completa miſsio, nõ tantum reſpicit finem, ſeu terminum, ſed etiam viam ad terminum: ergo prædeſtinatio quæ eſt completa, & perfecta prouidentia, & perfecta, & completa ordinatio admiſsionem, incluſiuè reſpicit gratiam, & gloriam. Vnde hic quadrat (vt optimè Suarez) illud Ariſt. *Vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantum*; quia gratia prædeſtinatur propter gloriam.

Ad rationem ergo primi modi dicendi reſpondemus, quòd quãuis per ſolã voluntatem, ſeu decretũ dandi prædeſtinato gloriã ita ſufficienter ſit ordinatus ad illã, vt ex vi illius formaliter, conſequatur gloriam; quia tamen Deus non habet eam voluntatem, ſeu decretũ

dandi gloriam absq; præuisione mediorū quæ ipse decreuit, & voluit ob gloriā, ideò prædestinatio, quæ est completa præordinatio ad gloriam, etiam includit præordinationem mediorum conducentium ad gloriam.

Ad rationem secundi modi dicendi respōdet optimè Vaz disp. 91 n. 22. negando quod prouidētia præcipue, circa alterū, nō versetur etiam, circa finem, quia quāuis ante prouidentiam etiam, circa alterum præsupponatur voluntas aliqua, circa finillius cui prouidetur; quia ex voluntate finis, in quem prouidēs illum dirigit, etiam præparet, & prouideat media, nō tamē præsupponitur omnis voluntas, circa illum præsertim, quādo finis dandus est à prouidente ob merita, (sub quibus etiam comprehendimus gratiam) vt in præsenti cōtingit; quia tunc finis datur à prouidēte alia voluntate subsequēte visionem meritorum, & comprehensa sub completa prouidētia, qua sub iecto prouidetur ad adeptionem talis finis, & ideò gloria prout subest voluntati sequenti ad præuisionem meritorum, pertinet ad prædestinationem vt obiectum illius, quanuis non pertineat ad ipsam, prout subest priori voluntati, ex qua præparantur media, nec Durā. fauet Aug. qui definiēs prędestinationē, per præparationē gratiæ, nō excludit gloriā, tum quia gloria etiā dicitur gratia cōsummata, tum etiam, quia per prædestinationē præparatur gratia, vt detur gloria.

Ad fundamentum tertij modi dicendi desumptum ex varijs modis loquendi scripturæ, & Aug. respōdemus, quod quanuis voluntas dandi gratiam dicatur prædestinatio, & aliquando etiam voluntas dandi gloriam, neutra seorsim dicitur simplicet, & absolutè prædestinatio, sed cum addito quia prior dicitur prædestinatio ad gratiā, vel adeptionem, & posterior dicitur prædestinatio remunerationis: prædestinatio verò, quæ simpliciter, & absque addito dicitur prædestinatio vtramque voluntatem includit, & tā gratiam, quàm gloriā respicit: & vtramque etiam respicit ea prædestinatio, quæ dicitur ad vitam; quia tàm gratia, quàm gloria dicitur vita: & vtramque etiā respicit ea, quæ dicitur prædestinatio ad gloriam, seu ad vitā æternā; quia ea comprehenditur prędestinatio ad gratiā, quia hęc prępara-tur ad gloriam.

Ex dictis ergo constat prædestinationem completam, seu perfectā & quæ simpliciter, & absque addito dicitur prędestinatio esse præparationem gratiæ, & glorię, seu voluntatem efficacem dandi gratiam, & dandi gloriā quòd nō obscurè significatur definitione Aug. de bono perseuerantiæ c. 14. *Qua definitur, quod sit præparatio beneficiorū Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Quia in hac definitione continetur gratia, quę nomine beneficiorum Dei sig-

significatur, & cõtinetur gloria nomine liberationis significata gloria enim saluatione, & liberatione optimè significatur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm ad prædestinationem præsupponatur in Deo præscientia obiecti ipsius prædestinationis.

CIrca hanc difficultatem supponimus primo ad prędestinationẽ nostro modo concipiendi, præsupponi in Deo scientiam aliquã subiecti, quòd prædestinatur, & etiam gratiæ, & gloriæ ad quas prædestinatur; quia prædestinatio, vt iam vidimus, sita est in decreto voluntatis conferendi prædestinato gratiam, & gloriam, ad decretum autem voluntatis præsupponi debet scientia, seu cognitio earum rerum circa quas decretum ipsum, tanquam circa obiectum versatur.

Est tamen difficultas an scientia quæ præsupponitur sit scientia visionis, an tantum simplicis intelligentię: scientia autem visionis, vt constat ex tract. de scientia, disp 5. diffic. 1. ea dicitur quæ versatur circa res existentes in aliqua temporis differentia, & dicitur prę-scientia quatenus terminatur ad res, vt futuras; quia est duratione prior, seu anterior existentia actuali, & præsente rerum futurarum: scientia vero simplicis intelligentiæ dicitur illa, quæ versatur circa res solum, vt possibiles.

Supponimus secundo scientiam gratiæ, & glorię præsuppositam ad prędestinationem, esse non visionis, sed tantum simplicis intelligentiæ; quia gratia & gloria non præsupponuntur futurę ante prædestinationem; quia prædestinatione ipsa decernuntur fieri, & ideò non cognoscuntur futurę scientia visionis, nisi in posteriori signo post prædestinationem; quia per ipsam prędestinationem sunt faciẽdæ, ac proinde post eam sunt faciendæ, & futuræ.

Est ergo cõtrouersia an scientia subiecti, quòd prædestinatur præsuppositа ad prædestinationem sit visionis, an tantum simplicis intelligentiæ.

Opinio est asserentium eam scientiam non esse visionis, sed tantũ simplicis intelligentiæ (quos sequitur Suarez lib. 1. de prædestinatione, cap. 6 & 1.) qui quanuis in eo conueniant, quod decretum producendi tale subiectum, non præsupponatur nostro modo concipiẽdi ad prædestinationem & consequenter ante eam nequeat subiectũ videri futurum, dissentiunt in assignando instante, seu signo rationis

in

in quo Deus decreuerit producere subiectum; quia quidam ex illis existimant Deum prius decreuisse efficere, & conferre gratiam, & gloriam, & posterius decreuisse producere subiectū; quia subiectum est prius in executione, quam gratia, & gloria, ac proinde posterius in intentione, seu decreto; quia quòd est prius in executione, est posterius in intentione: in hoc tamen hi Auctores decipiuntur, vt aduertunt Suarez vbisuprà, & Vazq. disp. 82. cap. 5. quia Deus non decreuit producere gratiam, & gloriam abstractas, seu separatas â subiecto, sed in subiecto: ergo non prius decreuit gratiam, & gloriam producere, & conferre, quam producere subiecta: axioma autem illud, quòd est prius in executione est posterius in intentione; tantum habet locum in dispositione finis, & medij; non verò in dispositione subiecti, & formę accidentalis, quanuis forma accidentalis sit finis subiecti; quia Deus nihil decreuit fieri circa subiectum ante decretum producendi illud: & ideò Suarez, qui cum his auctoribus conuenit in conclusione, existimat Deum in eodem signo rationis decreuisse producere subiectum, & etiam gloriam conferre, in quo Suarez fallitur; quia vt statim dicemus, decretum dandi gloriam subiecto, est in Deo post visionem subiecti digni gloria.

Opposita ergo opinio verior est asserentium scientiam subiecti prædestinati priorem prædestinatione illius ad gratiam, & gloriam, esse scientiam visionis ipsius, & ea ipsum videri, vt futurum antequā prædestinetur, ita Caiet. 3. par quæst. 1. art. 3. Vazq. vbisuprà, & plures alij qui existimant Deum prius decreuisse creare hominem, quā decreuerit ei dare gratiam, & gloriam, & consequenter prius esse, quòd homo sit futurus & videatur à Deo scientia visionis, quam quod prædestinetur ad illas. Probari autem potest; quia decretum incarnationis Verbi, fuit prius in Deo, quam prædestinatio aliorum hominum, vt dicemus disp. 4. diffic. 9. quia Christus fuit causa prædestinationis hominum, sed decretum incarnationis Verbi fuit post decretum creandi homines; quia ob ipsorum remedium facta fuit incarnatio Verbi: ergo decretum creandi homines fuit prius, quam decretum prædestinationis eorum, ac proinde prius fuerunt futuri, & prius videntur scientia visionis, quam prędestinentur ad gratiam, & ad gloriam.

Deinde quòd prædestinatio immediata ad gloriam sit post visionem subiecti prędestinati, & meritorum ipsius, ex auxilio gratiæ, constabit ex dicendis diffic. sequente, & quod prędestinatio ad media gratię sit post decretum faciendi subiectum, constat ex eo quod decretum dandi media gratiæ subiecto, prędsupponit in Deo voluntatem, saltem simplicem, qua Deus ei desiderat gloriam; quia gratia da-

datur ob glorificationem ſubiecti ei concupitam, tanquam finem ipſius; deſiderium autem illud eſt glorificandi hominem futurum: ergo futuritio hominis prędeſtinati preſupponitur ad decretum dãdi ei gratiam.

Sed an pręuiſio, ſeu preſcientia abſoluta alicuius alius rei in prædeſtinatis prę requiratur, & præſupponatur ordine quaſi cauſalitatis ad totam prædeſtinationem pendet ex dicendis diſput. 3. vbi examinabimus an ſcilicet totius noſtræ prædeſtinationis detur in nobis aliqua cauſa, aut occaſio moralis mouens Deum ad nos prædeſtinãdum; quia ſi detur præuiſio illius, vt futurę preſuppoſita erit ad prędeſtinationem, ſecus verò ſi non detur.

DIFFICVLTAS IIII.

Vtrùm ad prædeſtinationem mediorum gratiæ, vt piè operemur, præſupponatur in Deo præuiſio cooperationis noſtræ ſub conditione futuræ.

SVpponimus ad prędeſtinationẽ auxiliorum gratiæ, quibus cooperamur non præſuponi in Deo pręuiſionem, ſeu præſcientiam cooperationis noſtræ abſolutè futuræ. Sed potius è contra; quia media illa gratiæ prædeſtinantur, vt voluntas noſtra cooperetur, ſeu cõſentiat.

Hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt, An præuiſio cooperationis noſtræ futuræ ſub conditione; nempè ſi dentur talia media, præſupponatur in Deo ad prædeſtinationem eorum.

Non deſunt qui partem negatiuam tueantur (etiam inter eos, qui ſcientiam conditionatam admittunt) quia ſi pręuiſio cooperationis noſtrę, ſub ea conditione futuræ præſupponeretur ad eã prædeſtinationem Deus diceretur prædeſtinare hominem; quia præuidit eum eſſe benè vſurum auxilijs gratiæ, quòd eſſe abſurdum ſtatim conſtabit.

Vazquez verò diſp. 99. num. 43. & 48. Suarez lib. 1. de prędeſtinatione, cap. 7. & plures alij partem affirmatiuam meritò tuentur, quod primò ab abſurdo probatur; quia ſi Deus non pręuideret nos cooperaturos auxilio gratiæ, ſub conditione ſi nobis conferatur, non poſſet prædeſtinatis præparare determinatè talia, vel talia auxilia efficacia, quibus infalibiliter cooperantur; quia ante de-

decretum absolutum dandi auxilia ignoraret, quæ auxilia ex infinitis, quæ potest dare, essent habitura effectum, & consequenter non posset prouidere auxilia quæ sint efficacia, nisi ignoranter, & à casu, & ideò deberet prædestinatis prouidere tentans varia auxilia, vt si vnum non haberet effectum, prouideret aliud, & aliud non quiescens quousque opportunè, & importunè auxiliando tandem tribueret auxilia, quæ post decretum absolutum dandi illa, præuideret habitura effectum: hic autem modus prouidendi auxilia est Deo indignus. Procedit autem hæc ratio ex suppositione, quòd auxilium efficax, non sit physicè prædeterminans voluntatem nostram, & independens quoad efficatiam à nostro libero consensu, vt nos tract. de auxilijs publicè docuimus in hac Academia Complutensi.

Deinde a priori probatur; quia in priori signo, antequam Deus absolutè decernat conferre auxilia efficacia prædestinati, est verum, quod cooperaturi sunt sub conditione, si talia auxilia eis conferantur: ergo sub ea conditione præscitur à Deo, antequam absolutè decernat dare illa auxillia; quia sua infinita perspicacitate attingit omne verum: ergo ad prædestinationem mediorum gratiæ, quibus prædestinati pie operantur, vt adipiscantur gloriam præsupponitur in Deo præuisio cooperationis nostræ futuræ, non absolutè; quia hæc solum est futura post decretum absolutum dandi ea auxilia, sed sub conditione si dentur, & ea præuisione, quasi ducitur Deus ad definite, & scienter præfinienda talia auxilia, quibus infallibiliter sit acquirenda gloria.

Et ea præscientia nostræ cooperationis sub conditione futuræ, qua Deus ducitur ad prædeterminandum determinatè, & scienter dicta auxilia efficacia ante præuisam nostram cooperationem absolutè futuram, ex quo in prædictis auxilijs, vtiq; in causis Deus dicitur remotè prædestinare actus nostros bonos ante præuisam nostram cooperationem absolutè futuram; quanuis ea præ definitione voluntas nostra non necessitur, sicut nec necessitatur ipsis auxilijs efficacibus præ definitis; quia eis potest resistere, eadem etiam præscientia ducitur ad prædestinandos actus nostros bonos immediatè, & in se ipsis; quanuis non ante nostram cooperationem absolutè futurã: eos autem nullo alio modo prædestinat immediatè, quam præ definiendo nobiscum concurrere, sicut in tempore nullo alio modo in eos influit nisi nobiscum concurrendo.

Ad rationem ergo oppositæ partis, & sententiæ respondemus, quòd quanuis ad prædestinationem eorum auxiliorum præsupponatur in Deo præuisio nostri boni vsus, seu cooperationis sub conditione futuræ, Deus tamen non dicitur prædestinare ea auxilia motus

tus noſtra cooperatione, & bono vſu, tanquã ratione moraliter motiua, & merito; quia vt poſteà dicemus, quòd non præuidetur abſolutè futurum, nequit mouere vt meritum: vnde ea præuiſio non prærequiritur in Deo, vt ſibi proponat meritum hominis, ſed vt taliter ſibi proponat auxilium, quòd Deus poſsit ſciens illud eſſe efficax, pręfinire determinatè: auxilium ergo illud non pręfinitur à Deo; quia homo benè operaturus ſit, ſed vt benè operetur, id eſt, non præfinitur, vt præmium noſtræ cooperationis ſub conditione futuræ, ſed vt medium ad illam abſolutè futuram, vt ad finem.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in Deo fuerit voluntas abſoluta, & efficax dandi prædeſtinatis gloriam ante abſolutam præuiſionem meritorum?

SVpponimus primò, quòd certiſsimum eſt, Deum ſecluſo omni ſuo ſtatuto, & ordinatione circa collationem gloriæ poſſe eã concedere, abſque meritis; imò & peccatoribus decedentibus in ſtatu peccati mortalis. Difficultas ergo præſens procedit de facto, ſuppoſito ſtatuto Dei, non conferendi gloriã, abſque meritis, an ſcilicet de facto in Deo ſit voluntas abſoluta, & efficax conferendi prædeſtinatis gloriam ante abſolutam præuiſionem meritorum, procedit autẽ de prædeſtinatis, quibus de facto confert gloriam ob merita, & ſuo modo procedit de prædeſtinatis, quibus eam tantum confert ob ſolam gratiam, qualiter eam confert omnibus infantibus prædeſtinatis carentibus vſu rationis, & aliquibus adultis, præſertim parum poſt vſum rationis viuentibus; quia aliqui ex his, ex hac vita decedunt cũ ſola gratia, abſque meritis, an ſcilicet etiam ſit in Deo voluntas abſoluta, & efficax eis conferendi gloriam, ante abſolutam præuiſionem gratię: & quod dictum fuerit de voluntate dandi prædictis prioribus prædeſtinatis gloriam ante abſolutam præuiſionem meritorum, etiam ſuo modo dicendum erit, de voluntate dandi gloriã poſterioribus prędeſtinatis ante abſolutam præuiſionem gratiæ.

Supponimus ſecundo, in quo Doctores contra nonnullos communiter conueniunt, inter dictam voluntatem dandi gloriam ex vna parte, & inter voluntatem dandi auxilia efficacia ad merita, & præuiſionem eorum auxiliorum, & meritorum ex altera eſſe, ordinem prioris, & poſterioris noſtro modo concipiendi; quia quanuis decre-

tum

tum absolutum,& efficax Dei dandi gloriam, & auxilia efficacia ad merita,& cooperandi nobiscum ad merita sit re ipsa vnum, & simpliciſsimum,nihilominus pro diuersitate obiectorum à nobis distinguitur in plura instar nostrorum decretorum; quia in nobis circa similia obiecta sunt re ipsa plura decreta,& ita à nobis concipiuntur, vt plura, vt pro subordinatione obiectorum inter se, etiam concipiantur cum ordine prioris,& posterioris inter se; quia gloria & merita dicernuntur à Deo cum subordinatione inter ipsa, vnum videlicet propter aliud, vt ex dicendis constabit, & ideò nostro modo concipiendi vnum decernitur, & præuidetur â Deo, prius quam aliud.

His ergo suppositis Caiet. Bañez, Nauarrete, Ripa, Nazarius,& Gonçal. quæst. 23. art. 4. & 5. Scotus Durand. & Richardus in 1. dist. 41. Toletus, Bellarminus, Suarez, Arrubal, & alij, quos referunt,& sequuntur Ruizius disp. 12. sect. 3. & Fasolus quæst. 23. art. 1. dub. 3. (quibus fauere videtur S. Tho. quæst. 43. art. 4. dum ait, electionem ad salutem præsupponi prædestinationi) generaliter docent in Deo esse decretum absolutum, & immediatum, & efficax dandi gloriam omnibus prædestinatis(quibus ob merita illam confert) ante decretum dandi eis auxilia,& cooperandi cum eis ad merita, & ante præuisionem auxiliorum,& meritorum.

Id autem probant ex scriptura,& ex partibus, & ratione, & in primis ex scriptura, primò ex illo ad Romanos 9. vbi de Iacob,& de Esau dicitur: *Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia maior seruiet minori*, vbi apertè significatur in electione nullam haberi rationem operum, sed fieri ex misericordia, & ex liberalitate Dei,& ideò sic concluditur: *Ergo non est volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei*: quod autem ibi sermo sit de electione ad gloriam deduci videtur, ex eo quod infra vocat electos, vasa misericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam.

Secundò probatur ex illo, Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*: voluntas ergo dandi regnum, seu gloriam est mere gratuita, seu liberalis, & ex solo beneplacito Patris, absque præuisione meritorum, etiam iuxta illud, Psal. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.*

Tertiò probatur ex illo, 1. ad Corint. 4. *Quis te discernit*, vbi Paulus totam discretionem inter iustos, & iniustos refert in voluntatem Dei.

Quartò ex illo Ioannis 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quòd non esset verum, si Deus nos eligeret ob nostra merita præ-

uisa,

uiſa, ille enim qui ob merita eligitur, potius eligit, quam eligatur.

Quintò ex illo Pauli ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna:* ergo non eſt decreta ex operibus, & meritis, aliàs non eſſet gratia, & eodem expectare videtur illud Pſalm. 12. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.*

Deinde id probant ex Auguſt 1. ex lib. de correptione & gratia, cap. 7. vbi poſtquam egerat de electis electione gratiæ, & ante merita ſubdit, electi ſunt ad regnādum cum Chriſto: Et inferius: eos elegit ad obtinendum regnum ſuum: admittit ergo Auguſt. electionem ad gloriam omnino gratis, & abſque præuiſis meritis habitam.

Secundo ex libro de bono perſeuerantiæ, cap. 8. vbi eas proponit quæſtiones, cur ex duobus adultis impijs vnus ita vocetur, vt vocantem ſequatur, & alter contra non vocatur, aut ita vocetur, vt nō ſequatur? & cur ex duobus pijs huic donetur perſeuerātia, vſque in finem, illi autem non donetur? & ad eas quæſtiones nihil aliud reſpondet, niſi in ſcrutabilia eſſe iudicia Dei, totumquè ex diuina electione pendere, de qua loquitur Paulus ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo*, ea autē electio ex Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. eſt ad gloriam: ergo ex mente Auguſt. electio ad gloriam eſt ante decretum dandi auxilia ad bene operandum, & perſeuerandum, & conſequenter ante præuiſionem meritorum, & perſeuerantiæ: & eam eſſe mentem Auguſt. deducunt ex epiſtola Proſperi ad Auguſt. quę eſt ante librum de prædeſtinatione ſanctorum, vbi Proſper ſupponens eam eſſe mentē Auguſt. ob quod plures perturbati fuerunt, petit ab Auguſt. vt eam rem amplius declaret.

Tandē id probant ratione; quia ordinate procedens prius vult, & intēdit finē, quā velit media: ergo Deus qui ordinatè procedit, prius vult, & intēdit prędeſtinatis gloriā, quę eſt finis, quā eis velit, & præparet merita, quæ ſunt media ad gloriā, quòd autē dicta voluntas, & intenio gloriæ debeat eſſe efficax, & abſoluta probatur; quia electio mediorū accommodatur intentioni finis; quia ex ea oritur, ſed Deus in electione mediorū ad gloriā, ita ſe habet, quod prædeſtinatis velit, & præparet media efficacia quibus infallibiliter conſequentur gloriā: ergo prædicta electio, & pręparatio mediorū, procedit ex volūtate, & ex intentione efficaci, & abſoluta dandi gloriā, ergo hæc intentio gloriæ eſt in Deo ante præuiſionem meritorum.

Ocham in 1. diſt. 41. quæſt. 1 Gabr. quæſt. 1 art. 2. & Cather. lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 2. duos in hominibus ſaluandis conſtituunt ordines, vnum quorumdam eximie prædeſtinatorum, vt B. Virginis, Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, & aliorum paucorum qui ante merita præuiſa electi fuerunt efficaciter, & abſolutè ad gloriam,

& ho-

& hos solos Catherinus appellat prædestinatos; quia sunt eximiè destinati in gloriam; quia secundum ipsum illa particula *præ*, non aliam prioritatem denotat, quam perfectionis, & excellentiç, alterum cõstituunt ordinem saluandorum, quibus non nisi post præuia eorum merita Deus efficaciter decreuit dare gloriam, quos Ochã, & Gabetiam prædestinatos vocant; Catherinus verò, non nisi saluandos; quia non sunt eximie prædestinati in gloriam, ducuntur autem ad constituendos aliquos præelectos efficaciter ad gloriam, ante præuisa eorum merita; quia Deus eis specialissimè prouidit, vel ab infantia eximijs gratiæ auxilijs eos præueniendo, & protegendo, vel post infantiam eos miraculosè conuertendo. Prouidentia autem, & cura adeò specialissima indicium est dictæ electionis ad gloriam ante præuisa eorum merita, cui fauere videntur illa verba Ecclesiæ de B. Virgine: *Elegit eam Deus, & præelegit eam*: eosdem etiam duos ordines saluandorum, in Angelis constituunt nonnulli recentiores.

Bonauentura verò in 1. dist. 41. quæst. 2. Molina & Valencia quæst. 23. Vazq disp. 89. Lessius de prædestinatione sect. 2. Mæratius disput. 41. sect. 1. Alarcon disput. 2. cap. 11. vterque Tur. Becanus, & plures alij docent, & meritò in Deo nullam fuisse voluntatem efficacem, & absolutam dandi prædestinatis: adhuc sanctissimæ Virgini gloriam ante prçuisa eorum merita, sed tantum postea visa.

Id autẽ probatur ex Scriptura, & ex Patribus, & ratione, & in primis probatur ex Scriptura 1. ex illo 1. ad Corint. 2. *Oculus non vidit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum*, vbi satis significatur bona opera iustorum, qui bonis operibus saluantur esse causam prçdestinationis regni cœlorum: & idem insinuatur, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; esurijui enim, & dedistis mihi manducare*: quibus verbis etiam significatur bona opera prædestinatorum, non tantum esse causam, ob quam sint accepturi regnum, sed etiam ob quam fuit illis præparatum, seu decretum: in quibus duobus testimonijs satis indicatur prçdestinatis, non præparari gloriam ante præuisa ea opera meritoria. Secundo probatur ex illo Petri 1. *Satagite fratres, vt per bona opera certam vestrã vocationem, & electionem faciatis*, & ex illo, Apocalipsis 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, in quibus duobus testimonijs supponitur gloriam, & coronam iustitiæ, ad quam prædestinati sunt vocati, & electi, posse amitti ex defectu operum: ergo ante bona opera prçuisa, non est illis à Deo decreta, seu præparata gloria; quia si ante ea, esset illis prçparata, non posset ab eis amitti, quod autem non sit in Deo admittenda duplex prçparatio gloriæ, vna executiua post præuisa merita, & altera purè intentionalis ante illa præuisa statim dicemus.

Deinde

Deinde probatur ex Patribus, qui nulla mẽtione facta prælectionis ad gloriam ante præuisa merita, aliqui indicant, & alij exprimũt eam esse post merita præuisa.

Et in primis eam exprimere videtur Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. dum ait: *Non quia Deus inuenit opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum iustificationis, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum.* Nam si non esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur: quis accusabit aduersus electos Dei, non tamen electio præcedit iustificationem; sed iustificatio electionem; nemo enim eligitur, nisi distans ab illo qui reijcitur: vnde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo dictum sit, nisi præscientia, hæc Augustinus vbi satis exprimit electionem ad gloriam ex præscientia operum, & iustificationis, quòd Augustinus numquam retractauit, imò id iterum approbauit Sermon. 7. de Verbis Domini secundùm Matthæum dicens: *Quos voluit Dominus elegit, elegit autem etiam secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam.* Vbi non solùm admittit electionem ad gratiam gratis factam, & absque præuisis meritis; sed etiam admittit electionem ad gloriam ex iustitia, seu ex meritis gratiæ præuisis.

Vbi obseruandum est, quòd quanuis in ea quæstion. 2. ad Simplicianum, voluntatem efficacem dandi gratiam noluerit appellare electionem; quia fieret absque præuio examine operum, seu absq; distantia, & inæqualitate operum inter eos, quorum vnus eligitur, & alius reijcitur, & ideò per electionem cuius Paulus facit mẽtionem ad Ephes. 1. & ad Roman. 8. non intellexerit electionem ad gratiam, sed ad gloriam: postea tamẽ sentẽtiam mutauit, & dictam voluntatẽ appellauit electionem eo Serm 7. & clarius de Prædest. Sanct. c. 19. & sæpè alibi.

Quòd verò Augustinus nullam aliam voluntatem absolutam, & efficacem, & immediatam dandi gloriam ante merita gratiæ præuisa cognouerit in Deo deducitur; quia si eas duas voluntates agnouisset, vtriusque absque dubio in vno aliquo loco mentionem fecisset, vt rem adeò subtilem commendaret, & in re tanti momenti æquiuocationem auferret, nullus autem assignari potest locus in quo id fecerit, imò nec in quo mentionem fecerit solius electionis efficacis, & immediatæ circa gloriam ante merita præuisa, vt constabit ex explicatione principalium testimoniorum, quæ ab aduersarijs adducuntur, ex quorum explicatione reliqua alia facile poterunt explicari.

Et id exprimit Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 3. dum explicãs illud Mat. 20. *Non est meum dare vobis*, ait non est inquit meum, qui iustitiam seruo non gratiam, deniq; ad patrem referẽs addidit quibus paratum est, vt ostenderet patrem quoq; non petitionibus deferre solere; sed meritis, quia Deus personarum acceptor, nõ est vnde & Apostolus, ait quos præsciuit, & prædestinauit: nõ enim ante prædestinauit, quàm præsciret; sed quorum merita præsciuit eorum præmia prædestinauit: hucusque Ambros. & in Comment. ad Epist. Pauli in eundem locum ad Roman. 8. ait: Quos præsciuit futuros, sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda, & idem tradit Athanas. in eundem locum Pauli.

Damascen. quoque lib. contra Manich. pag. 56. ad exprimit dum ait, præuidens Deus ea, quę nos spõte facturi sumus: ea scilicet quæ sunt in nostra potestate prędestinauit: præmia, & suplicia prædefiniuit.

Et Fulg. lib. 1. contra Monim. c. 24. id exprimit dum ait, prædestinauit illos ad suplicium, quos à se præsciuit voluntatis malæ vitio discessuros, & prędestinauit ad regnum, quos ad se prędsciuit misericordię præueniẽtis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequẽtis auxilio esse mansuros, & idem tradit Prosper. ad obiectiones Vincẽtianas resp. 12. & ad capitula Gallorum resp. 7. & lib. de vocat. gẽtium c. 23. & 26.

Idem etiam indicat Hier. in c. 1. Isai. & in c. 1. Malach. & in Epist. ad Hedibiam q. 10. & idem indicant alij plures Patres, quos omittimus supra, adductis contenti.

Tandem sententia nostra, probatur ratione: & in primis eius pars affirmatiua, nempè in Deo post præuisa merita, & perseuerantiam in illis vsque ad mortem fuisse decretum efficax, & absolutum retribuendi nobis gloriam ob ea merita: quia Deus in tempore retribuit nobis gloriam ob merita, vt tota Scriptura clamat, prę sertim illud Matth. 25. *Possidete paratum vobis regnum, esurui enim, & dedistis mihi manducare*: Ea autem retributio fieri nequit absque voluntate, & decreto absoluto, & efficaci, ita retribuendi; quia nihil fit à Deo absque decreto absoluto, & efficaci: ergo post præuisa merita, & perseuerantiam in illis fuit, & est in Deo decretum absolutum, & efficax dandi gloriam ob illa merita.

Pars verò negatiua, seu exclusiua, nempè pręter prædictum decretum absolutum, & efficax dandi gloriam, ob merita præuisa, non esse aliud in Deo ante pręuisa merita, ob quæ eam confert prædestinatis decedentibus in meritis, quòd immediatè, & efficaciter versetur circa gloriam, nec secundum se, nec cir-

circa gloriam, vt coronam. Probatur primò; quia ex vna parte tale decretum non eſt neceſſarium, & ex altera parte deficiente neceſſitate illius non eſt aliud fundamentum ſufficiens ad illud admittendum: ergo admittendum non eſt, conſequentia Patet: antecedens autem, in primis quoad priorem partem, nempè tale decretum non eſſe neceſſarium probatur; quia ſi ad aliquid maximè vt eo præuio Deus conferat dictis prædeſtinatis auxilia efficacia, quibus efficaciter, ſeu cum effectu adipiſcantur gloriam, vt aduerſarij exiſtimant, ad id autem non eſt neceſſarium; quia ad id ſufficit deſiderium inefficax dandi illis gloriam; quia quanuis hoc non ſufficiat ad determinandum, ſeu cogendum Deum ad danda dicta auxilia efficacia: imò nec ad danda auxilia non efficacia, ſufficit tamen ad ſuadendum, ſeu inducendum Deum ad id, Deus autem ſic ſuaſſus quanuis non perſuaſſus, ſeu coactus poteſt pro ſua libertate, quæ ſibi non deficit quanuis deficiat coactio conferre auxilia etiam dicto modo efficacia ad adeptionem gloriæ: quilibet enim etiam creatura intendens finem, & illum adipiſcens per media dicto modo efficacia, quanuis poſita in ſua libertate, poteſt pro libertate ſua illum intendere, aut efficaciter; ita vt ex vi illius intentionis, ſi perſeueret, cogatur apponere media efficacia, aut ſolum inefficaciter, prout maluerit, ita vt ex vi huius intentionis inefficacis non cogatur; ſed tantùm excitetur, ſeu ſuadeatur ad ponenda media etiam efficacia ad adeptionem finis, vt dicimus 1. 2. Tractat. de Actibus diſp. 4. diffic. 9. Nullo enim fundamento oſtendi poteſt coactionem, quę fit intentione efficaci finis, prærequiri ad electionem medij efficacis, etiam ſi iſtud tantum eligatur, vt vtile ad finem efficaciter intentum, & non ad alium finem, nec ex alio motiuo: Imò oppoſitum probari poteſt; quia ſi ſola ſuaſio (abſque coactione) quæ fit deſiderio inefficaci gloriæ ſufficit, vt Deus efficaciter, ſeu eum affectu conferat reprobis media ſufficienter vtilia, ad finem deſideratum minora, & maiora, non ſolùm eidem perſeuerantiæ; ſed etiam diuerſis vni minora, & alteri maiora, cur etiam non ſufficiet, vt conferat media efficacia ad eum finē: & cōfirmatur hęc ratio; quia Deus ex ſolo deſiderio inefficaci noſtri conſenſus excitatus confert reprobis, & prędeſtinatis auxilia efficacia ad eorum conſenſum, abſque intentione efficaci, talis conſenſus aliàs ex ea intentione neceſſitarentur ad conſenſum: ergo etiam ex ſolo deſiderio inefficaci dā dì prędeſtinatis gloriam, poterit eis conferre media, quibus cum effectu adipiſcantur gloriam. Deinde idem antecedens, quoad poſteriorem partem, nempè quod deficiente neceſsitate dicti

decreti efficacis ante præuisa merita, non sit aliud sufficiens fundamentum ad illud admittendum, probatur, quia si admitteretur eo Deus, conferret gloriam liberaliter immediatè (quòd quanuis sit compatibile cum dicto decreto dandi gloriam ob merita, quia vno decreto dari liberaliter quando habetur ex motiuo donandi, non excludendo positiuè merita, & alio dari oneroſè quando istud aliud habetur ob onus meriti, vel ob aliud onus, non sunt incompossibilia) nullum tamen est fundamentum ad asserendum Deum conferre liberaliter, & immediatè gloriam; quia nullum est nec desumptum ex auctoritate; quia nec in Scriptura, nec à Patribus significatur gloriam â Deo conferri immediatè liberaliter; quia tantùm significant conferri, ob merita, vel ob gratiam, vel ob vtrumque, & si aliquando significant gratis conferri, tantum loquuntur de collatione gloriæ mediatè; quia liberaliter confert auxilia medijs quibus prædestinati adipiscuntur à Deo gloriam; nec est aliquod fundamẽtum ex ratione desumptum: quia nulla apparet, qua id possit probari: quòd autem si tale decretum admitteretur, eo Deus gloriam liberaliter immediatè conferret, probatur; quia in primis eo cõferret immediatè gloriam, quia tale decretum esset immediatè gloriæ, & absolutum, & efficax illius, vt aduersarij intẽdunt; quia de eo solo est controuersia inter nos, & ipsos: ergo Deus cõferret immediatè gloriã: Deinde eo conferret gloriam liberaliter; quia eo, vt potè perfectè, & plenè habito ante merita, & ante gratiã, nequit ob ea gloriam conferre; sed tantum liberaliter, & gratis.

Quòd si respondeas tale decretum immediatum, & absolutũ, & efficax gloriæ esse purè intẽtionale, & nõ executiuũ, & ideò eo nõ cõferri gloriã; sed alio posteriori habito, post præuisa merita (submeritis comprehẽdo gratiã) cõtra responsionẽ est, quòd omne decretũ efficax Dei, nequit nõ esse factiuũ, seu executiuũ rei cuius est efficax eo modo, quo est efficax illius; quia est decretũ Dei potẽtis efficere omne quod efficaciter decernit: ergo si dictũ decretũ, quòd aduersarij admittunt est immediatũ, & absolutũ, & efficax gloriæ, nõ tantum erit intẽtionale; sed etiam erit immediatè, & absolutè factiuum, & executiuum gloriæ absque medio alio decreto.

Secundò, eadem pars negatiua, seu excluſiua nempè, quod in Deo ante præuisa merita, non sit voluntas immediata, & absoluta, & efficax dandi prædestinatis gloriam, quibus eam ob merita tribuit, probatur; quia si Deus ex se ipso ante præuisa merita, & ante præuisum consensum nostrum absolutum immediatè, & absolutè, & efficaciter eligeret prædestinatos ad gloriã, nõ maneret in eis libertas,

vt

vt damnari posſint, & non ſaluari (quanuis liberi manerent circa ſingulas actiones in particulari) ſed ita manerent deſtinati ad gloriam, vt antecedenter non poſſent ab ea diſcedere, hoc autem conſequens eſt falſum, & contra ſcripturam: ergo & antecedens: & in primis quod ex dicta volũtate efficaci, ſeu decreto ſequatur in prædeſtinati neceſsitas antecedens, vt ſaluentur, quæ tollat libertatem, qua poſsint non ſaluari, probatur; quia non fuit in poteſtate prædeſtinatorum, quod Deus decerneret eis dare gloriam, & poſito eo decreto efficaci eos ſaluandi eſt impoſsibile eos non ſaluari; quia nullus poteſt decreto efficaci Dei reſiſtere, ergo non manerent liberi, ſeu indifferentes, vt ſaluari, & non ſaluari poſſent, conſequentia patet, quia impoſsibilitas, aut neceſsitas prouenies ex aliquo, quòd ita præcedit libertatem noſtram, vt ex nobis non pendeat poni (quæ ab Anſelmo lib. de concordia præſcientiæ cum libero arbitrio dicitur impoſsibilitas, aut neceſsitas antecedens (tollit in differẽtiam, ſeu libertatem, vt ibi docet Anſelmus, & ex ſe patet; quia impoſsibile eſt, quod aliquid adueniat ſine noſtro conſenſu, quòd nos vitare nequeamus, & quòd eo poſito in vnam partem neceſſario inclinemur: & nihilominus quod circa eam indifferentes, ſeu liberi maneamus.

Quod ſi reſpondeas primo ex decreto illo efficaci voluntatem non amittere libertatem; quia eſt ei extrinſecum, & nullatenus in eam phiſicè influit, nec eam phiſicè immutat, ſed eam phiſicè relinquit, ſicut ſi in Deo nullum eſſet decretum, contra hanc reſponſionẽ eſt, quòd ex eo decreto poſito, quanuis voluntati extrinſeco, & eam phiſicè non immutante, fieret, quòd non poſſet in quamlibet partem oppoſitam inclinari; quia diuino decreto efficaci reſiſtere nequit quanuis aliàs eo decreto deficiente poſſet: ergo quanuis eſſet extrinſecum voluntatis, ei aufferret libertatem ſicut, & indifferentiam ad oppoſita, & ita Anſelmus loco citato reddens rationem, ob quam diuina præſcientia futurorum non auferat libertatem, non dixit quia præſcientia eſt noſtræ voluntati extrinſeca, & eam phiſicè non immutat, quòd poſſet facilè dicere; ſed ſolum dixit, quòd præſcientia ſupponit futuritionem rei, ſeu eſt futuritione poſterior, & quia neceſsitas qua id quòd præſcitur à Deo eſt neceſſario futurum, eſt ſolum neceſsitas cõſequens, & non antecedens denotans quod ſi præſcientia, quanuis extrinſeca voluntati antecederet futuritionem noſtri actus, qui præſcitur auferetur libertas circa illum.

Quod ſi reſpondeas ſecundo tale decretum efficax dandi gloriam non eſſe ſimpliciter antecedens noſtram libertatem; quia ſupponit conſenſum noſtrum ſub conditione futurum, & ideo non

auferre libertatem; quia eam sub conditione: supponit contra responsionem est quòd quanuis decretum istud efficax, & absolutum præsupponeret consensum nostrum sub conditione futurum, non tamen præsupponeret consensum absolutè futurum, sed esset ante illum: ergo tale decretum non fuisset in nostra potestatè absoluta; quia impossibile est nostram libertatem absolutam seruari, quando ad eam supponitur aliquid, quòd nullo modo fuit in nostra potestate absoluta, & eo posito, nequit absolutè in oppositum inclinari ex decreto: ergo illo absoluto, quanuis extrinseco voluntati, & quanuis supponeret nostrum consensum sub conditione futurorum, destruitur nostra libertas absoluta, vt possimus saluari, & non saluari; quia est ante eam, ac proinde, cum, vt saluemur necessarium sit in gratia perseuerare, & mori absque peccato mortali, non erit liberum electis ad gloriam perseuerare, & absque peccato mortali decedere: addimus quod posito eo decreto efficaci non posset supponi consensus noster liber sub conditione futurus; quia sicut eo decreto tolleretur libertas absoluta, etiam tolleretur libertas eiusdem sub conditione.

Quod autem consequens illud, nempè prædestinatos ex decreto illo; ita manere destinatos ad adeptionem gloriæ, & ad perseuerantiã in gratia, sic in cõmuni, vt ab eis excedere non possint, quanuis aliàs maneant liberi circa singulas actiones, sit falsum & contra scripturã probatur: & in primis quod prædestinati nõ sint liberi ad gloriã adipiscendã, vel amittendã, probatur primò; quia aliâs frustra diceretur in oratione dominica à prædestinatis: *Adueniat regnum tuum*, & quia ab eis amitti non posset, & quia ex eorũ oratione non penderet. Secundò, quia aliàs qui est vas honoris electũ in gloriã, non posset propria iniquitate se vas contumeliæ, & damnationis efficere, quòd est contra Paulũ 1. ad Timot. 2. Tandem tertio, quia electo frustra dicetur illud Apocalipsis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; quia respondere posset: non egeo esse solicitus; quia corona mea posita est in manu Dei, de qua nullus alius eã rapere potest, quòd si respondeas scripturã ita loqui, non quia corona prædestinatorum amitti possit, sed vt prædestinatus stet in timore, & tremore contra responsionem, est: quia si impossibile est prædestinato gloriã amittere, nequaquam timebit amissionem illius: ad quid ergo persuadebitur, vt stet in timore, adeptio ergo gloriæ, ita est in potestate prædestinati, vt eam amittere possit propria iniquitate: & ideò Paulus, quanuis certus de sua prædestinatione; quia tamen sciebat adeptionem gloriæ in sua libertate esse positam, & ex suis operibus pendentem, dicebat 1. ad Corinthios 9. *Castigo corpus meum, & in-*

ser-

ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar, vbi particula *forte*, indicat libertatem, qua poterat damnari, & non ſaluari.

Ex ſuppoſitione autem, quòd prędeſtinatus ex eo decreto eſſet antecedenter neceſsitatus ad adipiſcendam gloriam, & eam non amittendam, dicendum etiam eſſet manere antecedenter neceſsitatum ad perſeuerandum in gratia, & abſque peccato mortali; quia ad gloriam conſequendam, id eſt neceſſarium ex ſtatuto, & ordinatione Dei, ita vt neceſsitas antecedēs non amittendi vitam æternam proueniret ex dicto decreto abſoluto, & efficaci dādi gloriam, & neceſsitas perſeuerandi abſque peccato mortali proueniret ex eo decreto, quo ſtatuit non dare gloriam, niſi perſeuerantibus in gratia ſuppoſito eo decreto priori abſoluto, & efficaci, admiſſo ab aduerſarijs dandi prædeſtinatis gloriam.

Præter decretum ergo efficax poſterius, quo Deus poſt pręuiſionem meritorum elegit efficaciter prædeſtinatos ad gloriam, & ob quem eam de facto retribuit, nullum aliud abſolutum, & efficax circa gloriam admittendum eſt in Deo ante prævniſionem meritorum: & non ſolum non eſt admittendum circa gloriam ſecundum ſe, ſed nec circa gloriam, vt coronam; quia neutrum eſt admittendum immediatè efficax gloriæ ob rationes dictas, nec admittendum eſt mediatè efficax gloriæ, nec ſecundum ſe, nec vt coronæ; quia ſi admitteretur mediatè efficax, eſſet, vel quia admitteretur immediatè efficax meritorum, ob quę danda eſt gloria, etiā vt corona iuſtitiæ, vel quia eſſet immediatè efficax illius alterius decreti poſterioris efficacis, quo immediatè conferetur gloria ob merita; neutro autem modo admittendum eſt immediate efficax: & in primis non meritorum, & quia neceſſaruim non eſt, vt Deus conferat auxilia efficacia, neceſſaria ad illa, & quia non eſt aliquod aliud fundamentum ad illud admittendum ob rationes ſupra adductas, & etiam quia prędeſtinati non manerent liberi ad merendum, nec ad non merendum; quia eſſet decretum antecedens ad ipſa merita: deinde non eſt admittendum decretum aliquod prius, immediatè efficax illius poſterioris decreti, quo de facto retribuit gloriam ob merita: & quia ad iſtud poſterius non eſt neceſſarium Deo, vt patet, nec ad conferenda auxilia ad merita, ob quæ de facto conferenda eſt gloria, nec eſt aliquod aliud fundamentum ad illud admittendum, vt conſtat ex dictis, & quia eo decreto, ſi admittatur etiam auferretur libertas ad merendum, & ad non merendum gloriam; quia ſi tale decretum admitteretur,

esset antecedens, non solum ad ipsum decretum, quo de facto retribuitur gloria, sed etiam ad ipsa opera, ob quæ retribuenda esset gloria ex vi huius decreti, quo de facto retribuitur; quia ad istud exequendum necessaria sunt merita.

Id ergo, quòd dictum est de adultis prædestinatis, quibus tribuitur gloria ob merita, quòd scilicet non sint efficaciter electi ad gloriam, nisi ex præuisione meritorum in gratia, & ex auxilio gratiæ factorum, quia in tempore non eis aliter confertur, nisi vt hereditas ob gratiam, qua sunt Filij Dei, & vt merces, eorum meritis correspondens: idem etiam dicendum est de paruulis, qui moriuntur in gratia, absque meritis, quòd non eligantur efficaciter ad gloriã nisi ex præuisione iustificationis, in qua morituri sunt; quia eis non nisi ob eam iustificationem confertur gloria, vt hæreditas tanquam Filijs.

Prædicta autem Doctrina, qua in Deo solum admittimus decretum efficax gloriæ, quo post præuisa merita illam retribuit, & nõ etiam ante illa præuisa est generaliter vera respectu omnium prædestinatorum, etiam sanctissimæ Virginis, & Angelorum; quia fundamentis pro nostra sententia adductis, id generaliter probatur, & nullum est quo aliquos excipiamus à dicta generali doctrina; quia illa specialissima prouidentia Dei, erga Virginem & nonnullos alios prædestinatos, non est sufficiens indicium intentionis efficacis ad gloriam ante præuisa eorum merita; quia ad illa maxima, & vberrima auxilia sanctissimæ Virgini, & nonnullis cõferenda sufficiebat in Deo præsuppositum desiderium illud inefficax gloriæ erga omnes commune & æquale; quia post illud est Deo liberum conferre maiora, & minora auxilia, & idem personæ, & diuersis: vndè puri homines, qui specialiter dicuntur fuisse in gratia confirmati, vt B. Virgo & nonnulli alij, non dicuntur fuisse confirmati; quia habuerint necessitatem aliquam antecedentem perseuerãdi in gratia prouenientem ex decreto aliquo gloriæ ad merita, nec aliunde, sed quia perseuerantiæ, quam aliquo tempore habituri erant, habuerunt reuelationem ob quam certissimè, & firmissimè credebant ex tunc non amissurus gratiam: & beata Virgo dicitur electa, & prælecta à Deo, non quia fuerit præelecta ad gloriam ante merita præuisa, sed quia fuit electa ad multo maiora auxilia, quam reliquæ puræ creaturæ, vnde particula *præ*, si hic aliquid speciale significat tantum est esse electam ad aliquid speciale ex parte obiecti ad maiora videlicet auxilia, quam reliquæ purę creaturæ, ex quo constat ad fundamentum secundæ sententiæ Ocham, Gab. & Catherini.

Ad fundamenta autem primæ sententiæ oppositæ respondemus, &

in

in primis Vazquez diſp,89 cap.12.& 3.par.diſp.23.cap.8.Sanctum Thomam qui obſcure loquitur,ita explicat, vt nomine electionis quam, ait præcedere prædeſtinationem non intelligat electionem ad gloriam,ſed electionem inefficacem ad omnia auxilia congrua quaſi in communi vſque ad mortem,quibus prædeſtinatus perducatur in gloriam,& per ſalutem æternam non gloriam, ſed prædicta omnia auxilia,& nomine prædeſtinationis intelligat aliam præordinationem,ſeu voluntatem,qua Deus poſt eam electionem dãdi omnia dicta auxilia quaſi in communi decreuerit ſigillatim, & ſpecialim omnia auxilia congrua vſque ad mortem.

Teſtimonia verò Scripturæ adducta pro prima ſententia ei nõ faũent;quia ex eis nihil poteſt deduci pro electione partiali, & immediata, & efficaci ad gloriam ante merita præuiſa, & in primis Paulus in eo ad Romanos 9.vel tantum loquitur de electione ad gratiam,ad quam electus eſt Iacob,& non Eſau ante ipſorum opera,vt communiter exponitur,vel vt volunt alij tantum loquitur de electione ad regnum temporale, in quo Iacob prælatus fuit fratri ſuo Eſau, non verò de electione partiali immediata ad gloriam, quanuis poſtea multo infra reddens rationem ob quam Deus ſubſtituit vaſa iræ,vt in eos oſtenderet iram ſuam explicet,quomodo ex oſtenſione iræ ſuæ eluceat magis miſericordia in vaſa, quæ præparauit gloriam.

In illo autem teſtimonio Luc. 12. *Nolite timere puſillus grex; quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*, ſi nomine *Regni* intelligatur gloria(quòd non eſt certum) non ideo dicitur *complacuit*: Quia Pater ſua volũtate abſq; præuiſis meritis decreuerit immediatè dare gloriã,ſed quia gratis decreuerit eos prœuenire ſuo auxilio gratiæ ad merita,&meritis præuiſis dare gloriã,gloria enim ex gratia pro gratia,tãquã pro radice,& ideò optimè ratione radicis dicitur complacuit,quo verbo gratia ſignificatur ſicut etiã nomine illo *puſillus grex*. Et eodem modo explicandum eſt illud Pſ. 17.*Saluũ me fecit,quoniã voluit me*, ſi nomine ſaluationis intelligatur gloria.

Et illud 1.ad Corinth. 4. *Quis te diſcernit*, non intelligitur de diſcretione,quæ fit per voluntatem immediatam,& efficacem dandi gloriã ante præuiſa merita,ſed(vt exponit Auguſt. de prædeſtinationem Sanctorum cap 4.& 5.)de diſcretione,qua vnus fide, & bonis operibus quæ facit diſcernitur ab alio,quę ortum habet ex auxilio gratiæ à ſolo Deo prœueniẽte,aut de diſcretione qua vnus diſcernitur ab alio medio auxilio congruo gratiæ prœueniente,quo excitatus eſt re ipſa benè operaturus,à quo autem incipiat diſcretio, ſeu diſtinctio prædeſtinatorum à reprobis poſtea dicemus.

In

In eo testimonio Ioa. 15. *Non me elegistis, sed ego elegi vos*, non est sermo de electione immediata ad gloriam, sed (vt exponit Aug. de Prædestinatione Sanctorum cap. 17.) de electione, qua Apostoli electi sunt advocationem, & fidem Christi, quæ eis cōcessa fuit, vt ipsi postea haberent merita, per quæ mererentur eligi in discipulos Christi, verba ergo Christi intelliguntur de priori electione ad vocationem, & fidem qua Christus eos elegit, & non ipsi Christum; quia ad eas fuerunt electi absq; meritis, nō verò de alia posteriori, qua ipsi post merita prævisa quasi elegerunt Christum in Magistrū; quia suis operibus ab eo eligi meruerunt.

Et in testimonio illo ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna*, vita æterna non dicitur gratia; quia ante merita fuerit decreta; sed quia datur ob merita orta ex auxilio gratiæ, & ita vita æterna dicitur gratia pro gratia. Illud verò Ps. 102. *Qui coronat te in miseri-cordia*, vel non intelligitur de corona gloriæ, sed de beneficijs gratię, quibus in hac vita nos coronat, ideſt, vndique cingit, & vallat, vel si de corona gloriæ, solùm dicimur radicaliter coronari in misericordia; quia coronamur ex meritis ortis ex gratia, & misericordia.

Nec Augustinus fauet prim. sentent. quia in testimonio illo de correptione & gratia cap. 7. non est sermo de electione immediata ad gloriam; sed de electione ad gratiam gratis, & sine meritis liberi arbitrij facta, vt ex contextu ipso constat, & optimè expendit Vazquez disp. 89. cap. 8. & 3. par. disp. 23. cap. 7. & in primis quod in eo testimonio non sit sermo de electione immediata ad gloriam an temerita prævisa, constat 1. ex instituto Aug. disputantis contra Pelagianos, & Semipelagianos, cum quibus non erat controuersia de electione immediata ad gloriam, an fieret ex meritis gratiæ, vel an sine illis. Secundò, quia aliàs Aug. sua disp. neminem impeteret, nisi Sanctos Patres, qui ante ipsum docuerunt gloriam ex meritis gratiæ prævisis cōparari; quia nō constat alios id ante ipsum docuisse. Tertiò, quia ipse q. illa 2. ad Simplician. & Ser. 7. de verbis Domini docuit gloriam ex meritis gratiæ prævisis præparari. Quartò, quia electionem de qua ibi differit, nō comparat cum meritis gratiæ, sed cū meritis solius arbitrij: ergo quāuis ibi ageret de electione immediata ad gloriam, ex eo, nō deduceretur Aug. admisisse electionē immediatam ad gloriā absq; meritis gratiæ prævisis, sed ad summū absque meritis solius arbitrij: quòd autem ibi solū comparet electionē de qua disputat ad merita solius arbitrij, cōstat ex contextu ipso, ait enim; discernitur autem nō meritis suis, sed per gratiam mediatoris & paulò inferiùs, *Profecto electi sunt per electionem, vt dictum est,*

gra-

gratiæ non præcedentium meritorum ſuorum; quia gratis illis eſt omne meritum.

Et generaliter, vt aduertit Vaz diſp. 23. n. 77. Aug. nunquam electionem, quam ait fieri ſine meritis, comparat ad merita gratiæ, ſed ſolius liberi arbitrij, vt in Aug. obſeruari poterit: Aug. enim quoties de electione, quam ait fieri ſine meritis agit ſolùm, diſputat contra Pelagium, & eius reliquias, qui dicebant gratiam aliquando nobis conferri ob opera noſtra bona, abſque auxilio gratiæ ſolis viribus liberi arbitrij facta: imò addimus quòd quoties de electione, ſine meritis facta agit, non loquitur de electione immediata ad gloriam cõparatione ad merita ſolius arbitrij; ſed tantùm de electione ad gratiam; quia de ea erat Auguſtino cum Pelagianis, & Semipelagianis diſputatio: & quanuis Pelagius, contra quem etiam diſputat electionem ad gloriam adſcripſerit meritis viribus arbitrij, abſque vllo auxilio gratiæ, ipſum tamen, nunquam immediatè contendit electionem ad gloriam fieri abſque operibus, & meritis ſolius arbitrij; ſed contra illum immediatè ſolùm contendit ad ſalutem eſſe neceſſariam gratiam, & hanc non dari ex operibus, & meritis ſolius liberij, arbitrij; ſed omnino gratis ex quo contra Pelagium, ſequitur immediatam electionem ad gloriam non poſſe fieri ex meritis ſolius arbitrij: loquitur ergo Auguſtinus in eo 7. capit. de electione ad gratiam, vt ex contextu ipſo conſtat, præcipuè ex illis verbis, quæ antea dixerat, nempè *elegit eos in filio ſuo, per electionem gratiæ, ſi autem gratia iam non ex operibus alioquin gratia iam non eſt gratia*, & non de electione ad gloriam: imò non loquitur de quacumque electione ad gratiam; ſed ad eam qua infallibiliter electi ſaluantur, quam vocat electionem ſecundum propoſitum, non quia oriatur ex propoſito efficaci ſaluandi, quos ad eam gratiam elegit; quia non oritur; ſed quia ea electione eliguntur ad gratiam, quam Deus ſcit in nobis habituram effectum gloriæ: de electis ergo ad eam gratiam ante merita ſolius arbitrij inferius ſubdit electos fuiſſe ad regnandum cum Chriſto, & ad obtinendum regnum ſuum, quòd intelligit, vel ratione vlterioris electionis partialis, qua poſtea immediatè electi ſunt ad gloriam quanuis non abſque meritis gratiæ præuiſis, vel id intelligit (quòd eſt textui conformius) ratione ipſius electionis, quam ait fieri ſine meritis arbitrij, qua ad gratiam ſunt immediatè electi, quia ea remotè, & virtualiter dicitur eligi ad regnum cum Chriſto; quia eſt electio gratiæ, qua infallibiliter, & cum effectu obtinetur regnum cœlorum.

In

In testimonio verò illo de bono perseuerantiæ c.8. Aug. eã discretionẽ, qua ex duobus impijs vnus sequitur vocantẽ, & alter nõ: & qua ex duobus pijs vnus perseuerat, & alter nõ perseuerat, nõ reducit in electionem immediatam ad gloriam ante merita gratiæ præuisa alias, vt ait Bonauentura in 1. dist. 41. q. 2. ratio illius discretionis non esset inscrutabilis, reducit ergo in electionem ad gratiam omnino gratis, & absque meritis liberi arbitrij factam ex qua ea discretio initiatiuè prouenit: inscrutabilitas autem non consistit in eo, quòd ex illis duobus vocatis, & præuentis vnus respondeat, & perseueret, & alter non; quia hoc prouenit ex libertate arbitrij, vt postea dicemus, sed in eo, quod Deus pro libito vni tribuat gratiam cum qua scit responsurum, & perseueraturum, & alteri non. Fatemur ergo Augustinum eam discretionem reducere ad electionem de qua loquitur Paulus ad Ephesios 1. eam tamen esse electionem ad gratiam docuit ipse Augustinus de Correctione & gratia cap. 7. & de Prædestinatione Sanctorum cap. 19. & sæpè alibi quanuis q. 2. ad Simplicianum intellexerit esse ad gloriam; quia non dum capere poterat quomodo decretum dandi vni gratiam, quæ alteri nõ daba tur, esset electio nulla præcedente operũ disparitate inter illos quod postea optimè caluit.

Ad id autem quod Authores prim. sentent. referunt ex Prospero in ea Epistola ante librum Augustini de Prædestinatione Sanctorum. Respondemus falsum esse Prosperum ibi supponere Augustinum docuisse electionem ad gloriam fuisse in Deo ante merita gratiæ præuisa, & ob id eos plures perturbatos fuisse, sed solùm supponere ex mente Augustini prædestinationem factam fuisse omnino gratis, & ante opera solius arbitrij (quam Augustinus de Prædestinatione Sanctorum capit. 10. gratiæ præparationem appellat, & libro de bono perseuerantiæ cap. 14. præparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur) & ob id fuisse perturbatos, & non quoscumque; sed viros quanuis aliàs pios, semipelagianos tamẽ, qui contendebant plura nobis dari, & præparari beneficia gratiæ intuitu operum nostrorum: in eo autem quod ex eis refert Prosper. quòd dicerent electos fuisse ad regnum cœlorum, quos gratis vocatos præuidit dignos ea electione, non erraruntnec id improbat Augustinus, imò ipse docuerat q. 2. ad Simplicianum; sed in eo, quòd initia quædam ex nobis concederent intuitu quorum Deus vocaret nos; quia tamen dicebant initia illa non esse condigna vocatione, ideò vocatos appellabant gratis vocatos, quasi meritum de congruo non destrueret rationem gratiæ: idem quoque error eorum continetur in eo, quòd in fine Epist. colligit de

om-

nibus illi, nempè eos penè omnes Prædeſtinationem Dei, ſecundũ præſcientiam recepiſſe; qusa Proſper. intelligit eos recepiſſe Prædeſtinationem ſecundum præſcientiam boni vſus ſolius arbitrij: in eo autem, quòd ſtatim refert ex illis, nempè, & ideò Deus alios vaſa honoris alios contumelię fecerit; quia finem vniuscuiuſque præuiderit non errabant, nec in eo fuerunt ab Auguſtino notati in libris de Prædeſt. Sanctor. & de bono perſeuerantiæ in quibus reſpondet ad Epiſt. Proſp. & Hilarij Arelatenſis. Aug. ergo nõ agnouit in Deo voluntatem efficacem dandi gloriã, ante præuiſa merita gratiæ; ſed ſolùm ex eis iam præuiſis.

Ad rationem autem primæ ſententiæ, reſpondemus concedendo ante pręparationem, & pręuiſionem meritorum Deum, velle prædeſtinatis gloriam, negamus tamen eam voluntatem eſſe abſolutam, & efficacem; ſed tantum inefficacem ob rationes dictas: & non requiritur maior, quam inefficax, vt ex ea prępparet prædeſtinatis media efficacia, quibus infallibiliter conſequantur gloriam, vt ſupra diximus: imò addimus Deum in eo ſigno ante præuiſa merita, non habuiſſe peculiare, & maius deſiderium in efficax quo peculiariter, & magis deſideret prędeſtinatis gloriam, quam reprobis, vt ex eo oriatur voluntas dandi prædeſtinatis media, quibus infallibiliter ſaluentur; quia quanuis in homine proponente aliquid dandum, vt præmium legitimè certantibus forſam contingat reperiri maiorem voluntatem in efficacem, erga illum cui meliora media tribuit, non tamen in Deo, in quo amor nequit eſſe maior ex parte ſui actus, ſed tantum ex parte boni, quod vult; quia vni poteſt velle maius bonum quam alteri, illa autem voluntate, quæ merita antecedit, non vult vni maiorem gloriam quam alteri; quia ea omnibus gloriam indefinite deſiderat, vnde diſcretio, & diſtinctio inter prædeſtinatos, & reprobos, quanuis forſam incipiat ante conſenſum noſtrum, de quo poſtea non tamen incipit à voluntate gloriæ antecedente merita, ſed ad ſummum ex voluntate dandi auxilia præueniẽtia, quę re ipſa habitura ſunt effectum gloriæ, etiam ſi à nobis fiãt efficacia, & forſam nõ ſint peculiaria, & maiora quam in alijs qui ipſis non conſentiunt, de quo poſtea.

Deus ergo poſtquam in primo ſigno ſe ipſum diligit, ex cuius amore vult omnia, in ſecundo ſigno nobis omnibus æqualiter deſiderat gloriam in gradu quodam indeterminato, quam quiſque ſuis operibus meruerit: in tertio ſigno præuidens ſub conditione, quibus auxilijs quilibet ſaluetur, paucis quibuſdam vult efficaciter auxilia, quibus certiſsimè liberandi ſunt, & bene operaturi vſque in finem vitæ: in quarto poſt decretum dandi prædicta auxilia decernit

no-

nobiscum cooperari: & in quinto præuidens absolute in quibus meritis illi pauci morituri sunt, decernit efficaciter eis gloriam cõferre maiorem quidem, vel minorem iuxta mensuram meritorum, & sanctitatis in quibus morituri sunt.

DISPVTATIO TERTIA.

De effectibus prædestinationis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm glorificatio, seu beatitudo prædestinati sit effectus prædestinationis?

INcipimus ab effectu Beatitudinis, seu gloriæ; quia quanuis sit vltimus in executione est primus, aut in intẽtione, aut in desiderio in efficaci iuxta dictas varias sententias.

Circa difficultatem Durand. in 1. d. 41. q. 2. & Cartagena discursu 3. dub. 2. existimant gloriam prædestinati, non esse effectum prædestinationis ipsius: quibus fauere videtur Augustinus. qui semper quod definit prædestinationem dicit esse pręparationem gratiæ. Et ratione videtur probari; quia prouidentia cuius pars integralis est prædestinatio, nõ est præparatio finis subiecti cui prouidetur; sed tantum mediorum quibus potest assequi finem: ergo prædestinatio, non est præparatio gloriæ prædestinati; quia est finis illius, sed tantum mediorum gratiæ quibus eam assequitur: ergo gloria prædestinati, non est effectus prædestinationis illius; quia nihil est effectus prædestinationis, nisi quòd prædestinatione ipsa præparatur, seu decernitur fieri.

Sanctus Thomas verò art. 2. & 8. Vazq. disp. 91. & 93. Suar. libr. 3. de Prędestination cap. 3. Heric. disput. 30. capit. 4. Ruyzius. disp. 21. section. 3. Mæratius disput. 29. Fasolus ar. 2. dub. 2. & communiter Theologi docent, & merito gloriam, seu Beatitudinem Prædestinati esse effectum prædestinationis ipsius: quòd satis significant Augustinus de Prædestinatione Sanctorum cap. 17. & Sermo. 7. de Verbis Apostoli, & in alijs locis vbi inter ea, quæ Deus præparauit, & prædestinauit electis enumerat gloriam, & Fulgentius libro 1. ad Monimum capit. 9. dum ait: *Omnia & vocationis initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione Deus habuit.*

buit. Et id significat Paulus ad Romanos 8. illis verbis. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit quos autem iustificauit illos, & glorificauit*, vbi Paulus inter effectus proueniētes ex prædestinatione enumerat glorificationem, cuius nomine potius in telligitur beatitudo, vt docēt Aug & Fulg. vbi supra Orig. & cōmu. Expositores, quam glorificatio præsentis vitæ, quam Deus iustis suis præparat efficiēs eos filios suos, vt quidam volunt; quia hanc glorificationem expresserat Paulus illa priori particula *iustificauit*, & potiusquam gloria, quæ est *clara* cum laude nota, vt alij intelligūt; quia Paulus loquitur de glorificatione, quæ prēcipuè intenditur, per prædestinationem, & quæ omnibus, & solis prædestinatis cōuenit, claritas autem famæ. & boni nominis, nec cōuenit omnibus prędestinatis, nec eis solis, nomine ergo glorificationis intelligitur beatitudo quā non expreserat Paulus prioribus verbis, & quæ cōuenit omnibus & solis prædestinatis, & quæ præcipuè intēditur, per prædestinationē cui expositioni maximè fauet, & quòd Paulus statim c. 9. ait *Vt ostēderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, vbi nomine gloriæ absque dubio intelligitur beatitudo, & etiam fauet, quòd in vulgata Latina, solū verbum *glorificauit*, retentum est, & nō verbū *magnificauit*, quòd antiquitus legebatur, ex quo fuit desumpta occasio ad intelligēdum nomine glorificationis claritatem famæ, & boni nominis.

Et ratione probatur nostra sententia; quia prędestinatio est perfecta, & completa prouidentia, qua Deus prouidet prędestinato, vt ad gloriam perueniat, & est perfecta transmissio, qua prædestinatus transmittitur in vitam æternam: ergo prædestinatione non solū præparantur, & fiunt media gratię cōducentia in vitam æternam; sed etiam vita æterna, seu gloria, cōsequētia patet; quia si prædestinatione, non præpararetur immediatè ipsa gloria, non diceretur per eam fuisse prædestinato perfectè prouisum, quo ad adeptionem gloriæ, nec prædestinatione diceretur prædestinatus perfectè transmitti in gloriam: hac autem ratione, non solum probatur gloriam esse effectum mediatum prædestinationis; sed etiam esse effectum immediatum, seu in se ipsa; quia si gloria in se ipsa, non præpararetur prædestinato, quamuis ei præpararentur media ad illam, non diceretur prædestinatione ei perfectè prouisum, quo ad adeptionem gloriæ, cum ad adeptionem illius egeat nouo, & immediato adiutorio Dei, circa illam, nec Prędestinatione diceretur perfectè transmitti in gloriam, si ea non transmitteretur immediatè in gloriam.

Ad

Ad fundamentum autem aduersariorum desumptum ex Aug. Respondemus Augustinum, ita definire prædestinationem, per præparationem gratiæ, vt vel non excludat gloriam, vel vt nomine gratię etiam comprehendat gloriam; quia gloria est gratia consummata, & gratia pro gratia.

Et ad rationem respondemus negando ad prouidentiam, præsertim circa alterum, qualis est prædestinatio, non pertinere pręparationem finis, eius cui prouidetur, præsertim quando is cui prouidetur eget ope prouidentis ad adeptionem finis, vt contingit in prædestinato, & præsertim quando ante præparationem mediorum, nō præcedit in prouidente præparatio, seu decretum efficax, sed tantū simplex desiderium, vt contingit in Deo prædestinante.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm iustificatio prædestinati, sit effectus prædestinationis?

SVpponimus in quo contra Ocham. & Gab. conueniunt Theologi iustificationem stabilem, quæ semel facta non est amittenda, esse effectum Prædestinationis, quò significat Paulus ad Romanos 8. dum inter effectus prædestinationis enumerat iustificationē, dicens: *Quos prædestinauit hos, & iustificauit*; quia verba hęc Pauli ad minus, sunt intelligenda de iustificatione stabili, cui consonant illa verba, eiusdem ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti, & immaculati*: & etiam illa quę sequuntur, *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei.*

Et id constat ratione, quia talis iustificatio procedit ex desiderio gloriæ, quæ est finis ad quem prædestinamur, & conducit cum effectu ad adeptionem illius: ergo est effectus prędestinationis, antecedens patet, consequentia autem probatur; quia prædestinatio nihil aliud est, quam præparatio eorū, quibus prædestinati infallibiliter saluantur, procedens ex desiderio saluationis ipsorum, quasi ex intentione: ergo vt aliquid sit effectus prædestinationis sufficit, quò fiat ex desiderio saluationis, seu gloriæ prædestinati, & quòd cum effectu ad eius adeptionem conducat (si aliàs sit prædestinato intrinsecum) quia eo ipso decretum faciendi illud erit præparatio eius, quòd in ipso prædestinato infallibiliter cōducit ad gloriā, & ex desiderio glorię procedens.

Est autem difficultas, an iustificatio, & merita vitæ æternæ, quę

pec-

peccato mortali interrumpuntur, & poſtea reuiuiſcunt, ſint effectus prædeſtinationis: & ſanè quoad præſens eadem eſt difficultatis de iuſtificatione, & de dictis meritis: conſequenter autem ad id, quòd nūc dicebamus, dicendum eſt prædicta dona, iam amplius nō amittēda eſſe effectus prædeſtinationis ob rationem dictā, quia ſcilicet ſunt in ipſo Prædeſtinato, & fiunt decreto orto ex deſiderio gloriæ, quaſi ex intentione, & conducunt ad adeptionem ipſius, vt patet.

Punctum ergo difficultatis in eo eſt, an dicta dona prout primo facta, ſeu collata, ſint effectus prædeſtinationis.

Vazq. diſp. 93. c. 3. Beccanus 1. par. tract. 1. c. 14. q. 3. & Meratius diſput. 39. docent non eſſe effectus prædeſtinationis, quòd indicant Richa. in 1. d. 40. ar. 1. q. 1. & Gab. etiam d. 40. notabili primo, id aut probari videtur.

Primò quia prædicta dona, quæ peccato mortali interrumpuntur, ſunt communia prædeſtinatis, & reprobis.

Secundò, quia prædeſtinatio quoad effectus cōſiſtit in ordine, & ſeriè mediorum ex volūtate Dei cōtinuatorum, quibus prædeſtinatus quaſi vna via perducitur in gloriam, ſed dicta dona, quatenus primo facta, ea interrumptione, ita manent extra viam ad gloriam, vt in eā nequeant perducere Prædeſtinatū vna. & cōtinuata voluntate Dei; ſed tantum noua ordinatione, & voluntate Dei, qua viuificantur, & redeunt ad aliam nouam vitam continuatam vſq; ad gloriam, & à priori via diſcontinuatam; quia dicta dona, vt primo facta, nō cōtinuantur cum pœnitentia a qua incepit noua via, quæ continuāda eſt vſq; ad gloriam; quia non fuerunt interrupta ex intentione pœnitētiæ: ergo dicta dona non ſunt effectus prædeſtinationis.

Tertiò, quia gratia & merita, quæ habuit Adamus in ſtatu innocētiæ, quæ ſuo peccato fuerunt interrupta, non fuerunt effectus prædeſtinationis illius, niſi prout reparata ſunt: ergo idem dicendum eſt, de quacumq; alia gratia, & dono per peccatum amiſsis: conſequentia patere videtur, antecedens autem probatur; quia omnes effectus prędeſtinationis Adami, & Poſteriorum eius tribuendi ſunt meritis Chriſti; quia omnes in Chriſto electi ſunt, vt dicitur ad Eph 1. illa autem dona, quæ habuit Adamus ante peccatum non fuerunt ex meritis Chriſti, vt docuit Aug. de corrept. & gratia c. 11. ergo non fuerūt effectus prædeſtinationis.

Suar. verò lib. 3. c. 4. Valenz. q. 23. pu. 3. Arrub. diſp. 83. Rui. diſp. 22. ſect. 7. Heri diſp. 30. c. 4. & Faſol. art. . . dub. 3. docent dicta dona quæ peccato mortali interrumpūtur, & poſtea reuiuiſcūt, eſſe effectum prędeſtinationis, etiam quatenus primo facta, ſeu collata, & merito; quia dicta dona etiā, prout primo facta, conducunt cum effectu

ad adeptionem gloriæ prędestinati,& primo fiunt,seu cõferũtur decreto orto ex desiderio gloriæ ipsius prędestinati;ergo sunt effectus prædestinationis:cõsequentia patet, antecedens autem probatur, quoad priorem partem,nempè quod cõducant cum effectu ad adeptionem gloriæ;quia dicta dona,vt restaurata,seu vt reuiuiscentia cõducunt cum effectu ad adeptionem gloriæ,vt iã diximꝰ,&ad eorum restaurationem cõducunt ipsa,vtprimo facta;quia ideò restaurãtur; quia primo fuerunt facta:ergo prædicta dona,prout primo facta cõducunt remotè,seu mediante restauratione ad adeptionem gloriæ: posterior autem pars antecedentis , nempè quod dicta dona primo fiant , seu conferantur ex desiderio gloriæ,probatur;quia dicta dona immediatè,& ratione sui,sunt vtilia ad gloriam,nõ minus,quã in reprobis;quia vel sunt semen gloriæ, vel merita de condigno illius:ergo primo fiunt,& conferuntur electione , seu decreto immediatè orto ex desiderio gloriæ.

Imò addimus nõ solum iustificationem reuiuiscentem,prout primo factam esse effectum prædestinationis,sed etiam iustificationem nõ reuiuiscentem(qualem tract.de Pœniten disp.2.dif.25. diximus esse eam,quæ fit ex opere operato,seu virtute sacramẽti)si in eo statu facta fuerint aliqua opera de cõdigno meritoria gloriæ; quia talia opera ratione iustificationis in cuius statu facta fuerũt,habẽt, quòd sint meritoria gloriç de cõdigno,ad quam cum effectu conducunt, non solùm quatenus reparantur; sed etiam quatenus primo fuerunt facta in statu iustificationis;quia quatenus fuerunt primo facta in statu iustificationis,conducunt,vt reparentur,& quatenus reparata cõducunt immediatè ad gloriam:gloria ergo est fructus illius iustificationis factæ,ex opere operato,quanuis tantum remotus,seu mediatus medijs videlicet operibus meritorijs, in quæ ea iustificatio influxit:quòd si in eo statu iustificationis,non fiant aliqua opera meritoria,nec alio modo conducat ad adeptionem gloriæ(vt contingere potest)ea iustificatio,non erit effectus prædestinationis ; sed cuiusdam prouidentiæ supernaturalis communis prædestinatis , & reprobis.

Ad primam ergo rationem aduersariorũ,respõdemus , dicta dona, quæ peccato mortali interrumpuntur,quoad substantiam, seu entitatem physicam esse communia prædestinatis & reprobis, cum respectu tamen causalitatis,qua cum effectu cõducunt adgloriam in solis prædestinatis reperiri,& ideò in eis prædicta dona sunt effectus peculiaris Prouidentiæ supernaturalis,seu Prædestinationis.

Ad secundam respondemus negando maiorem;quia ad Prędestinationem non est necessarium,quòd omnes eius effectus, ita cõnectan-

ſtantur,& continuentur,vt Deus velit vnum ex deſiderio alteriuscõ tinuatione,& ſubordinatione vna à primo vſque ad vltimum, præſertim quando effectus immediatè,& ratione ſui vtiles ſunt ad gloriam,vt ſunt gratia,& merita in ſtatu gratię facta; quia ſaltem tunc nõ eſt neceſſarium,quòd effectus prior in executione eligatur,ex deſiderio poſterioris;quia ſubordinatio hæc ad nihil eſt neceſſaria,niſi vt effectus in executione priores,qui nõ ſunt vtiles immediatè ad gloriam,procedant,ſeu eligantur & fiant ex deſiderio gloriæ,quę eſt effectus in executione vltimus;quia illi non poſſunt aliter ex deſiderio gloriæ procedere,niſi mediatè,& remotè;quia ſcilicet procedũt ex deſiderio eius,quòd eligitur,& fit immediatè ex deſiderio gloriæ, at quando effectus immediatè,& ratione ſui eſt vtilis ad gloriam,id nõ eſt neceſſarium;quia iſte talis immediatè eligitur, & fit ex deſiderio gloriæ,quaſi ex intẽtione,vnde ſi aliàs cõducat cũ effectu ad gloriam,quanuis mediatè tantum cõducat,vt contingit in prædictis donis,vt primo factis,erit effectus prædeſtinationis: cũ ergo prædicta dona procedant immediatè ex deſiderio glorię,& cõducant cum effectu ad gloriam,quanuis tantum mediatè, erunt effectus prædeſtinationis.

Ad 3. rationem reſpondemus negando antecedens, nẽpè dona gratiæ,quæ habuit Adamus ante ſuum peccatum,nõ fuiſſe effectũ ſuæ prædeſtinationis;quia re vera fuerunt etiam, prout in eo ſtatu facta cum electa,& facta fuerint ex deſiderio gloriæ Adami,& ad eam cũ effectu cõduxerint,quãuis remotè:& ad probationem,negamus omnes effectus prędeſtinationis Adami ſuis ſe ex meritis Chriſti, id enim falſum eſt ſicut,& quòd Deus benedixerit Adamum omni benedictione inChriſto;quia benedictione illa,non benedixit illũ in Chriſto,ſeu ex meritis Chriſti;quia eam benedictionem habuit ante Chriſtum præfinitum,vel ſaltem ante merita Chriſti præuiſa,& in ſalutẽ noſtram ordinata,vt dicim. tract. de Incarnat. diſp. 1. dif 27. vnde ad hoc quod beneficium Dei ſit effectus prędeſtinationis, non eſt neceſſarium,quòd ſit ex meritis Chriſti, & ſi de facto omnes effectus prædeſtinationis poſterorum & etiam Adami poſt peccatum ipſius fuerint ex eis,ſed ſufficit quod conducat cum effectu ad adeptionem gloriæ,& quòd eligatur,& fiat ex deſiderio illius.

(§§)

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm opera bona prædestinati, sint effectus prædestinationis?

DIfficultas procedit de operibus bonis ex auxilio gratiæ factis, & quę conducunt cum effectu, siue mediatè, siue immediatè ad adeptionem gloriæ eam merendo, vel alios effectus Prædestinationis etiam ad gloriam conducentis.

Supponimus ea opera bona prædestinati esse effectus prædestinationis, quoad influxum, in ea à Deo, & ab eius gratia proueniente; quia vt sic sunt beneficia Dei cõducentia cum effectu ad gloriam prædestinati, & ex eius desiderio collata.

Controuersia tamen est, an ea opera quoad influxum, seu cooperationem prædestinati (qua ratione dicuntur opera illius) sint effectus prædestinationis.

Henri. quodlib. 4. q. 19. & quodl. 8. q. 5. partem negatiuam tuetur, cui fauet Catheri. lib. 1. *de Prædestinat.* cap. *argumentantur* : ergo p. 43. probari autem videtur; quia cooperatio nostra vt sic non est donũ, seu beneficium Dei; quia vt sic nõ procedit à Deo, sed à libero arbitrio: ergo non est effectus prædestinationis, patet consequentia; quia prædestinatio nihil aliud habet pro effectib⁹, nisi beneficia Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

Suar. verò lib. 3. *de prædestinat.* c. 5. Aluar. lib. 5. disp. 36. Ruiz disp. 32. sect. 4. Heric. disp. 30. c. 3. & communiter Theologi, partem affirmatiuam tradunt, & meritò; quia ex vna parte opera bona, vt nostra, seu vt à nobis procedentia, sunt beneficium Dei, vt potè etiam, vt nostra procedentia ex auxilio gratiæ ipsius; quia eo inuitamur, seu inducimur ad consentiendum, & cooperandum, & vt nostra etiam conducunt cum effectu ad adeptionem gloriæ; quia vt nostra, sunt meritoria gloriæ, & aliquorum aliorum effectuũ Prędestinationis, & ex altera parte ea opera, prout à nobis auxilio gratiæ præuentis procedentia, procedunt à Deo medio auxilio gratię, ex desiderio nostræ beatitudinis, & glorię; quia vt nostræ ad eam cõducũt cum effectu: ergo opera nostra bona ex auxilio gratiæ facta, etiã, vt nostra sunt effectus prædestinationis nostræ.

Ad rationẽ ergo in oppositũ, respõdemus negãdo cooperationẽ nostram, vt sic non esse donum, & beneficium Dei, & ad probationem negamus cooperationẽ nostrã, vt sic nõ procedere à Deo, quia

fal-

ſaltem procedit à Deo medio auxilio gratiæ, & collato ab ipſo ex deſiderio noſtræ beatitudinis, quòd ſufficit, vt dicatur donum Dei, & effectus noſtræ prædeſtinationis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm vocatio ſit effectus Prædeſtinationis?

GAbriel in 1. diſtinct. 41. q. vltima art. 3. Bonauentura q. 1. artic. 1. Iabellus, & alij docent nullam vocationem eſſe effectum prædeſtinationis; quia vocatio eſt communis prædeſtinatis, & reprobis: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*: ergo nō eſt effectus prædeſtinationis, quæ eſt peculiaris prouidentia erga prædeſtinatos, ſed prouidentiæ vtriuſque communis.

Greg. verò in 1. d. 41. q. vltima art. 2. Vazq. diſp. 93. c. 1. Suarez lib. 3. c. 6 Ruiz diſp. 22. ſect. 2. Faſo. q. 23. ar. 2. dub. 3. Mœrat. diſp. 39 & communiter Theologi docent & merito vocationem poſſe eſſe effectum prędeſtinationis, & ſæpè de facto eſſe, quòd tradunt Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. & ſæpè alibi, & Proſp. ad obiectiones Vincē tianas, reſp. 12. Fulg. lib. 1. ad Monimum cap. 9. Anſelm. in cap. 8. ad Romanos vbi ſignificat Paulus illis verbis: *Quos autem prædeſtinauit hos, & vocauit.*

Et ratione probatur; quia vocatio eſt beneficium peculiare Dei collatum prædeſtinato ex deſiderio gloriæ & poteſt ad eam cū effectu conducere, & ſæpè cōducit, quāuis ſolū mediatè medijs ſcilicet operibus bonis ad quæ excitat, quibus prædeſtinatus diſponitur ad iuſtificationē, & quibus iuſtificationem acquiſitam conſeruat, & auget, & quibus meretur de cōdigno gloriam: ergo vocatio eſſe poteſt & ſæpè de facto eſt effectus predeſtinationis.

Ex quo in primis cōſtat (vt aduertunt commun. Theologi) nō omnem vocationem prędeſtinati, quamtunuis efficacē reſpectu conſenſus, & operis boni eſſe effectum prędeſtinationis, niſi ſit efficax reſpectu gloriæ, ſeu ad adeptionem illius cum effectu conducens, quamuis ſolum mediate, & indicat Paul. ad Rom. 8. illis verbis: *Quos autē prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificat illos, & glorificauit.* Vbi Paulus ſupponere videtur vocationem collatam, ex prædeſtinatione tandem effectum beatitudinis habuiſſe.

Deinde conſtat (vt aduertunt Suar. Vazq. Ruiz. Faſo. & alij nō ſolum vocationē, quæ eſt dicto modo efficax in genere cauſæ, aut cau-

salitatis efficienter moralis respectu cõsensus, & operis esse effectum prædestinationis; sed etiam illam, quæ in eo genere est inefficax, si aliàs tanquam obiectũ, seu causa obiectiua, aut aliter cõducat cum effectu ad adeptionẽ beatitudinis: conducit autem, tanquã obiectum quando ea vocatio proponitur, tanquam obiectum alia cõgrua vocatione, & sic proposita est incentiuum, aut ad gratitudinem, aut ad humilitatem, aut ad aliud bonum, quòd cũ effectu cõducat ad beatitudinem: talis ergo vocatio, sic efficax est effectus prædestinationis; & quia procedit ex desiderio gloriæ prædestinati; & quia conducit cum effectu ad adeptionem illius.

Tandem constat (vt aduertunt prædicti auxilia, etiam externa medijs quibus vocamur, seu excitamur vocatione, quæ sit effectus prædestinationis, esse etiam effectus prædestinationis, vt prædicatio, miraculum, oblatio obiecti excitantis ad bonum, vt funeris (vt indicat Aug. de bono perseuerant. c. 14) quia ex vna parte media ea vocatione conducunt cum effectu ad gloriam, & præparantur à Deo, ex desiderio gloriæ, & ex altera parte, ea auxilia externa se tenent moraliter ex parte prædestinati, quia medijs illis proximè illuminatur, & excitatur interius, ad differentiam meriti, & orationis Christi, & aliorum, quæ non se tenent ex parte prædestinati; quia non illuminant illum, seu excitant immediatè, & proximè, & ideò potius dicuntur causę prædestinationis nostræ, quam effectus, vt dicem. disp. 4. dif. 9.

Ad rationem autem aduersariorum. Respondemus vocationem, quo ad entitatem physicam, imò etiam quo ad respectum causalitatis in ordine ad consensum esse communem prædestinatis, & reprobis; quo ad respectum verò causalitatis in ordine ad adeptionem gloriæ esse propriam prædestinati, & ideò eam, quæ sic fuerit efficax esse effectum prædestinationis in illo: reliquas verò vocationes, quæ non sunt sic efficaces, tâm in prædestinatis, quàm in reprobis, non esse effectus prædestinationis; sed prouidentiæ vtriusque communis: non enim omnia dona gratiæ, quæ sunt in prædestinatis sunt effectus prædestinationis, sicut nec omnia quanuis mala, quæ sunt in reprobis sunt effectus reprobationis.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm omnia bona ordinis naturalis, ſint effectus Prædeſtinationis?

CAietan.3.part.q.1.art.3.docet nullum bonum ordinis naturalis eſſe effectum prædeſtinationis; quia vt conſtat ex Auguſtino de Prædeſtination.Sanctor.cap.10.prædeſtinatio eſt, *Bonorum gratiæ præparatio*, bona autem naturalia ſunt diſtincta à bonis gratię: ergo non præparantur, nec efficiuntur prędeſtinatione: & id ſignificare videtur Aug.Epiſ.90.& 95.& 103.dum ad confutandum Pelagiũ diſtinguit donum gratiæ, & prædeſtinationis à dono creationis, ſuponit ergo bona naturalia, ſeu creationis non pertinere ad gratiam & prædeſtinationem.

Sua.lib.3.c.7.Rui.diſp.24.docent omnia bona naturalia, ſeu creationis, & ſubſtantiam hominis, & eius potentias, & bonam complexionem, quæ aliquo modo conducunt ad vitam æternam, eſſe effectus prędeſtinationis: quòd videtur ſignificare Paul.ad Roma.8.illis verbis: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*: & ratione videtur probari; quia illa cõducunt ad adeptionẽ gloriæ, & cõferũtur à Deo, ex deſiderio illius: ergo ſunt effectus prædeſtinationis.

Vazq.vero diſp.94.c.4.Mœrat.diſp.39.Faſc.ar.2.dub.5.docent & merito quædam bona naturalia, quanuis cum effectu conducentia ad adeptionem gloriç, non eſſe effectus prædeſtinationis, verbi gratia, ſubſtantiam hominis, eius naturales potentias, bonam complexionem naturalem, & bonam ingenij indolem; quædam verò alia, quæ cũ effectu cõducunt ad adeptionem gloriæ eſſe effectus præ deſtinationis, vt varias circunſtantias huius vitæ, v.g naſci tali tempore, aut tali loco, & educari cum his circunſtantijs, & tali tempore mori, & ſimilia.

Prior pars probatur, & in primis ſubſtantiam hominis, non eſſe effectum prædeſtinationis; quia in Deo prius fuit decretũ producendi prædeſtinatum, ſeu concurrendi ad productionem illius, quàm decretum, & prçparatio beneficiorum, quibus perducendus eſt in gloriã: ergo ſubſtãtia hominis, & eius productio, nõ eſt effectus decreti prędeſtinationis; ſed alterius prioris decreti: cõſequẽtia patet, antecedens autem probatur; quia deſiderium ſimplex, quo Deus deſiderat homini gloriã, ex quo, tãquã ex priore, & quaſiintẽtione oritur

prędestinatio, non est ante decretū producēdi hominem, sed vel est post illud, si Deus decreuit producere hominem ex solo simplici desiderio, quo desiderauit ab eo laudari, & glorificari, vel ad summum desiderium illud gloriæ est simul cū decreto producendi. si etiam ex desiderio simplici gloriæ, illius eū decreuit producere, vt patet; prędestinatio autē est posterior, & oritur ex desiderio: ergo etiam est posterior decreto producendi hominem, & ex eo oritur.

Quòd si productio prædestinati, non est effectus prædestinationis, nec prædestinatum nasci ex talibus parentibus erit effectus prædestinationis; quia prædestinatum nasci, seu produci ab eis, non distinguitur à productione ipsius prædestinati, qua parentes illum producunt, & Deus non aliter decernit producere prædestinatum, quā decernendo concurrere cum suis parentibus ad eam productionē singularem, qua de facto producitur ab ipsis, & si substantia, seu natura prædestinati, non est effectus prædestinationis, nec eius potentię naturales, nec eius bona complexio, nec bona ingenij indoles ad virtutem apta, erunt effectus prędestinationis; quia hæc independenter à predestinatione, & prius quam sit prædestinatio decernuntur fieri consequenter ad decretum, quo decreta est fieri substātia predestinati; quia ad hanc in indiuiduo, naturali exigentia, & necessitate sequuntur, imò fiunt physicè ab ipsa, & à Deo concurrente cum ipsa.

Et confirmatur primo, eadem prior pars; quia id solum est effectus, & gratia prædestinationis, quòd est donum distinctum à dono creationis, & præter eius exigentiam, vt constat ex Aug. qui docet prædestinationem esse preparationem gratię, nomine autem gratiæ contra Pelagium intellexit donum distinctum à dono creationis, & ipsi super additum, vt constat ex Epistol 90 & 95. ergo natura hominis, & cætera omnia quæ ad ipsam naturali exigentia, aut antecedunt, qualis est eius productio, aut sequuntur, quales sunt potētiæ naturales, & naturalis complexio, & bona ingenij indoles, non debēt inter effectus prædestinationis connumerari.

Et confirmatur secundo; quia id tantum est de facto effectus prædestinationis in nobis posteris Adæ quòd nobis confertur ex meritis Christi, iuxta illud Pauli ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso*, id est, ex meritis Christi; sed donum creationis, non fit ex meritis Christi, quia Christus non meruit, quòd conderetur homo; sed quòd semel conditus, & lapsus repararetur: ergo productio substantiæ prædestinati, & eorum quæ naturaliter exigit, non debet inter effectus prædestinationis connumerari, & quanuis fuerint ali-

qui

qui homines qui orationibus fidelium, & ex meritis Christi fuerint gentti, & optima indole fuerint præditi iuxta exigentiam suæ naturæ, ex eo tamen eorum generatio non debet inter effectus prædestinationis ipsorum connumerari ob rationem prædictam; quia, scilicet generatio eorum fuit prius decreta, quam præparatio eorum beneficiorum quibus saluandi sunt Quod autē de bona cōplexione, & de bona ingenij indole dictum est, non tollit, quod si maior aliqua cōferatur à Deo, quā ipsa substantia genita exigat (quod difficile creditu est à Deo fieri de facto) possit esse effectus prædestinationis.

Posterior pars nostræ sententiæ, nempè varias circunstantias huius vitæ, quæ de facto quoquo modo conducunt ad adeptionem glorię, esse effectum prædestinationis, v. g. Puerum, qui statim post partum moriturus est nasci tali loco, aut tali tempore, vt baptizari possit; & ita benè educari, vt sit illi occasio benè viuendi, & iustum præmatura morte rapi, qui si viuere excidere à gratia eam ampliùs nō recuperaturus: hęc ergo posterior pars probatur; quia omnia prædicta, vt supponimus, conducunt cum effectu ad gloriam, & decernuntur fieri ex desiderio glorię, quasi ex intētione finis: quia ad sic decerni nihil obstat: & alias sunt dona superaddita dono creationis, & consequenter ex meritis Christi: ergo sunt effectus prædestinationis.

Et ob eamdem rationem, non solùm dicta dona naturalia, sed etiam plura bona temporalia, v. g. diuitię, paupertas, pax temporalis, honor, & ignominia, & plura alia etiam sunt effectus prædestinationis, vt aduertit Bannez ar. 2. quia scilicet, non debentur ex dono creationis, & conducunt cum effectu ad adeptionem glorię, & procedunt ex desiderio glorię; quia ad id nihil obstat: & quia est tale, absque dubio procedit ex meritis Christi.

Addimus vt aduertunt Vaz. Mœratius, Ruicius, & Fasolus opera moraliter bona posse esse effectus prædestinationis, & sæpè de facto esse; quia ex vna parte possunt cum effectu conducere ad adeptionem glorię, & sæpè de facto conducunt, vel tamquam dispositio ad iustificationē (quanuis tantum remota) impetrans à Deo vlteriora auxilia gratiæ, quibus prædestinatus eliciat opera immediatè disponentia ad iustificationem; quia opera moraliter bona vtpote obsequia Deo grata, & placentia possunt dicta auxilia à Deo impetrare, & sæpè de facto impetrant: imò aliqua opera quibus à Deo promissa est misericordia, id habent infallibiliter, v. g. eleemosyna, & iniuriarum remissio, & possunt conducere, & sæpè de facto conducūt tamquam merita de condigno vitæ æternæ, si fiant à iusto, vt significat Tridentinum sessione 6. cap. 16. & ex altera parte sunt superad-

dita

dita dono creationis; quia vocatio ad ea opera, nō est debita naturę & sunt ex meritis Christi, vt pote Deo grata, & cū effectu cōducētia ad adeptionem gloriæ, quæ latè docet Vazq. disp. 91. c. 17. & nos Deo dante dicem. tract. de gratia.

Ad fundamentū ergo prim. sent. quo contenditur nullum bonū naturale esse effectum prædestinationis. Respōdemus cōcedēdo, id tā tum esse effectū prędestinationis in nobis, quòd nobis est gratia, & super additum creationi nostræ, negamus tamen naturalia, imò, & tēporalia, quæ nos inter effectus prædestinationis connumerauimus, non esse gratiā, & donum superadditū creationi, & ex meritis Christi, quāuis sint naturalia, & temporalia, vt vidimus. Patres enim nō distinxerunt inter dona naturalia, & supernaturalia, vt solum supernaturalia appellarent gratiam ex meritis Christi; sed omne id gratiā Christi appellarūt, quòd est superadditum, seu nō debitū dono creationis, & ad rectè viuendum conducit.

Et ad prius fundamentū secund. senten. desumptum ex Paulo Respondemus quod etiam si omnia cooperentur in bonum prædestinatis, non tamen omnia sunt effectus prędestinationis eorum (quia etiam peccatum eis cooperatur in bonum, cū ex eo cautiores, & humiliores resurgant, & tamē non est effectus prædestinationis) nisi solum ea, quæ procedunt à Deo, & ex desiderio gloriæ quasi ex intentione, qualia sunt bona superaddita dono creationis.

Ad posterius ex ratione desumptum, respondemus negando, omnia dona, quæ cōducunt ad gloriam esse effectum prædestinationis, nisi sint superaddita dono creationis; quia solum hæc fiunt decreto, quasi electionis orto ex desiderio gloriæ, quasi ex intentione; subsātia verò hominis, & ea quæ naturaliter exigit fiunt decreto, non quasi electionis orto ex desiderio gloriæ, quasi intentionis; sed fiunt decreto, quasi intentionis finis *cui*, antecedente ad desiderium gloriæ, vel ad summum coniūcto, aut eodem cum desiderio glorię, vt finis cuius gratia respectu talis finis *cui*, iuxta ea quæ dixim. disp. 1. dif. 5. & disp. 2. dif. 2.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm permissio peccati, sit effectus prædestinationis?

SVpponimus, vt certū peccatū, vt peccatum formaliter, seu quoad malitiam, & culpam non esse effectum prędestinationis; quia peccatum, vt sic non est effectus diuini decreti (in quo prædestinatio cō

sistit

ſtit) vt ex ſe patet conſtat, & ex Trident. ſeſs. 6. can. 7. nihilominus peccatum formaliter, vt ſic poteſt eſſe obiectum, ſeu materia, circa quam prædeſtinationis; quia circa peccatum, vt ſic iam factum verſari poteſt diuina prouidentia, illud iam factum ordinãdo ad pœnitẽtiam prædeſtinati, & ad alia, quæ cum effectu cõducant ad adeptionem gloriæ, & ex deſiderio gloriæ.

Hoc ergo ſuppoſito diffic. eſt, an permiſio peccati formaliter, ſeu quoad malitiam, vt eſt formaliter permiſio peccati, ſit effectus prędeſtinatis: permiſio autem peccati eſt, præcipuè negatio auxilij efficacis, quo ſi eſſet impediretur peccatum, & etiam prę requirit collationem auxilij ſufficientis; quia abſque eo non peccatur.

Bañ. q. 23. ar. 2. & 3. Faſo. ar. 2. dub. 4. Suar. lib. 3. c. 8. Gonza. diſp. 71. ſect. 5. & Ruiz. diſp. 23. ſect. 1. docent permiſionẽ peccati, non eſſe effectum prædeſtinationis eo modo, quo negatio poteſt eſſe effectus diuini decreti, probari autem poteſt; quia permiſio peccati eſt vtilis ad gloriam, & de facto ſæpè conducit cũ effectu ad gloriam, & eſt volita & electa, ex deſiderio gloriæ: ergo eſt effectus prædeſtinationis, antecedens quoad priorem partem, nempè quod cõducat cum effectu ad gloriam, quanuis tãtum remote, aut quia eſt occaſio ad pœnitentiam, & humilitatem, & ad cautionem non peccandi in futurũ: & quoad poſteriorem partem, nempè quod ſit volita ex deſiderio glorię, probatur; quia in primis eſt volita à Deo, & aliàs cum effectu conducit ad adeptionem gloriæ media pœnitentia, & media humilitate, & media cautione in futurum: ergo poteſt eſſe volita ex deſiderio glorię.

Vazq. verò diſp. 93. c. 3. Arrub. diſp. 82 Becca. tract. 1. c. 14 q. 3. Merat. diſp. 39. Heri. diſp. 30. & Alar. n. 42. diſp. 4. c. 5 docẽt permiſionẽ peccati, quanuis cum effectu conducat ad adeptionẽ gloriæ, nequit tamẽ eſſe volita, vt vtilis ad gloriam, ſeu eſſe electa, ex deſiderio gloriæ: ergo nequit eſſe effectus prædeſtinationis, conſequentia patet; quia ad rationem effectus prędeſtinationis requiritur, quòd procedat ex deſiderio glorię, & cõſequẽter, quòd ſit electa, vt vtilis ad gloriã, antecedẽs autem, nempè quoad permiſio peccati, nequeat eſſe electa, ex deſiderio gloriæ, ſeu vt formaliter vtilis ad gloriã, qualiter eligeretur, ſi eligeretur ex deſiderio gloriæ; quia quod eligitur ex deſiderio alicuius verè eligitur, vt formaliter vtile ad illud: probatur: quia in primis nequit eſſe volita, ſeu electa immediatè ex deſiderio glorię; quia nõ eſt immediatè vtilis ad gloriã, media autẽ nequeũt ex deſiderio finis eligi, niſi eo modo, quo ſũt vtilia ad illũ: deinde nequit eſſe volita, ſeu electa mediatè ex deſiderio gloriæ, nẽpè ex deſiderio alicuius medij intermedij, propinquius vtilis ad gloriã, quã ipſa permiſio;

quia

quia si ex desiderio alicuius, maximè ex desiderio, aut pœnitentiæ, aut humilitatis, aut cautionis in futurũ ad quas permissio ipsa propinquius est vtilis, & cõducit, & medijs illis ad gloriam; sed permissio peccati nequit esse volita, seu electa, vt formaliter vtilis ad eas, seu ex desiderio earum, & in primis non ex desiderio pœnitẽtiæ, nec cautionis in futurum; quia permissio non est vtilis immediatè, seu conducens ad has duas; sed tantùm medio peccato, quod ad quamlibet earum debet præsupponi, seu quoad quamlibet earum est necessarium præsuppositiue; permissio autem peccati nequit esse volita, seu electa à Deo ex desiderio peccati quoad malitiã, seu vt formaliter vtilis ad peccatum; quia peccatum vt peccatum formaliter nequit à Deo desiderari, nec ei potest placere: oculi enim Domini ita mundi sunt, vt ad peccatum respicere non possit: ergo permissio peccati nequit eligi ex earum desiderio, seu vt est formaliter vtilis ad illas, alias eligeretur ex desiderio peccati; quia nullum medium eligitur ex desiderio alicuius ad quod remotè, seu mediatè est vtile, nisi mediatè, & remotè, & quatenùs formaliter eligitur ex desiderio eius ad quod prius est vtile, & conducit medio quo conducit ad illud. Deinde permissio peccati non potest naturaliter, seu lege ordinaria esse volita ex desiderio humilitatis ob eamdem rationẽ; quia scilicet, permissio peccati lege ordinaria, & naturaliter non conducit ad humilitatem, nisi medio peccato, seu euẽtu peccati; quia permissio peccati nequit deseruire ad humilitatem, nisi priùs cognoscatur; nequit autem permissio naturaliter cognosci, nisi peccatum permissum fiat, seu eueniat; quia quousque peccatum fiat, nullus potest naturaliter, seu absque reuelatione cognoscere sibi peccatum permitti, seu sibi negari gratiam efficacem, qua impediretur peccatum: ergo Deus nequit velle permissionem peccati, vt formaliter vtilem ad humilitatem, ex desiderio humilitatis, ex peccato nobis occasionatæ, nisi etiam velit peccatum, quod est medium inter permissionem peccati secundùm se, & inter ipsam permissionem vt cognitam, qualiter naturaliter, seu lege ordinaria conducit ad humilitatem: permissio ergo peccati nequit à Deo eligi ex desiderio gloriæ prædestinati, & consequenter nec potest esse effectus prędestinationis.

Quando ergo Patres dicunt Deum permittere nos labi in peccatum, vt discamus humilitatem, aut patientiam, aut quid simile, illa particula, *vt*, non denotat finem, sed euentum; quia loquũtur vulgari modo (quo etiam scriptura solet vti) quo denotant illud bonũ euenire, aut euenisse ex peccato tamquam ex occasione, non quia sentiant illud fuisse finem intẽtum à Deo ex peccato, aut ex permissione

ſione peccati: vnde ſenſus dictę loquutionis eorum eſt ex peccato à Deo in nobis permiſſo nos occaſionari ad humilitatem, aut ad patientiam ad aliud ſimile, non verò Deum ex permiſsione illius intẽ diſſe noſtram humilitatem, aut patientiam, aut aliud ſimile.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, concedendo permiſsionem peccati (imò peccatum ipſum) ſæpè conducere cum effectu ad adeptionem glorię: negamus tamen à Deo nobis deſiderari, & appeti ex deſiderio gloriæ; quia ſaltem lege ordinaria nequit ex deſiderio glorię appeti, niſi mediatè ex deſiderio, videlicet, peccati ad quod permiſsio immediatè conducit, quod Deo repugnat.

Nihilominus quanuis permiſsio peccati naturaliter, & abſque miraculo nequeat eſſe effectus prædeſtinationis; ſupernaturaliter tamen, & miraculosè poteſt eſſe effectus prędeſtinationis, vt aduertũt Herice, & Alarcon; quia, ſcilicet, prædeſtinatus poteſt diuina reuelatione fieri conſcius permiſsionis peccati futuri, ſeu negationis auxilij efficacis abſque actuali exiſtentia ipſius peccati: permiſsio autẽ ſic cognita, non deſeruiente ad id exiſtentia peccati, poteſt conducere prædeſtinato ad ſuam humilitatem, ſeu ad recognoſcendam ſuam fragilitatem: ergo tunc poteſt ex deſiderio glorię oriri abſque eo, quod Deus malitiam deſideret, & in ea complaceat; quia tunc permiſsio peccati cognita per reuelationem conducit ad humilitatem, & conſequenter ad gloriam abſque eo, quod peccatum ad id conducat.

Sed quanuis peccatum formaliter, ſeu quoad malitiam nequeat eſſe effectus prædeſtinationis: poteſt tamen eſſe quod actum ipſum phyſicum peccati prout eſt conuerſus Dei, ſeu prout eſt à Deo, vt aduertunt quidam recentiores (quibus aduerſatur Alarcon) quia concurſus ille Dei eſt effectus diuini decreti, & poteſt conducere: imò aliquando conducit cum effectu ipſi prædeſtinato peccanti ad adeptionem glorię; quia eo concurſu diuino poteſt ille qui peccat excitari, & aliquãdo excitatur ad actus bonos, & meritorios, etiam de condigno vitæ æternę, quando fiunt in ſtatu gratię, nempè ad actus fidei, quo credit Deum concurrere ad omnia entia realia, & ad actus charitatis erga Deum; quia nobiscum concurrit etiam ad actus quibus oſtenditur, & ad alios: & quando conducit prædeſtinato ad adeptionem gloriæ, procedit ex deſiderio illius; quia nihil obſtat vt ex eo deſiderio procedat: ſi ergo conducit ad gloriam, & decernitur ex deſiderio glorię, negãdum nõ eſt eſſe ex meritis Chriſti, quod quanuis non ſit neceſſarium quaſi eſſentialiter, vt aliquid ſit effectus prædeſtinationis, de facto tamen omnes effectus prædeſtinatio-

nationis posterorum Adami, & etiam effectus ipsius collati, post suũ apsum ab statu innocentiæ, sunt ex meritis Christi.

DISPVTATIO QVARTA.

De causis prædestinationis.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo possit assignari causa prædestinationis ex parte Prædestinati?

NOn quærimus in hac difficultate an de facto detur causa prædestinationis ex parte prædestinati, quia de hoc postea, sed an possit esse, & assignari: supponimus prædestinationẽ posse dupliciter sumi: primo pro actu ipso prædestinandi existente in Deo: secundò pro effectibus quos efficit in Prædestinato.

Hoc ergo supposito conueniunt DD. effectuũ prædestinationis posse esse, & assignari causam, etiam quæ verè & propriè sit causa: quia effectibus, vtpote creaturis, nõ repugnat habere causam sui: difficultas ergo solum est de actu, seu decreto diuino prædestinandi.

Circa hanc difficultatem certum est, actus, seu decreti diuini, quo Deus formaliter prædestinat, nullam posse esse veram, & propriam causam realiter influentem in illum; quia illius nulla potest esse causa efficiens, nec formalis intrinseca, nec materialis, vt patet, nec posse esse causã realem propriè finalem; quia causa finalis, non exercet suam causalitatem realem, nisi realiter mouẽdo per desiderium sui ad amorem mediorum, in Deo autem desiderium finis, nequit re ipsa mouere ad amorem mediorum; quia re ipsa desiderium finis, & amor mediorũ in Deo, non sunt duo, sed vnus tantum, & indiuisibilis actus, vt diximus tract. de beatit. disp. 1. dif. 6.

Est ergo difficultatem an sit & possit assignari aliqua ratio mouẽs, aut finalis pura absq; reali causalitate, aut moralis, inducẽs, aut obiectiuè mouens diuinam voluntatem ad actum diuinum prædestinationis.

Supponimus in actu prædestinationis, sicut in quocunq; alio decreto diuino esse duo, nempè ipsam essentiam diuinam, quæ est Deo decretum absolutum, & ipsi necessario cõueniens, & terminationẽ, seu accõmodationem, qua ad modum efficientis (& ideò absq; additione aliqua reali) decretum illud efficax in se absolutum fuit prolibertate Dei accõmodatum, vt esset decretum efficax obiecti prædestinationis ratione cuius accõmodationis dicitur, & est actus prædestinationis.

Hoc supposito conueniunt DD. ex parte nostra nullã posse esse ratio-

tionē motiuam(nec finalē adhuc puram abſq; cauſalitate reali, nec moralem inducētem, nec extrinſecè motiuam, qualiter nos mouēt vtilitas medij ad ip um mediū, & bonitas finis ad volitionē illi⁹) ob quam Deus habeat actum, ſeu decretū prędeſtinationis, quoad ſuam ſubſtantiam, ſeu actum ſumptum pro eſſentia diuina, ſeu ſumptum, prout eſt actus volitionis abſolutus, & Deo neceſſario cōueniens; quia Deus non dicitur habere eſſentiam diuinā; quia creatura id me reatur, nec quia in creatura ſit aliquod aliud motiuum.

Punctum ergo difficultatis in eo eſt, an actus diuini, prout accōmo dati ad obiectū prędeſtinationis, ideſt, actus prædeſtinationis, quoad terminationem, ſeu accommodationem, qua volitio Dei realiter ab ſoluta accōmodatur ad obiectum prędeſtinationis, ratione cuius eſt & dicitur prædeſtinatio, poſsit ex parte noſtra aſsignari motiuum ali quod, ſiue per modum finis noſtri puri, ſiue per modum meriti, ſeu cauſæ moralis, ſiue per modum motiui extrinſeci.

Circa hanc difficultatem Alexan. 1. par. q. 23. Memb. 3. Albert. q 79. Memb. 1. art. 1. Henr. Quodlibet. 4. q. 19. Scot. in 1. diſtin. 44. q. vltima, Gab. diſt. 14. q. 1. art. 2. & Vazq. diſp. 91. & 94. c. 1. docent ex parte noſtra nullum eſſe motiuum ex dictis actus prędeſtinationis; ſed tantum effectuum ipſius prædeſtinationis (quòd docere videtur S. Th. ar. 5.) quia actus prædeſtinationis eſt increatus, & indiſtinctus à Deo, nullum autem poteſt eſſe motiuum, ob quod Deus dicatur eſſe.

Mag. verò in d. 41. Suar. lib. 2. *de prædeſtinat.* c. 22. Leſius *de prædeſtin.* ſect. 1 & Ruiz. diſp. 3 ſect. *3.* docent poſſe ex parte prædeſtinati eſſe, & aſsignari motiuum aliquod ex dictis ipſius actus prædeſtinationis, quoad terminationem, ſeu accommodationem ad ſuum obiectum, quanuis non poſsit, quoad ſubſtantiam ipſius actus (& ſolū hoc poſterius nega S. Th. art. 5. vbi ad 3. indicat illud prius) & merito; quia Deus confert gloriam (quæ eſt vnus effectus prædeſtinationis) ob merita prę uiſa, & etiam ob merita præuiſa ſæpè confert vlteriora auxilia, & perſeuerantiam: ergo vnus effectus prædeſtinationis poteſt aſsignari cauſa, vel quaſi cauſa moralis inducens moraliter Deum ad decretum alterius effectus prædeſtinationis, conſequentia patet; quia meritum, vtpotè cauſa moralis præmij, non aliter eſt cauſa præmij, quam mediante voluntate eam inducendo ad decernendum premium. Et rurſus Deus ob glorificationem ſui, vt finem ſui facię lam à nobis confert omnes effectus prædeſtinationis, tāquam media ad eam glorificationē, vt dicem dif. 2. & ſæpe alibi, & ob beatitudinē prædeſtinati, vt finē ipſius prædeſtinati cōfert ei merita, vt media ad eam beatitudinem: & ob merita, vt finem confert,

vo-

vocationem vt medium: ergo prædicti fines prius nostro modo cõcipiendi voliti à Deo, sunt ipsi Deo rationes finales ipsius actus prędestinationis, prout accommodati ad ipsa obiecta: patet consequentia, quia finis non aliter est causa vel quasi causa medij, nisi quia finaliter inducit voluntatem ad volitionem, seu decretum talis medij, & tandem Deus omnes dictos fines, & media confert, & efficit motus obiectiuè extrinsecè ab ipsorum bonitatibus: ita tamē causa moralis, & ratio finalis, & motiuum extrinsecum potest assignari quasi causa decreti, seu actus prædestinationis, vt nequeat esse quasi causa illius quoad substantiam, vt iam diximus, quia vt sic est increatus; sed quoad terminationem, seu accommodationem ad suum obiectum, quæ non est quid increatum, sed ad summum extrinseca quædam denominatio proueniens actui ex libertate Dei (ex quo constat ad rationem aduersariorum) causa enim vel quasi causa moralis, & finis, & motiuum extrinsecum, inducunt voluntatem diuinam, vt suum decretum absolutum accommodet ad obiectum creatum.

Quando ergo inquirimus an prædestinationis detur causa aliqua ex parte nostra, non tantum inquiritur an effectuum prædestinationis detur causa; sed etiam an detur ipsius actus prædestinationis quoad terminationem, quæ duo sunt formaliter diuersa: quia tamen quod est motiuum effectuum prædestinationis, non alio modo est causa eorum, nisi quia prius inclinat voluntatem diuinam, vt decernat efficere tales effectus & è contra, quia quod est quasi causa inclinans voluntatem diuinam ad decernendum effectus prædestinationis, est mediatè quasi causa effectuum prędestinationis: ideò in idem incidit quærere an ex parte nostra detur causa motiua, seu non physica actus prædestinationis, & an detur effectuum prædestinationis. Vnde quãdo quærimus an ex parte nostra detur causa motiua prædestinationis vtrũque, potest intelligi tam, videlicet, actus prędestinationis, vt terminatus ad effectum, quàm effectus ipse ad quem terminatur.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ex parte prædestinati detur causa physica prædestinationis quoad effectus ipsius.

SVpponimus, causam esse duplicem, vnam physicam, alteram moralem; physica dicitur illa, quæ per se ipsam, & per realem influxum influit immediatè in effectum: moralis verò dicitur, quæ im-

me-

mediatè,& per se ipsam non influit in effectum,sed tantum inducē do,& quasi solicitando causam physicam ad agendum (in quo causa finalis,& causa extrinsecè motiua conueniunt cum causa morali) causa enim moralis,supponit causam physicam agentem per intellectum,& voluntatem,vnde in præsentiarum causa moralis,non sumitur pro causa liberè operante,prout distinguitur à causa necessario operante;quia etiam physica potest liberè operari,v.g.voluntas, sed prout distinguitur à causa physica.

Hoc ergo supposito certum est,Deum esse causam efficientem physicam,& principalem omnium effectum prædestinationis; quia ipse est principalis auctor gratiæ, & gloriæ (sub quibus omnes effectus prædestinationis comprehenduntur) iuxta illud Psa.83.*Gratiam,& gloriam dabit dominus*,&etiam esse finem *cui* omnium eorū; quia vniuersa omnia: *Propter se ipsum operatus est Dominus*, Prouerb.16.præsertim prędestinatos,& effectus prædestinationis,quos ipsis prædestinatis confert,vt ab ipsis perpetuo laudetur,& glorificetur,& ipsum non esse causam materialem, nec formalem physicam effectuum prædestinationis,vt ex se patet.

Est ergo difficultas,an ex parte prædestinati detur aliqua physica effectuum prędestinationis.

Circa quam difficultatem est primo certum, nullam ex parte prædestinati, nec ex parte alterius dari causam physicam formalem effectuum prædestinationis; quia effectus prædestinationis sunt formę quędam accidentales,siue sint actus, siue habitus, qui nulla alia forma physicè intrinsecè constant: imò nec physicè informantur.

Secundò certum est ex parte prędestinati dari causam physicam materialem extrinsecam omnium effectuum prædestinationis (saltem eorum ad quos alij moraliter reducuntur,) quia omnes,vt pote formæ accidentales in ipso fiunt,& ex potentia ipsius educuntur,& in ipso recipiuntur;quia tamen nullus eorum est debitus ipsi prędestinato,vt subiecto,ideò causalitas hæc materialis nō tollit quin omnino liberaliter possit haberi à Deo prædestinatio, quoad omnes suos effectus.

Tertiò certum est ex parte prædestinati dari causam efficientem physicam fere omnium effectuum prædestinationis; quia prædestinatus est causa efficiens omnium eorum effectuum, qui consistunt in actibus vitalibus, etiam primæ inspirationis, seu cogitationis: non verò eorum paucorum, qui consistunt in habitibus infusis; quia ad eorum infusionem, non concurrimus efficienter physicè; quia tamen nullus eorum ad quos concurrimus

efficienter physicè, est debitus prædestinato, vt efficienti, ideò etiã causalitas hęc non tollit quin prædestinatio habeatur omnino liberaliter à Deo.

Quartò certum est ex parte prædestinati dari finem, seu rationem finalem omniũ effectuum prędestinationis, excepta gloria prædestinati: & hanc rationem finalem ex parte prædestinati esse beatitudinem, seu gloriam ipsius; quia ad eã vt ad finem prædestinati omnes reliqui, & præuij effectus ordinantur: imò comparando omnes effectus prædestinationis inter se, vnus est propter alium, tanquã propter finem, vel intermedium, v.g. vocatio propter cooperationẽ, & cooperatio propter iustificationem, & vltimum ipsius prędestinati, v.g. iustificatio propter beatitudinem.

Superest tamen controuersia, an ex parte prædestinati detur finis (saltem purus absq; causalitate reali) omnium effectuum prædestinationis: & antecedenter an detur finis totius actus prædestinationis, quoad terminationem; quia finis non causat, nec quasi causat, nisi medio decreto voluntatis, ob quod tract. de beatitud. disp. 1. dif. 3. diximus, finem non esse causam physicam, sed intentionalem, seu animalem.

Duran. in 1. d. 41. q 2. quanuis admittat totius prædestinationis, siue quoad actum, siue quoad effectus nullam dari causam meritoriam, nec dispositiuam ex parte prædestinati, existimat tamen dari finem totius prædestinationis, nempè gloriam ad quam est electus, ita vt verũ sit, ideò Petrus prędestinatur; quia electus est ad gloriam; fundamentum illius est; quia existimat gloriam prædestinati, nõ esse effectum prædestinationis, sed sola alia media quibus prædestinatus perducitur in gloriam; quia prouidentia cuius pars est prædestinatio non est de fine, sed de medijs, omnia autem illa media ordinãtur à Deo in gloriam, vt in finem prædictati: ergo gloria prædestinati est finis totius prędestinationis.

Vazq. verò disp 91. cap. 3. Suarez lib. 2. cap. 3. Ruyzius disput. 26. & communiter Theologi docent ex parte prædestinati non dari finem totius prædestinationis, seu prout terminatur ad omnes effectus prædestinationis, & meritò, quia si aliquis esset finis ipsi prædestinato totius prædestinationis, maximè beatitudo, seu gloria ipsius, hic autem esse nequit; quia vt diximus disput. 3. difficult. 1. & tradunt Augustinus, & Fulg. gloria prædestinati est vnus ex effectibus prædestinationis: ergo nequit esse finis totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis; quia nequit esse finis sui. Falsum autem est quod prouidentia, præsertim, qua vnus prouidet alteri (vt fit prædestinatione) nequeat esse de fine eius

cui

cui prouidet, quando hic eget ope prouidentis ad adeptionem finis, vt eget prædestinatus ad adeptionem gloriæ, vt diximus disput. 2. diffic. 2.

Quòd si obijcias omnes effectus creati, præsertim prædestinationis, etiam si gloriam comprehendas ordinantur, & referũtur à Deo in laudem, seu glorificationem sui, vt in finem *qui*, seu *quo*, & in se ipsum, vt in finem *cui*, sed hæc glorificatio est actus prędestinati, quo Deum laudat, & glorificat: ergo in prædestinato, seu ex parte prædestinati datur finis totius prædestinationis, & omnium effectuum illius; quia glorificatio, qua prædestinatus Deum glorificat, non est effectus suæ prædestinationis.

Respondemus negando consequentiam; quia quanuis glorificatio Dei in quam, vt in finem à Deo ordinantur omnes effectus nostræ prædestinationis, sit actus prædestinati, non tamen dicitur esse finis ex parte prædestinati, seu non est finis *qui*, seu *quo* ipsi prędestinato, tanquam fini *cui*, sed soli Deo bene tamen Beatitudo: & ob id si Beatitudo, seu gloria prædestinati, non esset effectus prædestinationis optime dici posset ex parte prædestinati, dari finem prædestinationis; quia ipse prædestinatus intraret, vt finis *cui* ex quo, & ex fine qui integratur finis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm ex parte prædestinati detur causa moralis prædestinationis quo ad aliquos suos effectus?

DIfficultas hæc procedit de causa morali (prout à physica distinguitur) quæ non influit immediatè in effectum, sed tantum mediante physica hanc inducendo, vt producat aliud distinctum ab ipsa causa morali, & inducit physicam immediatè, & non medio amore sui, in quibus duobus distinguitur à causa finali; quia hæc quanuis tantum causet mediatè, inducendo videlicet causam physicam ad agendum inducit tamen ad producendum, vel ad acquirendum se ipsum, & non nisi medio amore sui, & ob id finis, non necessariò pręsupponitur existens adhuc in præscientia ad agendum: moralis verò præsupponitur existens, saltem in præscientia; quia sola sui existentia præuisa immediatè, mouet, seu inducit ad aliud distinctum ab ipsa.

Est ergo difficultas, an ex parte prędestinati detur causa aliqua moralis, quæ Deũ inducat ad illũ prædestinandum, & ei conferendũ aliques

quos effectus prædestinationis, qualis est causa meritoria, seu impetratoria.

Circa hanc difficultatem error fuit Manicheorum, & Priscilianistarum, qui totam causam, quoad omnes effectus prædestinationis nostræ, imò & reprobationis in diuersum corporum nostrorum temperamentum, quoad hos, vel ad illos actus traheremur reijciebant, temperamentorum autem varietatem in diuersas constellationes reuocabant: negabant enim in nobis libertatem, & consequēter in prædestinatis nullius effectus prædestinationis, & in reprobis nullius effectus reprobationis meritum, quod est causa moralis agnoscebant (sub quo etiam demeritum cōprehendimus) quia absq; libertate nullum potest esse meritum.

Error istè quatenus causam nostrę prædestinationis, & reprobationis in constellationes cœlorum reuocabant, damnatur in Concilio Bracharensi 1. c. 8. & à Leone I. Epist. 91. c. 11. & contra eum eleganter disputat Hier. Ep. 8. & August. lib *de hæresibus*, c. 70. & reijcitur ex illo Ieremiæ 11. *A signis cœli nolite timere, quæ gentes timent.* Et ex illo ad Romanos 9. *Ex vno concubitu habens Isaac Patris nostri.*

Conueniunt ergo Theologi in adultis prædestinatis dari causam moralem, qua Deus mouetur ad ipsis præparandos, & conferendos aliquos effectus prædestinationis, quòd expresit S. Th. ar. 5. & facile probatur; quia in primis gloria est vnus ex effectibus prędestinationis, vt diximus disp. 3. dif. 1. & tamen merita præuisa prædestinatorum, sunt causa moralis, qua Deus inducitur ad præparandam, & conferendam illis gloriam: & gratia iustificans etiam est effectus prædestinationis, vt diximus disp. 3. difficult. 2. & tamen Deus saltem regulariter eam præparat, & confert adultis, in ductus aliquibus pręuisis operibus bonis ex auxilio gratiæ: & tandem plura auxilia congrua gratiæ etiam sunt effectus prædestinationis, vt diximus difficult. quarta, & tamen plura ex illis Deus præparat, & confert ob merita de congruo præuisa: ergo prędestinationis, quoad aliquos suos effectus datur in prædestinatis causa moralis.

Addidimus in adultis prędestinatis; quia paruuli non sunt capaces dictę causæ moralis; quia carēt vsu rationis ad eam requisito; sed an merita, quę haberent si viuerent, possint dici causa moralis prędestinationis eorum dicem dif. 3.

Quòd ergo examinandum supereſt in difficultatibus sequentibus est, an prædestinationis totalis, seu omnium effectuum detur, & sit in prædestinato aliqua causa moralis; quia verò prędestinationis

to-

totalis, seu omnium effectuum, nequit in prædestinato esse causa moralis, nisi etiam detur, & sit primi effectus; quia est vnus ex illis; & quia si detur causa illius, eo ipso datur, vel dari potest omnium aliorum; quia à primo, tamquam à radice omnes alij manant, vel manare possunt; quia habito primo auxilio gratiæ, per illud operando, possumus mereri vlteriorem, & vlteriorem effectum prædestinationis vsque ad perseuerantiam, & vsque ad gloriam inclusiuè, ideò cardo in quo tota futura disputatio vertitur, est, an primi effectus detur in prædestinato causa aliqua moralis, seu quòd idem est, an in eo detur causa moralis prædestinationis primi effectus; quia quod in tempore à Deo, ob causam moralem datur, ob eam antecedenter prædestinatur dari; quia vt supra diximus, nō aliter causa moralis influit in effectum, nisi inducendo voluntatem efficientis, vt decernat, id ad quod eum inducit, seu mouet.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm ante hanc vitam fuerit ex parte Præstinati causa aliqua moralis totius suæ Prædestinationis?

CIrca hanc difficultatem, error fuit Originis lib. 1. Periarchon à cap. 7. & lib. 3 cap 10 asserentis opera, quæ ante hanc vitam fecimus, esse causam moralem totius prædestinationis & reprobationis in hac vita: Origines enim existimauit animas hominum diu antequam vnirentur his corporibus creatas fuisse, & in eo priori statu bona, aut mala opera fecisse, & ob ea in hoc posteriori statu, seu vita prædestinari, aut reprobari: prędestinari quidem eos, qui recipiebāt animas, quæ bona opera fecerunt, & alios reprobari: huius erroris mentionem faciunt Hier. Ep. 8. & in Ierem. c. 24. & alij Patres, fundamentum Origin. fuit; quia aliàs Deus in distributione bonorum non seruaret iustitiam.

Veritas tamen Catholica est, nulla præcedere opera in animabus nostris antequam generemur (& consequenter ob ea non fieri prædestinationem nec reprobationem nostram) vt constat ex illo ad Romanos 9. *Cùm nondum natifuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi Paulus supponit ante natiuitatem in corporibus, non fieri bona, nec mala opera: expositio autem, qua Origines exponit Paulum, nempè antequam quic-

quam boni, aut mali egissent in mortalibus corporibus, dissona est Paulo; quia Paulus absolutè, & absque limitatione loquitur, præsertim; quia statim subdit *non ex operibus*, quòd ita absolutè prolatum falsum esset; quia absolutè esset falsum Iacob, non fuisse dilectum ex operibus, si ex operibus alterius vitæ dilectus fuisset: & non minus esset falsum, quòd subiungit, *sed ex vocante*; quia si ex operibus prioribus ante hanc vitam factis fuisset dilectus, non diceretur, *sed ex vocante*: nec parum facit contra Orig. quòd illa particula, *sed ex vocante*, denotatur inter opera huius vitæ, ante quæ ait diligi Iacob, & inter gratuitam vocationem non dari medium.

Id etiam quod ad hunc errorem supponit Origenes, nempè animas nostras, prius tempore existere quam corporibus vniantur, non est minor error, & damnatus in Concilio Lateranensi, sub Innocentio Tertio Sessione 8. & in Clementina vnica de Summa Trinitate, & in Concilio Bracharensi 1. capit. 6. & à Leone Primo in Ep. 91. ad Turibium c. 10. Imò error iste inutilis est ad expedendam difficultatem, quam tractamus; quia absque eo, & non cum maiori absurdo posset prædestinationem ad opera huius vitæ reuocare, si nollebat admittere fieri gratis.

Ad fundamentum autem Originis. Respondemus consequens illius, nempè quod Deus in Prædestinatione, & distributione bonorum, non seruaret iustitiam, si sumatur contrariè, ita vt sensus sit quod Deus ageret iniustè, si absque præuisione diuersitatis operum, prædestinaret vnum, & non alium esse falsum; quia neutri debetur, vt exprimit Paulus: *Dum subdit numquid iniquitas est apud Deum*, id est, *absit, Moysi enim dicit misericordiam præstabo, cuius miserebor*. Consequente autem ita sumpto, neganda est consequentia ob rationem dictam. Si verò consequens sumatur contradictorie, ita vt sensus sit quod in actu prædestinandi, & distribuendi gratiam, non seruaret iustitiam, imò puram misericordiam, & liberalitatem verum est, vnde respondendum est distinguendo consequens illud, negando si contrariè sumatur, & illud concedendo si sumatur contradictoriè.

(§§)

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm opera bona, quæ prædestinatus facturus esset, si in alio statu constitueretur, quanuis non sint absolutè futura, sint causa moralis prædestinationis?

CIrca hanc difficultatem error fuit Semipelagianorum asserentium paruulos in ætate infantili decedentes fuisse prædestinatos, aut reprobatos ob opera bona, aut mala, quæ aliàs si vixissent facturi erant in adulta ætate, seu vsus rationis: ita referunt Prosper. & Hilarius in Epistolis ad Augustinum, & ipse Augustinus supponit li. 1. *de Prædestinat. Sanct.* præsertim capit. 12. & 13. sæpè alibi fundamentum Semipelagianorum erat; quia aliàs Deus esset acceptor personarum, si absque diuersitate operum (sub conditione quidem; quia in paruulis nulla futura erant absolutè) Deus quosdam prædestinaret, & eis præpararet Baptismum, aut aliud remedium ad gratiam sanctificantem pro temporum diuersitate, & alijs non præpararet.

Sed præter quam quod Semipelagiani, in eo errabant, quod opera illa tantum sub conditione præuisa ponebant, vt causam moralem ad totam prædestinationem, addebant ea opera esse, quæ futura fuissent ex solis viribus arbitrij absq; auxilio gratiæ Dei, de quo errore postea dicemus: in eo autem, quod ad præsentem difficultatem attinet, maximè errabant existimantes opera, nunquam absolutè futura; sed quæ fuissent si paruuli ad ætatem discretionis peruenissent esse meritoria, & causam moralem prædestinationis, & reprobationis.

Dicendum ergo, & necessario defendendum est opera, quæ tantũ sunt sub conditione futura, non esse causam moralẽ præmij, nec pœnæ, seu præordinationis ad præmium, & pœnam, in quo Catholici conueniunt, & tradunt Aug. & Prosp vbi supra, & satis significatur ad Rom. 14. & 2. ad Cor. 5. illis verbis: *Stabimus ante tribunal Christi, vt referat.* vnusquisq; secũdũ ea, quæ in corpore gesit, siue bonũ, siue malũ, vbi supponit Apostolus nullã habẽdã esse rationem operum, quæ gesturus esset, vt intuitu illorum aliquid accipiat; sed tantum eorumque gesit. Et idem significatur Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, vbi supponitur, quòd si viueret esset malè operaturus, & tamen ei ob ea opera mala, non

denegatur beneficium, quo prœuenitur præmatura morte tempore, quo erat iustus: ergo Deus nullam habet rationem eorum operum, sub conditione futurorum, vt eorum intuitu aliquid, vt præmiũ, vel vt pœnam præparet, & conferat.

Et ratione à priori probatur; quia conditionalis, nihil ponit absolutè in esse: ergo opera illa, quæ tantum sunt conditionaliter, & nũquã absolutè futura, nihil ponunt absolutè in homine: ergo non reddũt illum, nec reddere possunt absolutè merentem præmium, nec pœnam, sed tantum sub conditione, ideſt, quòd mereretur, v.g. si viueret: & confirmatur; quia durum esset Deum, ob opera mala sub conditione, & nunquam absolutè futura pœnam aliquam infligere absolutè, & realiter existentem; ergo eadem proportione opera bona, tãtum sub conditione, & quę nunquam sunt absolutè futura, nullum merentur absolutè pręmium.

Et eisdem ratione, & cõfirmatione constat opera aliàs absolutè futura, nõ posse esse causam moralem præparationis præmij, nec pœnæ in eo priori signo, in quo tantum præuidentur futura, sub conditione quousque in posteriori præuideantur absolute futura.

Concludimus ergo prædestinationis paruulorum nullam dari causam moralem ex parte ipsorum, quia nõ opera aliqua, quæ antecedunt ipsorum vitam in corporibus; quia verè non fuerunt vt dixim. contra Origin. dif 4 nec opera futura post vitam; quia post eam nullum est in illis meritum: nec futura in vita sub conditione si viuerẽt, vt nuper dicebamus nec aliqua absolutè futura in vita; quia hæc non sunt libera ex defectu vsus rationis, qui non nisi paucis, & singulari priuilegio acceleratus est. Id autem quod quidam hæretici dixerunt (vt Aug. refert Ep. 106.) infantes videlicet in vteris maternis efficere aliquos actus bonos propter quos possint prædestinari, dicitur omnino gratis, & contra communem Ecclesiæ sensum, & cõtra Paul. ad Rom. 9. de Iacob, & de Esau dicentẽ: *Cũ nondum natifuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, vnde iucta illa Iacob, & Esau in vtero matris, quam hi hæretici posse adducunt, non fuit illis libera, *fuit enim* (vt ait Aug.) non arbitrium, sed prodigium.

Quibusdam ergo paruulis prędestinatum, seu præparatum fuit remedium ad salutem ex meritis Christi, & ex benignitate Dei, alijs vero non: in quo his nulla fuit facta iniuria, adhuc latissimè sumpta; quia id nulli erat debitum, absque iniuria autem, non est personarum acceptio.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm opera prædeſtinati ex auxilio gratiæ facta ſint cauſa moralis prædeſtinationis ipſorum?

DIfficultas hæc procedit de operibus, quæ prædeſtinatus re ipſa, & abſolutè facit in hac vita mortali: & nunc non de quibuſcũque; ſed de his, quæ facit ex auxilio gratiæ Dei, an ſcilicet, ſint moralis cauſa prædeſtinationis; quia de operibus, quæ fiunt ex ſolis viribus arbitrij ſine auxilio gratiæ, an ſcilicet, ſint cauſa prædeſtinationis, dicemus dif. 7.

Circa hanc difficultatem prima ſententia eſt aſſerentium opera bona prædeſtinati ex auxilio gratię facta, eſſe cauſam moralẽ prędeſtinationis, ſeu quod idem eſt, prædeſtinationem factam fuiſſe ex meritis gratię præuiſis ipſius prædeſtinati; ac proinde ex parte prædeſtinati eſſe causã moralẽ ſuæ prædeſtinationis. Ita docent Ocham & Gab. in 1. d. 41. nõ quo ad eos paucos prædeſtinatos, quos eximiè prædeſtinatos appellant, quia hos exiſtimant electos fuiſſe ad gloriã ante merita præuiſa; ſed quo ad reliquos omnes; quia eos exiſtimãt fuiſſe electos ad gloriam ex meritis gratiæ præuiſis. Et idem quo ad omnes prædeſtinatos nullo excepto, docent Oſorius lib. 9. de iuſtit. Rubion in 1. d. 41. art. 1. & 2. & alij plures, quos refert Ruicius diſp. 7. ſect. 1. Fundamentum eorum eſt, quia ex vna parte exiſtimant ſolam gloriam, ſeu beatitudinem eſſe effectum prædeſtinationis, ſeu quod idem eſt, prædeſtinationem eſſe ſolam voluntatem dandi gloriam, & ex altera parte in Deo conſtituunt eam voluntatem ex meritis gratiæ præuiſis.

Sententia hæc quo ad id, quod aſſerit voluntatẽ efficacem dandi gloriam, non fuiſſe in Deo, niſi ex meritis gratiæ præuiſis, veriſsima eſt, & Auguſt. & aliorum Patrum, vt diximus diſput. 2. dif. 5. quo ad id verò, quod aſſerit prædeſtinationem, nihil aliud eſſe quam eam voluntatem efficacem dandi gloriã, nobis non placet, quia diſcedit à communi modo loquendi Theologorum, & Patrum, præſertim Auguſtini, qui de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. & de bono perſeuerantię cap. 14 prædeſtinationem appellat pręparationẽ gratię, & beneficiorum Dei, quibus prædeſtinati certiſsimè liberãtur, ſeu ſaluantur, & Fulgoſ. lib. 1. ad Monimum capit. 9. vbi docet Deum prędeſtinaſſe, vocationem iuſtificationem, & gloriam, vt vidimus diſp. 2. dif. 2. & diſp. 3. vbi oſtendimus, non ſolùm gloriam; ſed

etiam vocationem, & iustificationē, & merita esse effectus prædestinationis. Displicet etiam hæc sententia; quia consequenter contra Augustinū docet prædestinationē fieri ex meritis, quod etiā esse falsum constabit ex posteà dicendis. Hæc ergo prima sententia nobis displicet, saltem quo ad modum loquendi, primò in eo, quod solam voluntatem efficacem dandi gloriam appellat prædestinationē: secundò in eo, quod ait prædestinationem fieri ex meritis.

Secunda sententia est asserentium ex parte prædestinati dari causam moralem meritoriam de congruo totius prædestinationis, opera, videlicet, quæ ex auxilio gratiæ facta, disponunt ad iustificationem, ita Bonauent. in 1. d. 41. ar. 1. q. 1. & Iauellus q. 23. ar 5. Fūdamentum eorum est, quia existimāt prædestinationem, nihil aliud esse quam præparationem iustificationis perseueraturæ vsque in finem vitę, non verò auxiliorum quibus disponimur ad iustificationem: hoc autem supposito, facilè probatur dari causam meritoriā de congruo; quia opera bona procedentia ex auxilio gratię, quibus ad iustificationem disponimur, sunt impetratoria, & meritoria de congruo iustificationis, quæ secūdùm ipsos est primus effectus prædestinationis: quod verò ea opera sint meritoria iustificationis, docent Augustin. epist. 105. & S. Thomas in 2. dist. 27. artic. 4. & nos Deo dante dicemus tractat. de gratia; quia intuitu eorum vtpotè obsequiorum Deo factorum, Deus tamquam gratus, ita tribuit auxiliū efficax ad contritionem, qua iustificamur, vt tunc non dicatur omnino gratis nos iustificare; sed ex operibus nostris ex auxilio suę gratiæ factis, iuxta doctrinam Iacobi cap. 2. & non aliter dicimur iustificari gratis, nisi quia auxilium primum quo ad iustificationem operamur, vel ad eam disponimur (ex quo auxilium hoc dicitur gratia iustificationis, vt aduertit Vazq. dispu. 90. c. 5.) non cadit sub nostrū meritum.

Sententia hæc secunda etiam non placet, saltem quo ad modū loquendi. Primò, quia solam præparationem glorię, & iustificationis perseuerantis appellat prædestinationem excludendo à prædestinatione præparationem auxiliorum, quibus ad iustificationem perducimur. Secundò, quia contra Augustinum ait prædestinationem fieri ex meritis.

Tertia sententia est asserentium prædestinationis quo ad primā vocationem, seu gratiam (circa quā est tota difficultas) dari ex parte prædestinati causam moralem meritoriam, nempè bonum vsum futurū ex ipsa prima vocatione, seu primo auxilio gratię, & ex libero arbitrio ea vocatione adiuto, ita vt illa prima vocatio prędestinetur, & conferatur in præmiū boni vsus ex ipsa proceſſuri. Ita Alexand.

xand. 1. p. q. 28. memb. 3. ar. 3. (quanuis 3. p q. 63. memb. 5. ar. 2. oppo situm doceat) & refertur idem sensisse Albert. libr. 6. Sentent. d. 41. ar. 2. & 3.

Et in primis, quod bonus vsus ex auxilio gratię futurus, possit esse causa meritoria ipsius auxilij gratię ex quo procedit, potest probari; quia ad rationem causę meritoriæ non est necessarium, quod in tempore præcedat præmium; quia hominibus veteris testamenti collata fuerunt auxilia gratiæ ex meritis Christi: ergo quāuis bonus vsus ex auxilio gratiæ, & ex libero arbitrio processurus sit post ipsū auxiliū poterit esse causa meritoria illius: nec huic videtur obstare, quod vsus ille processurus sit ex ipso auxilio; quia militi solent arma conferri pro eorum vsu futuro, & vinea solet vendi pro lucro ex fructibus illius percipiendo, si autem hoc fieri potest, negari non debet vsum auxilij gratiæ de facto mereri auxilium ipsum.

Hæc sententia maximè displicet, non solùm quia contra Augustinum ait ex parte prædestinati dari causam meritoriam prædestinationis; sed etiam quia docet opus ex auxilio gratię procedens esse causam moralem, & meritoriam ipsius auxilij, ex quo vt principio procedit: displicet ergo quoadhoc posterius: primò, quia est contra communē Theologorum applausum. Secundò, quia est contra Concil. Arausicanū secundū canon. 25. & contra Trident. sess. 6. ca. 5. vbi dicitur, initiū salutis gratis est sine merito dari, & c. 8. vbi declarathominē gratis iustificari; quia nullū op⁹ iustificationē præcedens meretur ipsā iustificationis gratiā, id est, auxiliū gratiæ, quo promouemur ad iustificationem, iuxta phrasim Augustini epistola 105. ergo Tridentinum supponit opera, quæ sequuntur, nō esse meritoria antecedētis auxilij gratiæ. Et tādē est cōtra rationē; quia axioma commune est apud Theologos, quòd principium meriti non cadit sub meritum ipsum, cuius est principium: ergo vocatio illa, seu auxiliū illud non cōfertur ex cooperatione nostra, vt ex merito; quia cooperatio nostra ex illo auxilio procedit, vt ex radice & principio, quod autē principiū meriti nō cadat sub meritum cuius est principium, negari non potest. Primò, quia aliàs gratia sanctificans daretur ex meritis de condigno, quæ eam consequuntur, & ab ea procedūt, saltem quoad dignitatem, & rationē meriti: & etiā gratia vnionis data fuisset humanitati Christi ex infinitis meritis ab illa processuris; & quia alias res quæ datur vt pręmiū, & nō aliter, præsertim à Deo esset, prius absolutè futura, & prius absolutè præuisa, quā meritū, quod dici nōpotest; quia ex merito præuiso, vt absolutè futuro decernitur conferri præmium, & nō aliter: ergo principium meriti nequit cōferri, vt prę̄miū meriti cui⁹ est principiū; quia cū sit prin-

principium meriti debet esse prius absolutè futurum quàm meritũ, & prius decretum à Deo quam illud.

Ad fundamentum autem pro hac tertia sententia adductum respondemus, quod quanuis fieri posset, quòd principium meriti caderet sub meritum; ex eo tamen non conuinceretur de facto ita cõtingere; quia à potentia ad actum non valet consequentia, præsertim quod falsum est id esse possibile, vt nuper dicebamus: & ad probationem ex ratione desumptam, concedimus antecedens, nempè ad rationem causę meritorię non requiri, quod tempore præcedat præmium, negamus tamen consequentiã; quia non ex eo, quod bonus vsus auxilij gratiæ sit duratione posterior, quam ipsum auxiliũ gratiæ existimamus, non posse esse causam meritoriam ipsius auxilij; sed quia est posterior causalitate ipso auxilio; quia auxilium est principium & causa illius, principium autem meriti nequit sub meritum ipsum cadere ob rationem dictam: ad probationem verò ex exemplis desumptam, & in primis ad exemplum vsus armorũ, pro quo præsumpto & sperato, solent arma in præmium conferri. Respondemus, cùm vsum ex armis futurum verè, & ex natura rei, non esse causam meritoriam armorum; quia conferens arma ex liberalitate potius quam ex gratitudine, quasi acceptat vsum quem sub conditione quod arma conferat, præsumit futurum, quia quod tale solùm sub conditione futurum est, aut præsumitur futurum, nequit esse causa meritoria; quia conditionalis nihil ponit inesse. Deus ergo nequit pro vsu futuro ex auxilio gratiæ tamquã pro merito decernere dare ipsum auxilium gratiæ; quia vsus auxilij gratiæ in eo priori signo ante decretum dandi auxilium gratiæ, tantùm est sub conditione futurus, illud tamen decernit dare propter vsum tamquam propter finem, id est, vt benè vtamur, & operemur, vt constat ex illo Pauli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso vt essemus sancti*, ex quo Hier. in istum locum, & Augustinus de prædestinatione Sanctorũ, cap. 17. & Concilium Arausicanum canone 25. ita inferunt: *Elegit nos vocatione sua vt essemus sancti, ergo non quia futuri eramus sancti*: idem enim respectu eiusdẽ volitionis nequit esse finis, & causa meritoria; quia finis nequit esse causa meritoria mediorũ; quia per media est absolutè futurus.

Et ad secundùm exemplum venditionis vineæ pro lucro percipiendo ex fructibus. Respondemus, eam venditionem, & alios contractus, in quibus non attenditur ratio honestitatis, sed vtilitatis, nõ fieri præcisè pro lucro percipiendo, sed pro iure ad lucrum, ita vt causa moralis obquam vendens inducitur ad venditionem, sit ius, quod in se ipso acquirit ad lucrum, dictum autem ius (cui nõ emẽte

corres-

correſpondet obligatio) non procedit à vinea. Et idem eſt ſi arma vendantur, pro vſu futuro ex ipſis quod tunc, non tam venduntur, pro vſu ipſo quàm pro iure ad vſum collato ipſi vendenti (cui in emente correſpondet obligatio) quòd nō procedit ab armis: vſus autem auxilij gratiæ procedit ab ipſo auxilio.

Quarta ſententia eſt aſſerentium cooperationem arbitrij, cum cooperatur vocationi, ſeu auxilio gratiæ, quanuis non ſit cauſa meritoria, eſſe tamen conditionem, ſine qua non totius prædeſtinationis.

Ita docere videntur Aureolus in 1. diſt. 40. & 41. art. 1. & Echius in Opuſculo *de Prædeſtinatione*, centuria 3. numer. 2. Quòd autem ſit conditio, ſine qua non probatur; quia auxilium gratiæ, ſine noſtra cooperatione, non eſſet effectus prædeſtinationis; quia ſi non eſſet habiturum effectum, non eſſet effectus prędeſtinationis, quòd autem habeat effectum pendet ex noſtro arbitrio, ſeu ex cooperatione illius.

Henric. verò quodli. 4. q. 11. & quodl. 8. q. 5. indicat noſtrum arbitrium eſſe cauſam, ſine qua non totius prædeſtinationis ex eo quòd non reſiſtit effectibus illius.

Hæc quoque quarta ſententia nobis diſplicet, & in primis, quod cooperatio noſtra ſit conditio, ſine qua non totius prædeſtinationis; quia vocatio à qua incipit prædeſtinatio, non ſolum eſt effectus prędeſtinationis, vt eſt cooperās, ſeu adiuuans, ſeu comitans cooperationem noſtram, ſed etiam, vt operans, ſeu excitans, & præueniens, vt diximus diſp. 3. difficult. 4. quia vt præueniens datur ex deſiderio gloriæ prædeſtinati, & conducit cum effectu ad illam conſequendam, ſiue talis vocatio ſit efficax, vt præueniens, ſiue tantum, vt cooperans, de quo Tractat. de Auxilijs; ſed cooperatio noſtra, non eſt cauſa moralis, nec ratio formalis extrinſecè motiua, nec diſpoſitio, nec cōditio, ſine qua nō, inducens moraliter Deū ad eāvocationē, vt pręueniētē prædeſtinandam, nec conferendam, nec eſt conditio phyſica; quia cooperatio noſtra eſt poſterio, & poſterius pręuiſa quam vocatio, vt præueniens; quia vocatio, vt præueniens eſt cauſa, aut potius cauſalitas moralis cooperationis noſtræ; quia ita vt præueniens excitat voluntatem, vt quando voluntas cedit, ſeu conſentit vocationi conſenſus, ſeu cooperatio, & ceſio refundatur in ipſam, vt præuenientem, tanquam in radicem moralem, quanuis in eamdem vocationem, vt adiuuantem refundatur, tanquam in cauſam, aut cauſalitatem cooperantem: ergo vocatio, vt præueniens, vt pote cauſa, vel cauſalitas moralis, & ideò prior, & prius decreta, & præuiſa non prædeſtinatur, & confertur ob cooperationem no-

nostram, vt causam, nec vt conditionem moralem, quanuis prædestinetur, & conferatur ob cooperationem, tanquam ob finem.

Quòd verò non resistentia voluntatis, qua nō resistit vocationi, nō sit causa sine qua non, nec cōditio, nec physica, nec moralis totius prædestinationis, constat ex eo, quòd prima vocatio, vt prœueniens est, qua etiam ratione est effectus prędestinationis, imò primus, etiā est prior, quam quod volūtas nō resistat ipsi vocationi; quia prius est quod sit vocatio, quam quod ei resistatur.

Quinta ergo sententia nobis probatur, & placet asserentium opera prædestinati, quę ex vocatione, seu auxilio gratię procedant non esse causam, nec rationem moralem totius prædestinationis, ita Sanctus Thomas art. 5. Vazquez disp. 91. Suarez lib. 2. c. 20. Lesius Opusculo *de Prædestinationis*, sect. 1. Mœratius disp. 38. sect. 7. & communiter Theologi: ratio huius est; quia quodcumque opus nostrum ex auxilio gratiæ procedens, quamtumuis deueniamus ad primum opus quo disponimur, aut meremur effectum aliquem prædestinationis, supponit, vt prius, vt pote principium, & causam, aut causalitatem moralem inducentem, non meritoriam ipsum auxilium, seu vocationem ex qua procedit: ergo quanuis possit esse causa moralis meritoria vlterioris auxilij, non tamen illius à quo procedit, vt à principio, vel causalitate: ergo tandem deuenien-dum est ad primam vocationem, seu primum auxilium, ex quo procedit primum opus cuius auxilij, seu vocationis, nec opus ipsum primum, & multo minus vlteriora opera, quę ex primo opere, vt ex merito oriuntur, & sunt effectus prędestinationis, possint esse causa illius auxilij, sed auxilium illud primum ex quo sequentes, & vlteriores effectus prædestinationis ortum habuerūt, est effectus primo primus, vt dixim. disp. 3. dif. 4. quia oritur ex desiderio glorię prædestinati, & primo cōducit cum effectu ad adeptionem illius: ergo nullum opus ex auxilio gratiæ procedens, potest esse causa moralis meritoria totius effectus prędestinationis; quia nullum potest esse causa effectus primi.

Addimus quòd quanuis de facto opera bona prædestinati ex auxilio gratiæ procedentia, non sint causa totius prædestinationis; quia omnia auxilia, quę Deus de facto confert, ea confert ex desiderio gloriæ, ac proinde omnia sunt effectus prædestinationis: de potentia tamen Dei absoluta potuerūt esse causa moralis meritoria totius prædestinationis; quia potuerunt esse meritoria primi effectus, & reliquorū; quia Deus potuit, & potest cōferre auxilia ad opera bona ex alio motiuo quam ex gloria prędestinati, quæ eo ipso nō esset effectus prædestinationis, sed eis operibus potuit prædestinatus mereri

pri-

primum auxilium datum ex desiderio gloriæ, quod eo ipso esset esse actus primus prædestinationis: ergo de potentia Dei absoluta potuit ex parte prædestinati dari causa moralis meritoria totius prædestinationis, primi videlicet effectus, & reliquorum.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm opera prædestinati ex solis viribus liberi arbitrij absque auxilio gratiæ facta, sint causa moralis prædestinationis?

CIrca hanc difficultatem, primus error fuit Pelagij, qui vt constat ex Augustino *de Prædestinatione Sanctorum*, præsertim capit. 18.& Epist. 90.&95. & sæpè alibi, asserebat auxilium gratiæ, non esse necessarium ad bene operandum, nec ad iustificationem, nec ad perseuerantiam in ea, nec ad merendũ de condigno vitam æternam, esse tamen vtile ad facilius, & melius prædicta præstanda, & aliquando dari, sed ex meritis liberi arbitrij, & consequenter asseruit, nõ esse necessariam aliam prædestinationem, quam decretum dandi vitã æternam, & hanc prædestinationem sufficienter fieri ex operibus solius liberi arbitrij absque auxilio gratiæ.

Error hic Pelagij damnatus est in Concilio Mileuitano, præsertim Can. 3.& 4.& 5.& 6.& in Epist. 90. Augustini quæ est Concilij Carthaginensis ad Innocentium, & in Trident. Sess. 6. Can. 1. 2. &3.& c. 3.& 5.& 6.& manifestè est contra Paulum in eis locis in quibus docet prædestinationem, & electionem non fieri ex operibus nostris, alioquin non esset gratia: & in quibus ait nos gratis saluari, in impugnatione autem huius erroris, nõ amplius immoramur. Primò quia est manifestus: secundò quia magis pertinet ad tract. de Gratia; quia omnino aufert necessitatem, auxilij gratiæ: tertiò; quia ex eis, quæ statim dicemus cõtra Massilienses reliquias ipsius Pelagij impugnatus manebit.

Secundus error fuit Massiliensium, qui vt constat ex Epistolis Prosperij, & Hilarij ad Augustinum existimantes contra Pelagium auxilium gratiæ esse necessarium ad iustificationem, & perseuerantiam in ea & ad merendũ vitam æternam, nihilominus libero arbitrio absque auxilio gratiæ attribuentes initia quædam, nonnulla videlicet opera bona, vt fidem, & obedientiam, & desiderium boni operis intuitu, quorum Deus confert auxilium gratiæ, quod

quòd ad tria prædicta existimabant necessarium, consequenter asserebant ex parte prædestinati dari ex proprijs viribus causam moralem prædestinationis primi auxilij, & consequenter omnium effectuum prędestinationis; quia à primo effectu reliqui ducunt originem.

Existimabant enim nos ex proprijs viribus, absque auxilio gratiæ superaddito dono creationis, incipere negotium nostrę salutis operibus nostri arbitrij impetrantes, quanuis solum de congruo auxilium gratiæ ad iustificationem, & ad perseuerantiam in ea, & ad merendum vitam ęternam. Isti autem dicti sunt Semipelagiani, & reliquiæ Pelagij; quia ex parte ei consentiebant dicentes, non esse necessarium auxilium gratiæ ad ea opera quibus impetramus dictum auxilium gratiæ, quòd est primus effectus prædestinationis, inter hos Masilienses præcipuus fuit Casianus collatione 3. à capit. 8. quem sequuti sunt Faustus Regiensis lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio, præsertim c. 12. & 17. & plure alijs Episcopi, & DD. in Gallia, quibus fauere videtur Chriso. hom. 27. & 42. in Genes. eum tamen vt Masilienſib. non consentiat benigne interpretantur Suar. lib. 2. c. 8. & Heric. disp. 25. c. 7.

Error iste Masilienſum, probari videtur ex Scriptura, & ex Patribus, & ratione.

Et in primis ex Scriptura. Primò ex parabola illa Matth. 25. hominis qui proficiscens seruis suis distribuit bona sua, & vnicuiq; iuxta propriam virtutem: ergo destributio gratiæ, qua rectè viuimus, & negotiamur, significata per eam distributionem bonorum, fit vnicuique iuxta propriam virtutem, ideſt, iuxta dispositionem ex proprijs viribus.

Secundò ex illo Pauli ad Rom. 8. quos præsciuit, & prædestinauit cōformes fieri imagini filij sui; sed nulla alia præscientia præcedere potest prædestinationem, nisi præscientia boni operis ex solo libero arbitrio: ergo ex eo, tanquam ex initio, & occasione prædestinamur.

Tertiò ex illo Pauli 1. ad Timoth. 1. *Qui blasphemus fui, & persequutor, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea*: quibus verbis significat Paulus causam, ob quā fuit misericordiam consequutus esse carentiam maioris peccati, quòd feciſſet si id scienter feciſſet.

Deinde idem error probari videtur ex Patribus 1. ex August. lib. 83. quæstionum q. 68. post medium, vbi ideo, ait voluntatem qua [illegible] eius vnius miseretur, & alterum indurat non esse iniustam; quia venit de occultissimi meritis: & deinde subdit parum est velle, nisi

Deus

Deus misereatur; sed Deus non miseretur, nisi voluntas præcesserit: ergo Aug. videtur concedere ex nobis initium aliquod ad adeptionem gratiæ, nempè bonam voluntatem, & occultissima merita. Secundò ex Bernado in serm. de eo, quòd legitur in Iob in sex tribulationibus dum ait: *Quòd enim in nobis minus est ipse supplet: modicum tamen illud quodcunq; nostrum est, non patitur reseruari*: Quibus verbis significari videtur nos initio aliquo incipere; & postea Deũ auxilio gratiæ suę illud supplere in melius promouendo.

Tandem rationibus videtur probari. Primò, quia si Deus nulla expectata occasione ex nobis, sed prout ipsi placet, confert auxiliũ gratiæ: ergo voluntas nostra non est libera in operationibus ad quas est necessarium auxilium gratiæ; patet consequentia; quia si auxilium gratiæ non esset in nostra potestate, operatio quoque ad quam est necessarium, non erit in nostra potestate. Secundò, quia si auxilium gratiæ ex sola Dei voluntate datur: ergo frustra fit oratio; quia oratione humana obtineri nequit, aliàs non penderet ex sola voluntate Dei. Frustra quoque homines exhortarentur ad bona opera, si auxilium gratiæ ad ea necessarium, non est in hominum potestate.

Tertiò, quia Deus esset acceptor personarum, si pro sola sua voluntate, & nulla expectata occasione ex parte hominum, vni potius, quam alij præpararet auxilium gratiæ, & vni maius, & alij minus.

Quartò, quia homo ex se, sine auxilio gratiæ exercere potest aliquod opus moraliter bonum; quia non excedit vires liberi arbitrij: ergo ex parte prædestinati ex solis suis viribus potest esse causa, & occasio præparationis, & collationis auxilij gratiæ.

Error iste Masilienſum in primis refutatur ex Augustino libr. *de Prædestinatione Sanctorum*, præsertim c. 19. & lib. de bono perseuerantiæ, quos contra eos scripsit ad instantiam Prosperi, & Hilarij Arelatensis in defensionem doctrinæ oppositę Masilienſibus, quam ipse tradiderat lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum præsertim cap. 8. & lib. 2. *de peccatorum meritis, & remissione* capit. 17. doctrinam Augustini contra Masilienses amplexi sunt Prosper. & Hilarius in Epistolis ad Augustin. Petrus Diaconus lib. *de Incarnatione & gratia* ad Fulgentium cap. 8. & ipse Fulgentius lib. 1. ad Monimum capit. 8. & 9. & 11. & 14. & eam mirificè laudat Celestinus Epistola 1. ad Episcopos Galliæ capit. 1. & 3. & 17. vbi etiam reprehendit errorem Masilienſum contra Augustinum.

Deinde error iste damnatur in Concil. Aurasica. 2. contra Masilienses specialiter congregato, præsertim Canone 3. vbi damnatur, qui dixerit ad inuocationem humanam gratiam Dei conferri, &

canone 4. vbi damnatur qui dixerit, Deum expectare voluntatem nostram, & canon. 7. vbi damnatur, qui humilitati, aut obediētiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium: & can. 25 vbi dicitur, salubriter credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & posteà per Dei misericordiam adiuuamur.

Vnde nobis displicet opinio, quę ad præsentē difficultatem attinet eorum Scholasticorum, qui ex solis viribus arbitrijs admittunt opera, quæ sint dispositio moralis, intuitu cuius Deus conferat auxilia gratiæ, medijs quibus promouemur ad iustificationē, ita Richardus in 2. d. 28. ar. 1. q. 2. Dur. q. 5. Gab. 27. q. 1. art. 2. Anton. Pantusa lib. de prædestinatione & gratia c. 6. Sotus lib. 3. de natura & gratia, c. 3. displicet ergo, quia eo ipso admittunt esse initiū aliquod ex nobis, cui auxilium gratiæ subiungatur, & Deum expectare vsum liberi arbitrij, vt auxilium gratiæ conferat.

Quod non moderantur, qui asserunt initium, & dispositionē illā tantum esse cuiusdā æquitatis, & decentiæ, & congruitatis, & Deum eo initio posito non obligari ad conferendum auxilium gratiæ, nec coarctari ad non conferendum illud, si non præcedat initium ex nobis: id autem non moderantur. Primò, quia Massilienses, qui quoad doctrinam initij ex nostro libero arbitrio damnati sunt, non constat imposuisse Deo obligationem. Secundò, quia nonnulli ex Massiliēsibus ita admisserunt initium aliquod ex nobis ad auxilium gratiæ, vt non semper & necessariò præcederet ad illud, & ita vt non dixerint initium illud esse plus, quam occasionem quamdam, & colorem, vt Deus cōferat auxilium gratiæ, vt constat ex Cassiano, qui fuit Massilienſium Dux, & solum existimauit Deum aliquando prę-uenire, & non semper expectare initium ex nobis; sed aliquando, vt patet ex collatione 13. cap. 12. & 13. & 15. & 17. & solum existimauit initium illud esse occasionem quandam, & colorem intuitu, cuius Deus conferret auxilium gratiæ suæ, vt patet ex lib. 12. de institutis Cœnobiorum, c. 14. & vtrumque expressit collatio. 13. c. 13. dū ait: *Vt nonnumquam gratia Dei conatus bonæ voluntatis expectet* (ecce primum) occasiones quodam modo quærens, quibus largitas magnificentiæ suæ non videatur irrationabilis, dum eam sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impartitur, & nihilominus gratia Dei perseueret, dum exiguis paruisque conatibus eam tribuit, ecce *secundum*.

Rursus, error Massilienſum, & dicta Scholasticorum opinio reijcitur ex scriptura, 1. ex illo Pauli ad Roman. 9 *O homo! tu quis es qui respondeas Deo, numquid dicit figmentum ei, qui se finxit quid me fecisti, sic an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud vas*

in

in honorem, aliud verò in contumeliam: vbi Paulus dum ait, hominem non posse conquæri de Deo, quod vnius misereatur, & alium induret, sicut nec figmētū iuti de figulo, quod illud nō fecerit in honorē, satis significat ex parte nostra nullū esse meritū, nullā rationē, nullā occasionem, & nullam dispositionem aliquo modo conducentem, vt eius intuitu nobis præparetur, & conferatur auxilium gratiæ; quia si præcederet, posset homo quodāmodo cōqueri de Deo, quod ipsi homini facienti quantum potest, vt Deo obsequatur, & placeat, nihilominus Deus ei non faueat auxilio gratiæ suæ. Et deinde ex eo, quod homo in causa suæ prædestinationis compararetur luto, aliqualiter insinuatur hominem ex se ipso non disponi ad eam, sicut nec lutum ex se ipso præparatur, seu disponitur vt formetur in vas.

Secundò reijcitur ex illo Isaiæ 65. & ad Romanos 10. *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant*, quo contra Massilienses vtitur Concilium Arausicanum 2. canon. 3. Deinde tertiò reijcitur ab Augustino de prædestinatione sanctorum cap. 19. ex illo Pauli ad Ephes. 1. *In quo* (id est, in Christo) *& nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum eius*; quia qui occasione ex se ipso data prædestinatur, seu eligitur, aut vocatur, non dicitur sorte eligi, aut vocari.

Tandem error Massilienſum rationibus Theologicis reijcitur. Primò, quia liberum arbitrium absque auxilio gratiæ nihil potest, quod conducat, & vtile sit, adhuc mediatè ad vitam æternam tanquam causa moralis, nempè tanquam meritum, aut dispositio, aut occasio moralis ad eam; quia id ad minus significatur illis verbis Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere*, & 2. ad Corit. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*, & 1. ad Corint. 4. *Quid habes quod non accepisti*, quo contra Massilienses vtitur Concilium Arausicanum 2. canone 6. ergo ex solis viribus liberi arbitrij nihil potest fieri, quod sit meritum, aut occasio, aut dispositio moralis, inducens Deum ad præparationem, & collationem gratiæ, qua perducamur, aut perduci possimus ad vitam æternam: consequentia patet, quia aliàs liberum arbitrium non parum posset sine auxilio gratiæ ad vitam æternam, si posset initium, quod moraliter conduceret mediatè ad illam.

Secundò, quia si auxilium gratiæ præpararetur, & daretur ex operibus solius arbitrij, tale auxilium nō esset perfecta gratia, quod de primo auxilio dicere est absurdum: consequentia conditionalis probatur, quia quod confertur ob opera animo tribuendi pro eis, non omnino gratis, & liberaliter confertur; gratia autem quæ

non confertur omnino gratis, & liberaliter non est omnino, seu perfecta gratia, hac ratione sæpè vtitur Paulus, præsertim ad Roman. 11. illis verbis: *Si autem gratia iam non ex operibus*, & eadem ratione vtuntur Augustin. Fulgen. Prosper. Petrus Diaconus, Isidorus, Anselmus, Gregorius, & Concilium Arausicanum secundum, vt videri potest apud Vazquez disp. 91. cap. 13. & apud Suar. lib. 2. capit. 6. n. 29.

Hæc autem secunda ratio, non solùm probat auxilium, non fore perfectã gratiam si detur ob opera, tãquam ob merita de condigno, vt Pelag. asserebat dari; sed etiam vt aduertunt Vaz. & Suar. quãuis ob ea solum detur, tanquam ob merita de congruo: imò etiam, vt aduertit Vazq. quanuis solum detur ob ea opera, tanquam ob occasionem, seu dispositionem moralem, aliàs dicti Patres nihil probarent contra Masilienses, qui expressè fatebantur initium ex nobis ad gratiam, non esse condignum gratiæ. vt vidimus: imò non esse amplius, quam occasionem, aut ansulam, aut colorem, prout distinctam à merito de condigno nullatenus distinguentes inter meritum de cõgruo, & inter dispositionem, seu occasionem, vt re vera non distinguuntur, & ita ipsi quatenus ex nobis admittunt occasionem, aut ansulam (intelligentes moralem) ad gratiam, absolutè, & absque vlla distinctione, & limitatione damnati sunt.

Et sanè hæc ratio secunda à nobis facta, eodem modo currit in merito de cõgruo, & in occasione, seu dispositione, vt etiam destruat rationẽ gratiæ perfectæ, ac in merito de cõdigno; quia eo ipso quod aliquid cõfertur ob meritum, quãtunuis solum de cõgruo, nõ cõfertur ex misericordia, & ex liberalitate animo omnino gratuito, seu liberali; sed ex gratitudine animo videlicet retribuendi, & remunerandi: & etiam eo ipso, quòd aliquid confertur ob opera, tamquam ob dispositionem, seu occasionem, non confertur animo omnino liberali; quia occasio, seu dispositio in præsenti materia, vel non distinguitur à merito de congruo, vel licet distinguatur, ob eas tamen non aliter præpararetur, & conferretur auxilium gratiæ, quam ob obsequia Deo grata, & accepta, vt Deus tamquam gratus obsequijs sibi factis pro eis retribueret, & remuneraret; quia nullo alio modo ea opera possunt dici occasio, aut dispositio, nisi, quia sint obsequia Deo facta; eo autem ipso quod aliquid confertur intuitu obsequij, aut beneficij accepti, non confertur omnino gratis, seu liberaliter, ita vt talis collatio, sit perfectè, & omnino gratuita, procedens ex liberalitate, aut ex misericordia ex qua procedit collatio doni, quòd est perfecta gratia, iuxta illud ad Romanos 9. *Non est volentis, nec currentis; sed miserentis est,*

est Dei, sed tantum sit collatio antidoralis, & remuneratoria, procedens ex gratitudine.

Ex quibus deducimus, quod si ex proprijs viribus absque auxilio gratiæ possemus efficere opera bona, seu honesta, quanuis solum moraliter bona, auxilium, vel beneficium intuitu illorum datum nō esset perfecta gratia, & ipsius præparatio, & collatio non esset omnino gratuita, & liberalis; quia eo ipso fieret ob obsequia Deo grata & accepta; quia quodcumque opus bonum, seu honestum est obsequium Deo gratum & acceptum; quia quolibet opere honesto Deo obsequimur, & seruimus, & eo ipso proprijs viribus efficeremus aliquid quo impetraremus dona, & ab eis auferremus rationem perfectę gratiæ.

Vnde quidquid Suarez cap. 6. num. 17. affirmat, existimamus totam hanc difficultatem contra Massilienses ad id solum reuocari, an ex solis viribus liberi arbitrij absq; auxilio gratiæ fieri possit opus aliquod bonum seu honestum, quanuis solum moraliter bonū; quia eo ipso quod sit bonū quāuis solum moraliter, existimamus esse meritum de congruo, aut dispositionem moralem tamquam seruitium, seu obsequium Deo gratum intuitu, cuius Deus tamquam gratus possit retribuere, & retribuat auxilia gratiæ, etiam supernaturalia quoad substantiam, quo inchoemus iustificationem nostram, & ideò existimamus Massilienses ex eo solum esse impugnandos, quod nullum opus, aut desiderium, quāuis solum moraliter bonum possit fieri sine peculiari auxilio gratiæ non debito, seu superaddito dono creationis, & ex eo solum eos impugnat Concilium Arausicanum secundùm, & ad hoc solū contra eos adducit testimonia Scripturæ, in quibus dicitur ea opera quibus Massilienses subiungunt gratiam Dei esse donum Dei, vt constat ex canone 3. vbi dicitur eum contradicere Isaiæ, & Apostolo, qui dixerit ad inuocationem humanam gratiam Dei conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, & ex canone 4. vbi ex eo damnat eum, qui dicit Deum expectare voluntates nostras; quia Deus dat velle, & ad hoc propositum adducit illud prouerb. 19. præparatur voluntas à Domino, & illud ad Philippenses 2 qui operatur in nobis velle, & canone 5. non aliter procedit contra Massilienses, dicentes fidem & affectū credendi esse initium ex nobis ad iustificationem, nisi probando fidem & affectum fidei esse donum Dei: & canone 6. vbi dicitur, quod contra dicit Apostolo dicenti, quid habes quod nō accepisti, is qui humiliati, aut obedientiæ humanę subiungit gratię adiutorium, nō consentiens obedientiam, & humilitatem esse donum Dei.

Nec obstat, quod canone 6. contra Massilienses diffinitur, ne-

cessarium esse auxilium gratię ad desiderandum, orādum, & pulsandūm sicut oportet; quia Concilium non addit illam particulam *sicut oportet*, vt significet nō esse necessarium auxilium, vt prædicta opera bona absolutè fiant, & in eo non errasse Masilien & solum esse necessarium, vt fiat eo modo quo oportet, vt sit initium iustificationis (& in eo solum errasse Masilienses) quia ad id non addidit illam particulam, vt ex historia constare potest, sed solùm eam addidit, vt damnaret Masilienses, qui dicebant nos posse ex proprijs viribus desiderare orare, &c. Vt oportet ad impetrandam gratiam iustificationis, ideſt, auxilium, quoad iustificationem promouemur: quia re ipsa ea opera, non possumus ex proprijs viribus efficere bene, & honestè, quòd requiritur, vt medijs eis impetremus à Deo auxilium gratiæ adhuc media oratione; quia Deus non flectitur oratione, nisi tanquam obsequio sibi grato ad differentiam hominum, qui nō flectuntur orationibus, tanquam obsequijs; quia oratione nō fit ipsis obsequium, sed solum tanquam propositione, aut expressione miseriæ eius, pro quo fit oratio, & ideò Deus quādo orāti cōcedit aliquid dicitur illud ex gratitudine retribuere, homo verò ex misericordia aut ex liberalitate.

Existimamus ergo nullum opus bonum, quamuis solum moraliter bonum posse fieri absque auxilio gratię, superaddito gratiæ creationis; & id esse necessarium, vt prædestinationis, & collationis gratię nulla ex nobis detur causa, & initium; quia quodcumq; opus bonum, quantumuis solum moraliter, vt potè obsequium, & seruitium Deo gratum, & placens est sufficiens, vt tanquam causa moralis inducat Deum ad retribuendum, & remunerandum gratia sua, vt aduertit Vazq. disp. 91. c. 4. & consequenter, vt sit occasio gratiæ; quia occasio ea dicitur ex qua quis ad aliquid inducitur: nec quia id nos asserimus timendum est nos inclinari in errorem Masilienſum, vt Suarez cap. 19. timet, quia ab eo errore magis discedimus quam ipse; quia opera moraliter bona existimat fieri posse absque auxilio gratiæ, & ex eo existimat se eum errorem sufficienter fugere; quia ea opera tantum moraliter bona, nō sunt proportionata auxilijs supernaturalibus, quæ sola nomine gratiæ actualis significari existimat, & nō ea auxilia, quæ solum sunt ordinis naturalis, secundū substantiam qualia nos ponimus ad opera moraliter bona, quasi Concil. Arausic. secundum & Patres errorem Masilienſiū impugnassent ex eo, quòd opera, quæ illi assignāt pro initio nō essent proportionata adgratiā; quia ex eo non impugnat eum errorem, sed ex eo, quòd nonpossunt fieri sine gratia, quo nos eum errorem impugnamus cōformiter ad Concilia, & Patres; quæcunq; enim opera bona, quantumuis solum

mo-

moraliter bona sunt materia proportionata, congrua, & decens; vt proeis Deus quasi gratus possit retribuere gratiam, etiam supernaturalem, & ex eo dicuntur merita de congruo illius.

Quòd autem opera bona, quanuis solum moraliter nō possint fieri absque auxilio gratiæ Deo dante dicem. tract. de gratia, & erudite docet Vazq. disp 91. & Latius 1. 2. disp. 190. quòd sæpè Scriptura clamat dicens, nos nihil sine Deo facere posse, & nō esse sufficiētes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficiētiam nostram ex Deo esse: & idem docet Concil. Arausi. 2. Canon. 9. dicens quoties bona agimus Deū in nobis atq; nobiscum, vt operemur operari, & Canon. 22. neminē de suo habere, nisi mendatium, & peccatum.

Et id ratione à priori probatur, quam adducit Vazq. disp. 91. c. 14. & 1. 2. disp. 189. c. 15. & disp. 190. c. 12. quia scilicet homo, quanuis liber, & indifferēs, sit ad bonum, & ad malum, in neutrum tamē moueri potest, nisi eius voluntas ducatur, & præueniatur cogitatione boni, aut mali; quia est potentia cœca, sed homo nō habet in sua potestate præueniri, seu excitari cogitatione boni, aut mali: quia ex vi suę creationis nō magis inclinatur, seu destinatur in cogitationē boni, quam in cogitationem mali, nec ad id in se habet aliquam liberam, nec naturalem facultatem: ergo quoties cogitatione boni à Deo excitatur, fit ei peculiare beneficium ipsi nō debitum ex vi suæ creationis, sed ei superadditū, sēd quoties cogitatione boni excitatur immediatè à Deo, vel ab ipso solo, vel ab ipso, & simul à causa secūda, excitatio etiam ea, quæ simul fit à causa secūda referēda est in Deū, tū, quia ipse etiam ad eam immediatè cooperatur, tum etiam, quia excitatio, quę fit à Deo, & simul à causa secūda, prouenit ex prouidentia Dei, qua ita ordinauit, & disposuit causas secūdas ad excitandam eā cogitationem, vt potuerit eas aliter ordinare, & disponere absq; iniuria, aut violentia aliqua nostræ volūtati illata, eiusq; natura, & libertate illæsa: ergo semper quod bene operatur, quanuis solum moraliter, præuenitur à Deo peculiari beneficio, & gratia, imò per Christum, quia ipse est, qui suis meritis nobis impetrat à Deo auxilia quibus egemus ad bene operandum, nihilominus in excitatione ad malum, qua ad illud allicimur quāuis à Deo proueniat, nullā agnoscimus gratiam, & beneficium, quia gratiam, & beneficium solum agnoscimus ad bonum, & non ad malum.

Concludimus ergo prædestinationis, quoad omnes eius effectus nullam in prædestinato ex solis viribus liberi arbitrij dari causam moralem, nullum videlicet initium morale, nullam dispositionem moralem, ideſt, nullum meritum, vt docent S. Thom ar. 5. Marsil. in 1. q. 4. ar. 2. Greg. q. 1. Vazq. disp. 91. c. 11. & cōmun. Theol. exceptis

pancis, qui vt aduertit Suarez capit. 7. non satis perspectum habentes errorem Massilienſium, non dubitarunt ex solis viribus liberi arbitrij admittere dispositionem ad collationē gratiæ, ac proinde ad eius præparationem, seu prædestinationem, in quo nobis displicent; quia eo ipso admittunt ex nobis aliquid, quod conducat ad collationem gratiæ, quia admittunt dispositionem; dispositio autē si verè est dispositio, aliquo modo conducit ad formam ad quam est dispositio.

Et ob eamdèm rationem non minus displicent alij Theologi, qui axioma *illud facienti, quod in se est, Deus nō denegat gratiam, & necessaria ad salutem*, intelligunt esse verum etiam de operante & faciente quod in se est, ex solis viribus naturæ: ita illud intelligunt Driedo opusculo de concordia lib. arbitrij, & prædestinationis, 2. p. cap. vlt. Ruardus ar. 7. & alij: displicent autem, quia eo ipso admittunt opus bonum ex viribus naturæ quo Deus inducatur, vt suam gratiam cōferat; imò magis displicent, quam aliqui ex supra relatis, quatenus denotant intuitu illius Deum suam gratiam infallibiliter conferre.

Prædictum ergo axioma vt verum sit, intelligendum est de operante & faciente, quod in se est, ex auxilio gratiæ; quia scilicet, huic Deus intuitu bonorum operum, quanuis solum moralium, quæ fecit ex auxilio gratiæ, conferat vlteriora & copiosiora auxilia: quod ita intelligunt S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & q. 112. art. 2. & 3. Bonauentura in 2. dist. 28. ar. 2. q. 1. ad 3. Vazq. disput. 91. cap. 10. & alij: ei autem adulto, qui non peccauit mortaliter (quod fieri nequit sine auxilio gratiæ, saltem externæ protectionis, iuxta illud August. 2. Confessionum cap. 7. gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala) Deus infallibiliter confert auxilia gratiæ, saltem externæ protectionis, quibus perueniat ad gloriam, vt aduertit Vazq disp 91. cap. 10. & alij quia ex diuina ordinatione nullus adultus, seu rationis cōpos, moriturus est, nisi iustus, aut in peccato mortali, siue ea auxilia conferat pro sola sua liberali voluntate, siue intuitu aliquorum operum, quæ ex auxilio gratię internę inspirationis fecerit.

Respondeamus iam fundamentis pro errore Massiliēsium adductis. Et ad primùm desumptum ex parabola illa Matth 25. Hominis qui distribuit bona seruis suis, vnicuique iuxta propriam virtutem, vel respondendum est cum S. Thoma 2. 2. q. 24. ar. 3. ad primū, per propriam virtutem non significari dispositionem ex solis viribus naturæ; sed dispositionem etiam ex auxilio gratię proueniente, iuxta quam fit distributio gratię sanctificantis, quàm S. Thomas ait significari nomine bonorum distributorum: vel respondendum est,

illam

illam particulam, *iuxta propriam virtutem*, non poni in ea parabola, vt per eam aliquid ſpeciale ſignificetur; ſed vt perfectè narretur parabola, ex qua Chriſtus nihil aliud intendit oſtendere, niſi quod ſicut Domini temporalis exiguunt rationem bonorum, quæ diſtribuunt, ita etiam Deus requiſiturus eſt rationem gratiarum, quas nobis cõfert: non enim omnia quæ in parabolis adducuntur, ad aliquid ſpecialiter ſignificandum adducuntur.

¶ Ad ſecũdũ deſumptũ, ex illo Pauli ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri Imagini filij ſui*. Reſpondemus, per præſcientiã nõ intelligi ſcientiã boni vſus ſolius liberi arbitrij, quæ præcedat prædeſtinationẽ; ſed vel præſcientiam approbationis, ad quam cum effectu pro libertate Dei, ſequitur prędeſtinatio (vt diximus tractat. de ſcientia Dei diſp. 5. dif. 2.) iuxta illud ad Romanos 18. *non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit*, vt vult Auguſtinus de bono perſeuerantię cap. 18. vel intelligi ſcientiam, vel qua Deus præuidit, quòd prædeſtinauit, quæ poſterior eſt ipſa prædeſtinatione, & ſenſus ſit, quos præſciuit conformes, fieri imagini Filij ſui, & ad hoc eos prædeſtinauit, id eſt, ita affuerunt præſciti, vt etiam fuerint prædeſtinati, ad differentiam eorum, qui præſciuntur à Deo, & non prædeſtinantur, qualia ſunt peccata: vel intelligi ſcientiam viſionis ſanctitatis prædeſtinatorũ, quę præcedit ad langores, & paſsiones, quibus conformes fiunt Filio Dei, ita vt ſenſus ſit, *quos* Deus præſciuit, ſeu præuidit ſanctos, & ſibi fore amicos, eos prædeſtinauit, vt laboribus, & paſsionibus fierent conformes Chriſto.

Ad tertium deſumptum ex Paulo 1. ad Timot. 1. omiſsis alijs ſolutionibus, reſpondemus, vt inſinuat Vazq. cap. 18. cõcedendo carentiam maioris peccati, quod eſſet ſi ſcienter fieret, fuiſſe in Paulo initium ſuę conuerſionis ad Chriſtum, non poſitiue & per ſe inducens Deum ad conuertendum Paulum, ſed fuit initium per accidẽs, & remouet impedimentum; quia fuit carentia exceſſus peccati, qui ſi poneretur, Deus non conferret Paulo vocationem, & alia auxilia quibus peruenirẽt ad Eccleſiam: quod non fauet Maſsilienſibus, qui conſtituebant initium per ſe intuitu, cuius Deus conferret gratiam ſuam: præſertim, quia illa carentia maioris peccati fuit ex gratia externę protectionis priore, quã fuit prima vocatio, & prior effectus prædeſtinationis Pauli, quàm prima vocatio, non poſitiuus, & per ſe conducens poſitiuè, & per ſe ad primam vocationem, & ad alios effectus prædeſtinationis Pauli; ſed negatiuè, & per accidens; quia ſolum fuit conducens non impediendo, & ob id nõ aufert à prima vocatione rationem perfectam gratię.

Deinde reſpondeamus ad fundamenta ex Patribus deſumpta, &

adi

ad prius desumptum ex Aug. libr. 83. q. 68. Respõdemus in eo loco Aug non loqui de prima misericordia seu primo effectu prędestinationis, sed de gratia remissionis peccatorum quæ datur post pœnitẽtiam peccatorum, vt ipse se explicuit lib. 1. retractionum c. 26 quam ait dari ex occultissimis meritis, de congruo tamẽ, & ex auxilio gratiæ procedẽtibus: & ad posterius ex Bernardo respondemus, minus illum, & modicum, quod Deus ad emundationem à culpa actuali exigit ab adultis, itaut nõ patiatur reseruari, idest, ab eis nõ exhiberi, esse cooperationem nostram, nõ verò aliquid quod ex solis viribus naturæ prędat auxilium gratiæ Dei.

Tandem rationibus satisfaciamus, & ad primam respõdemus ex eo, quòd auxilium, quo voluntas eget ad operãdum, præueniri non sit in nostra potestate, tantum inferri quod ante auxiliũ, seu absq; eo nõ sit in nostra potestate bene operari, nõ tamen inferri quod eo iã posito, & collato nõ sit in nostra potestate; quia eo semel collato voluntas pro libito potest operari, & non operari: Vnde ad rationem in forma concesso antecedente distinguendum est consequens dicta distinctione.

Ad sciendum respõdemus in primis, vnũ nõ frustra postulare pro altero primam vocationem, & gratiam; quia re vera vnus solet eam alteri impetrare oratione, nõ tamẽ purè humana, sed oratione bona procedente ex auxilio gratię. Deinde respõdemus nullam posse oratione aliqua sibi obtinere primam gratiam; quia si oratio est bona, procedit ex ipso auxilio gratiæ, quòd ad ipsam orationem præcedit, & cõsequenter frustra fieri ad primam gratiam obtinendam: nec frustra fit exhortatio ad bona opera, quanuis auxilium ad ea necessariũ, non subsit potestati eius cui fit exhortatio, vel quia sępè ante exhortationem præsupponitur eo auxilio præuẽtus, vel quia saltem exhortatione ipsa excitatur vocatio, seu auxilium.

Ad tertiam respondemus, quòd quanuis Deus pro sola sua liberta te nulla expectata causa, aut initio ex parte hominum, vni præpararet gratiam, & non alteri, & vni maiorem, & alteri minorem, nullũ in Deo est vitiũ acceptionis personarum, quia istud nõ reperitur in præparatione, & distributione, quæ fit absq; debito iustitiæ, & multo minus in ea, quæ fit omnino liberaliter, qualis est pręparatio, & distributio primæ vocationis & gratiæ.

Ad quartam respõdent, nõnulli ex doct. Duran in 1. d. 28 q. 5. concedẽdo antecedẽs, & negando cõsequentiam; quia quãuis opera moraliter bona fiãt ex solis viribus liberi arbitrij & sint moralis causæ primæ vocationis, & gratiæ, nõ tamen sunt causa moralis prædestinationis, quia ipsa opera moralia sunt effectus prędestinationis, & ita

non

non poſſunt eſſe cauſa totius prædeſtinationis, hęc tamẽ ſolutio nõ placet primò, quia iam admittit ex parte noſtra cauſam, & initium collationis gratiæ, & prædeſtinationis ad eam, quo ſolo Maſilienſes erant cõtenti: ſecundò non placet; quia ſi opera moralia non fiunt ex gratia, nequeunt eſſe effectus prædeſtinationis, quia prædeſtinatio nihil aliud eſt quam gratiæ pręparatio, vt conſtat ex Aug. & excommuni Theologorum applauſu.

Deinde reſpondent alij concedẽdo opera moraliter bona fieri ex ſolis viribus liberi arbitrij, negãdo tamẽ eſſe diſpoſitionem impetratoriam gratiæ, niſi fiant ex motiuo ſupernaturali ex quo aliquo modo eleuẽtur ad ordinem ſupernaturalem, vt fiãt proportionata gratiæ, quã eſſe ſupernaturalem exiſtimãt, & ita poſſint ad eam diſponere: hęc tamen reſpõſio non minus diſplicet, quã pręcedens: primò, quia cõcedunt opera moraliter bona abſq; motiuo aliquo ſupernaturali facta, nõ procedere ex auxilio gratię, cuius oppoſitũ probauimus, & deduximus ex Concil. Arauſic. 2. can. 3. & 6. vbi cõtra Maſilienſ. definitur ad inuocationem humanam, & ad humilitatẽ, & obedientiam humanam neceſſariam eſſe gratiam: ſecũdò diſplicet; quia negat opera moraliter bona abſq; motiuo ſupernaturali facta eſſe impetratoria auxiliorum gratię ſupernaturalium, quoad ſubſtantiam; quia re vera ſic abſq; eo motiuo facta, ſunt obſequia, & ſeruitia Deo grata, & placẽtia: ergo ſunt capacia, vt Deus quaſi gratus intuitu illorũ poſſit auxilia ſuę gratię, quãtũuis ſupernaturalia retribuere: imò pluribus operibus virtutis moralis, abſq; diſtinctione, & limitatione aliqua promittitur auxilium gratiæ, vt miſericordiæ; & ælemoſinæ Tobię 4. & 12. & ſępè alibi, & remiſſioni iniuriarũ Mat. & Luc. 6. & Marci 11. quòd latè cõfirmat Vaz. diſp. 91. c. 16. quòd autem opera moraliter bona nõ ſint ſupernaturalia ex motiuo, nõ impedit quin impetrent, & diſponant ad auxilia gratiæ, etiã ſupernaturalia; quia eo ipſo quod ſunt bona, & ſeruitia Deo grata, quãuis ſint inferioris ordinis, eo ipſo ſunt ad id proportionata; quia eo ipſo ſunt materia gratitudinis, in retributione enim pro obſequijs, & ſeruitijs quãuis ſit inęqualis, & maior, quam obſequia verè reperitur gratitudo, & non perfecta liberalitas.

Reſpõdendum ergo eſt ad quartam rationem cõcedẽdo opera moraliter bona eſſe cauſam moralem, & meritoriam auxiliorũ gratię, nõ tamen primi auxilij; quia ipſa quanuis non excedant vires phyſicas liberi arbitrij, id eſt, non ſint ſuperioris ordinis, procedunt ex auxilio gratię priore; quia homo ex ſe ipſo, nequit ad ea opera excitari abſque peculiari prouidentia, non debita naturæ ipſius.

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm prædestinatio sit in potestate prædestinati?

SVpponimus, prædestinationem adultorum quo ad posteriores effectus, nempè quo ad cooperationem qua vocationi cooperantur, & respondent, & quoad iustificationem, & quo ad perseuerãtiã in ea, esse in potestate prædestinatorũ; quia eo auxilio præuenti sunt causa libera, & per se eorum effectuum.

Hoc supposito, difficultas est, an prædestinatio quo ad primam vocationem (quę est primus effectus prędestinationis) sit in potestate, seu libertate prædestinati; quia quo ad omnes alios iam constat esse in potestate illius.

Circa hanc difficultatem Theologi, qui existimant ex parte prædestinati dari causam moralẽ totius prędestinationis, consequenter docent totam prędestinationem, seu quoad omnes eius effectus esse in potestate illius. Quod significari videtur, 2. Petri 1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationẽ & electionem faciatis*: quia his verbis satis significatur in potestate prædestinati esse certam facere suam prædestinationem. Et ratione videtur probari. Primò, quia prima vocatio ex eo est effectus prædestinationis, quia est certa, seu quia habet effectum; quia quæ nõ est certa, seu quæ non habet effectum, non est prędestinationis effectus, vt patet, sed in nostra potestate est, quod vocatio etiã prima sit certa, & effectum habeat, vt constat ex verbis Petri relatis, & etiam ex ratione, quia voluntas nostra pro libito potest cuicumque vocationi resistere, & non respondere: ergo in potestate prædestinati etiam est primus effectus prędestinationis. Secundò probatur, quia perseuerantia, quę cum tota prędestinatione reciprocatur, & conuertitur, est in nostra potestate: ergo etiam tota prędestinatio.

Vazq. verò disp. 92. cap. 2. Ruizius disp. 25. Fasolus ar. 2. dub. 2. Mœratius disp. 38. section. 7. Alarcon disp. 5. cap. 7. & communiter Theologi docent, prędestinationem quoad primum effectum non esse in potestate prędestinati, & consequenter nec totam prędestinationem, seu quoad omnes eius effectus. Et merito, quia id tãtum est in potestate prędestinati, quod fieri potest suo libero consensu; prima autem vocatio, quæ est primus effectus prędestinationis, fit in prędestinato ante omnem suum liberum consensum; quia vt postea dicemus, eam Deus in nobis sine nobis liberè operantibus, ope-

ratur (& ex eo gratia operãs) ergo prædeſtinatio, quo ad eius primũ effectum, non eſt in poteſtate, ſeu libertate prædeſtinati.

Ad priorem ergo rationem aduerſariorũ cõcedimus, quòd ea ſola vocatio quæ ſit certa, & effectum habet, ſit effectus prædeſtinationis; & nõ illa, quę caret effectu, ea tamẽ quæ effectũ habet, nõ tãtũ eſt effectus prędeſtinationis, quatenus habet effectum (qua ratione dicitur gratia cooperãs) ſed etiam quatenus eſt prędeſtinationis ipſum effectũ, ſeu cooperationem (qua ratione dicitur gratia operãs) quia etiam quatenus præueniens procedit à Deo, ex deſiderio gloriæ prædeſtinati, & ad eam radicaliter, ſeu initiatiuè cõducit, vt ſtatim dicemus: imò quatenus eſt præueniẽs, eſt primus effectus, & quatenus cooperãs eſt ſecũdus, & ideò prædeſtinatio, quoad primum effectum, non eſt in poteſtate prædeſtinati; quia vt præueniens præuenit noſtrã libertatem, & cõſenſum, quanuis quatenus cooperãs eſt, & habet effectum ſit in noſtra poteſtate; quia cum ipſa vocatione ſumus nõ ſolũ conditio; ſed etiam vera cauſa phyſica libera cõſenſus; quia cum ipſa vocatione, vt cooperãte operamur conſenſum: & id ſolum ſignificat Paulus, ſignificans in poteſtate prædeſtinati eſſe facere certa ſuã vocationẽ; prædeſtinatio ergo quoad primum effectum, non eſt in noſtra poteſtate; ſed ſolum quoad reliquos.

Et ad poſteriorem cõcedimus antecedens, nempè perſeuerantiã, quæ conuertitur cum prædeſtinatione eſſe in noſtra poteſtate, negamus tamẽ ex eo inferri prædeſtinationẽ eſſe in noſtra poteſtate; quia perſeuerantia cum qua prædeſtinatio cõuertitur, nõ eſt abſolutè in noſtra poteſtate; ſed ex ſuppoſitione eius, quod non eſt in noſtra poteſtate, nempè ex ſuppoſitione vocationis, quæ ex prędeſtinatione ſupponitur ad perſeuerãtiam, & ideò quanuis ſuppoſita vocatione, ſit in noſtra poteſtate perſeuerare, non eſt in noſtra poteſtate prædeſtinari; quia prædeſtinatio etiam includit vocationem, quæ non eſt in noſtra poteſtate, & quàm ſupponit perſeuerantia, eſſet tamẽ prędeſtinatio in noſtra poteſtate, ſi perſeuerantia, & quæ ad eam prærequirũtur eſſent in noſtra poteſtate; quia tunc aliquid eſt in noſtra poteſtate, quando aliud cum quo reciprocatur, eſt abſolutè in noſtra poteſtate, & nõ ex ſuppoſitione alicuius, quòd non eſt in noſtra poteſtate, ſicut quanuis in poteſtate hominis, ſit ſuppoſitis materia prima, & anima rationalis vnire animam cum materia, quòd conuertitur cum homine; non tamen eſt in poteſtate illius homo ſecundum totũ ſuũ eſſe ſimpliciter; quia non eſt in poteſtate illius facere materiam, & animam; ſed an in poteſtate reprobi, ſit non prædeſtinari dicem. diſp. 5. dif. 7.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ex partè Christi Domini detur causa moralis nostræ prædestinationis, & electionis.

POstquam vidimus ex parte prædestinati, nullam dari causam moralem suæ prædestinationis, & electionis, superest examinandum an detur ex parte aliorum, præsertim ex parte Christi Domini, quod est idem ac quærere, an opera aliorump, præsertim Christi, fuerint causa meritoria nostræ prædestinationis, & electionis, seu quod idem est, an prædestinatio, & electio nostra facta fuerit ex meritis aliorū, præsertim Christi.

Supponendum est, prædestinationem, quæ est formaliter dilectio, qua Deus prædestinatis vult efficaciter ea quibus infallibiliter saluātur, in eo differre ab electione, quod prædestinatio, seu dilectio est amor efficax, quo Deus vult prædestinato absque respectu aliquo ad alios qui non saluātur, ea quibus infallibiliter saluatur: electio verò est amor, quo prædestinatus præ alijs diligitur ad illa bona: vnde amor qui est electio sic versatur circa prædestinatum, vt etiam connotet respectū ad alios qui non diliguntur, ita vt eo amore prædestinatus secernatur, seu separetur ab alijs: electio autem est duplex vna comparatiua, qua, scilicet, vnus relictis alijs assumitur determinatè ad aliquid peculiariter pertinens ad assumptum, & non pertinens ad alios relictos; & altera est absoluta, qua, scilicet, vnus assumitur alijs relictis, & non ob aliquid pertinens ad assumptum. Vnde duæ istę electiones, nō tam distinguntur ex parte obiecti, quàm ex parte motiui, aut ex parte alterius rationis.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. Franciscus Somnius lib. 2. demonstrationis Euangelicę tract. 3 cap. 19. & Adamus in cap. 1. epistol. ad Ephes. docent prædestinationem nostrā non fuisse factam ex meritis Christi, & multo minus electionem. Probari autem potest. Primò, quia quod est temporale, & creatum, non potest esse causa æterni, & increati; sed meritum Christi fuit temporale, & creatum; prædestinatio autem nostra est ęterna, & increata: ergo meritum Christi non potuit esse causa moralis nostræ prædestinationis. Secundò, quia meritum Christi nō potest esse causa totius effectus prædestinationis nostræ: ergo nec potest esse causa nostrę prædestinationis: antecedens probatur, quia meritū Christi est effe-

ctus

ſtus noſtræ prædeſtinationis; quia fuit à Deo ordinatum ex deſiderio gloriæ prædeſtinatorum, & ad eius adeptionem conducit.

Suarez lib. 2. cap. 24. docet merita Chriſti fuiſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, ſeu dilectionis, non verò noſtræ electionis, vt à dilectione diſtinguitur: & non ſolùm non fuiſſe cauſam electionis comparatiuæ, qua iſti potius quam illi diliguntur; ſed nec electionis abſolutæ, qua prædeſtinati verè dicuntur electi. Prima pars, nempè merita Chriſti fuiſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, ſeu dilectionis, quæ etiam nobis placet, ſtatim probabitur.

Secunda pars, nempè merita Chriſti non fuiſſe cauſam electionis comparatiuæ, ſeu non fuiſſe cauſam ob quam iſti determinatè, potius quam alij fuerint prædeſtinati (in quo conſiſtit electionē eſſe comparatiuam) probatur, quia ante prædeſtinationem noſtram meritum Chriſti non fuit præuiſum, vt applicandum vni potius quam alij: ergo non potuit eſſe cauſa moralis prædictæ electionis comparatiuæ ad perſonas: antecedēs probatur, quia quamuis Chriſtus peculiariter orauerit pro prædeſtinatis, ea tamen oratio ſupponebat prædeſtinationem horum, potius quàm illorum pro ſola Dei voluntate factam, vt ſignificatur in ea oratione, qua Chriſtus, Ioann. 17. pro prædeſtinatis orauit: *Pater ſancte ſerua eos quos dediſti mihi*, vt ſignificaret ſe pro illis ſpeciali & efficaci oratione orare; quia præuidit eſſe electos à Patre. Cui conſolare videtur illud Matth. 10. *Sedere autem ad dexteram, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

Tertia pars, nempè meritum Chriſti non fuiſſe cauſam electionis abſolutæ prædeſtinatorum, prout à dilectione diſtinguitur, ex eo probatur, quia meritum Chriſti ita fuit cauſa prædeſtinationis, ſeu dilectionis noſtræ, vt non fuerit cauſa derelictionis aliorum in maſſa perditionis; quia Chriſtus non meruit, quod non prædeſtinarentur, ſeu quod dereliquerentur, qui fuerint derelicti, ſeu non prædeſtinati: ergo ita fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis, ſeu dilectionis, quod non fuerit cauſa electionis abſolutæ; quia electio, ſeu diſcretio vt ſic reſpicit, & dicit habitudinem ad non prædeſtinationem aliorum; quia ſi omnes prædeſtinarentur, nō eſſet electio, diſcretio, & ſeparatio.

Vazq verò diſp. 94. cap. 20 Leſius de prædeſtinatione Chriſti ſect. 3. Ruizius diſp. 27. Herice diſp. 29. & Alarcon diſp. 3. cap. 5. docent, & benè merita Chriſti fuiſſe cauſam moralem noſtræ prædeſtinationis, & etiam electionis abſolutæ, qua extrahimur à maſſa perditionis, quod nos etiam diximus tractat. de Incarnat. diſput. 14. dif. 11.

Prior

Prior pars, nempè merita Christi fuisse causam moralem nostrę prędestinationis, seu dilectionis (quam etiam tenent Sanct. Thomas 3.p.q.24.ar.4.& ibi Caiet.& recentiores Thomistæ) satis significatur ad Ephes.1. *Qui prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*, vbi particula *per*, absque dubio causam meritoriam significat, vt non leuiter insinuatur sequentibus verbis, *in qua* gratificauit nos in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, vbi particula *per* nullam aliam causam, quam meritoriam significare potest.

Et ratione probatur; quia merita Christi fuerunt causa collationis omnium gratiarum, & beneficiorum, quibus prędestinati infallibiliter perducuntur in vitam æternam, & etiam collationis ipsius vitæ æternæ, vt constat ex Paulo vbi supra, dum ait: *Qui benedixit, nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.*

Quòd adeo certum est, vt oppositum nequeat subsistineri: ergo merita Christi fuerunt causa moralis decreti, seu præparationis omniũ eorum, vt sæpè intulimus; quia quòd in tempore confertur à Deo ex meritis, ex eisdem à Deo præparatur, & decernitur ob decreto, quo in tempore confertur: ergo fuerunt causa prædestinationis; quia prędestinatio nihil aliud est, quam præparatio eorum beneficiorum, & non alia, quam decretum illud quo à Deo in tempore conferuntur.

Posterior pars, nempè merita Christi fuisse causam nostræ electionis absolutæ, qua ex massa perditionis, in qua multi sunt relicti extrahimur, constat ex illo ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso* (id est in Christo) *ante mundi constitutionem*. Vbi cum Paulus vtatur nomine electionis negandum non est Christum esse causam nostræ electionis, prout à prædestinatione, seu dilectione distinguitur, & esse causam meritoriam, quæ particula *in* denotatur, vt docent communiter Patres, & ex contextu ipso deducitur; quia ibi est Sermo de Christo secundum humanitatem; quia eodem modo ibi dicimur electi in Christo, ac sanctificati, & redempti; à Christo autẽ, vt homine redẽpti sumus: ergo in ipso, vt homine electi sumus, Christo autem, vt homini cui, vt sic ibi attribuitur, quòd sit causa nostræ electionis, non debet negari causalitas meritoria, sicut nec respectu nostræ redemptionis.

Et ratione probatur ex omnibus hominibus, qui eodem modo in primo parente damnati erant, & erant habituri eamdem sententiam quidam fuerunt excommuni massa separati, vsque in finem vitæ, alijs in ea communi massa perditionis relictis; sed gratia efficax, qua fuerunt separati alijs in ea massa relictis, fuit ex me-

meritis Christi: ergo ex meritis Christi electi, & separati sunt ex communi massa perditionis, quãuis merita ipsius nõ fuerint causa, vt alij qui nõ assumuntur, nõ assumũtur, cõsequentia patet; quia vt aliquis suo merito, aut intercessione sit causa eligẽdi, & segregandi aliquẽ ex multis damnatis, nõ est necessarium, vt ille suo merito sit causa relinquẽdi alios obnoxios pœnæ, sed sufficit, quod ipsius merito ille alius segregetur, & liberetur alijs in damnatione relictis: quia aliàs nõ liberaretur, & segregaretur, nisi merito intercedẽtis: ratio huius est; quia eligere non dicit formaliter assumere vnum, & alium relinquere, itaut relictio intret formaliter in electionem, sed electio formaliter solum est assumptio vnius, præsupposita derelictione, seu non assumptione alius, vt connotato: dilectio enim, vt dicatur electio, præsupponit, & prærequirit, vt connotatum, quòd alius, vel alij relinquantur, seu non assumantur sicut actio, vt sit, & dicatur mutatio præsupponit, vt connotatum carentiam termini, ad quem in ipso subiecto actionis aliàs subiectum, non dicatur mutari: ergo sicut, vt quis dicatur causa mutationis, sufficit, quòd sit causa actionis, si aliàs præsupponatur in subiecto carentia termini ad quem, quanuis non sit causa illius carentiæ; ita etiam, vt quis sit causa electionis, sufficit, quòd sit causa assumptionis vnius, si aliàs sint alij, qui non assumantur, quanuis non sit causa non assumptionis aliorum. Cur ergo merita Christi fuerint causa, ob quam Deus à massa perditionis segregauerit prædestinatos, etiam eos qui fuerunt ante incarnationem Christi pluribus alijs in ea relictis? absque dubio dicendum est, fuisse causam electionis omnium prædestinatorum, quanuis in eius oratione, aut merito non fuisset aliquid peculiare ratione, cuius isti potius, quàm illi ex his qui sunt in massa perditionis eligantur, & segregentur ab illa; quia vt sit causa electionis eorum, sufficit, quòd merito ipsius eligantur, & segregentur quotquot à massa perditionis segregantur alijs in ea relictis, qui nõ segregarẽtur, & eligerentur, nisi merito illius; quia eo ipso, quãuis merito omnibus communi causa est, ob quam fiat segregatio, & electio sicut eodẽmodo est causa prædestinationis eorũ, qui prędestinãtur; quia merito ipsius quãuis communi omnibus, prædestinãtur, quotquot prędestinãtur, quãuis in eo merito nõ sit aliquid peculiare, respectu eorũ qui prędestinantur: erit ergo causa electionis eorũ quasi absolutæ; quia hæc electio supra prędestinationem, seu dilectionem tantũ prę supponit, vt cõnotatũ, quòd sint alij, qui non prædestinentur.

Ex eo autem quod ex parte Christi, nõ prędederet aliquid peculiare erga, eos qui fuerunt prædestinati, tantũ deduceretur, Christũ non fuisse causam dilectionis comparatiuæ, qua isti potius, quã illi deter

minando personas eligerentur ex massa perditionis; quia tunc erga omnes esset idem omnino & commune meritum Christi, & non peculiariter istis, aut illis applicatum, non tamen deduceretur, quòd non esset causa electionis absolutæ, qua qui prædestinati sunt, verè electi, & segregati sunt ab alijs, qui in communi massa perditionis permanent.

Nihilominus addimus, vt optimè Vaz. c. 3. Ruiz. sect. 7. Christum fuisse causam non solum electionis absolutæ, qua sola prædestinati, qui mortui ante incarnationem fuerūt electi, sed etiã electionis cõparatiuę prædestinatorum, qui extiterunt post incarnationem, qua isti potius quam illi, quoad personarum determinationē fuerūt prædestinati; quia ante decretum prædestinationis, qua isti fuerunt prędestinati, fuerunt præuisa merita Christi, prout specialiter applicata, & oblata pro illis, id enim credimus Christum fecisse oratione efficaci pro omnibus prædestinatis, qui extiterunt post suam incarnationem, sicut legimus fecisse pro suis discipulis, excepto Iuda Ioan. 17. *Non pro mũdo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*: subintellige ea oratione, tunc facta non orasse pro mundo; quia alijs orationibus credi potest pro omnibus orasse, non tamen fuit causa electionis comparatiuæ eorum qui mortui fuerunt ante incarnationem; quia ante decretum prędestinationis eorum, non præcesserūt merita Christi præuisa, prout specialiter applicata, seu oblata pro eis; quia non oratione aliqua per modum petitionis; quia hæc nō fit pro præteritis, nec gratiarum actione; & quia gratiarum actio pro beneficio aliquo præsupponit etiam in præscientia beneficium iam factum, vel absolutè faciendum; & ideò nō potest esse causa moralis, & meritoria illius, sed tantum finis intentus medijs ipsis beneficijs, & etiam; quia Deus nō potuit sperare à Christo, quod pro vno, qui prædestinatus est potius quam pro alio, qui non est prædestinatus, si prædestinaretur, gratias ageret; quia pro quocũq; quem electum inueniisset, idem omnino persolueret, ac proinde meritis ipsius, nequit attribui, quòd ex prædestinatis veteris testamẽti, isti potius, quã illi fuerint prædestinati. illis tamẽ attribuitur electio absoluta omniũ electorũ; quia ex meritis suis in tempore segregati sunt, ac proinde ex eisdem præuisis fuit ab æterno, ita decretum, seu pręparatum.

Ad fundamenta autem primę sententiæ, quæ nostræ totaliter opponitur, respondemus, & ad prius cõcedimus merita Christi esse creata; ex eo autem tantũ infertur, non posse esse causam ipsius actus prædestinationis, & electionis, quoad substantiam ipsius actus; quia hic vt sic est increatus non tamen infertur, non posse esse causam prædestinationis, & electionis, quoad effectus ipsius actus; quia isti effectus

ctus sunt creati; nec infertur non fuisse causam actus prædestinationis, quoad terminationem, seu accommodationē ad suos effectus; quia vt sic non est, quid increatum, imò nihil intrinsecum, & ideò possunt esse causa prædestinationis, & electionis, quoad accommodationem, quanuis, vt sic sit æterna; quia meritum non solùm causat, vt existens, sed etiam, vt ab æterno præuisum, vt absolutè futurum.

Ad posterius sunt, qui respondent meritum Christi esse effectū nostrę prędestinationis, nihilominus dicunt etiam esse, & dici causam nostræ prędestinationis; quia est causa omnium effectuum prædestinationis, qui sunt in ipso prædestinato. Hęc tamē respōsio, quoad modum loquendi displicet. Primò, quia meritum Christi appellat effectum nostræ prędestinationis, quod est contra Aug. Ep. 105. & contra Fulgentium libr. 1. ad Monimum c. 11. & contra alios Patres, qui existimant prædestinationem nostram incipere à prima vocatione, & videtur esse contra Paulum ad Rom. 8. Vbi enumerans effectus prædestinationis incipit à vocatione. *Quos prædestinauit hos & vocauit.*

Secundò, quia si meritum Christi esset effectus nostrę prędestinationis, non posset dici absolutè causa illius (vt in scripturadicitur) quia quod non est causa totius effectus prędestinationis, nequitdici absolutè causa illius.

Respondemus ergo meritum Christi non esse, nec dici effectum nostræ prędestinationis; quia quāuis fuerit à Deo ordinatū, ex desiderio glorificationis nostræ, non tamen cōducit ad adeptionē gloriæ, vt quid nobis intrinsecum, quo proprie dicamur perduci in vitā æternam, sicut perducimur vocatione, & alijs nobis intrinsecis; quia tamen conducit tanquam quid extrinsecum, & antecedēs ad ea, quibus proprie perducimur, & tantum cōducit remotè medio, scilicet decreto Dei, ideò dicitur causa nostræ prædestinationis ad differentiam prædicationis, & miraculi, & repræhensionis, & aliorum extrinsecorum, quæ quanuis physicè sint extrinseca, possunt dici effectus prædestinationis; quia eis proximè excitatur in nobis vocatio, & ideò ad vocationem, tanquam vnum moraliter cum ea reducuntur, id enim solum, quod vel formaliter, vel efficiēter proximè pertinet ad nostram salutem, dicitur nostra prædestinatione præparari, & esse effectum illius.

Et ob eamdem rationem orationes prędestim Iustorum, & Beatorum, quibus de congruo impetrant alijs primam vocationem, & alios effectus (vt creditur de oratione Stephani respectu Pauli) non sunt effectus prędestinationis, sed causa prædestinationis

illorum, vel totalem, vel partialem pro numero effectuum intrinsecorum, quos eis impetrauerint: non enim dicuntur effectus; quia nec formaliter, nec efficienter proximè pertinent ad salutem eorum, quibus sunt impetratoria: Dicuntur autem causa illius; quia sunt causa moralis, & consequenter remota alicuius, aut omnium eorum in quibus, vel formaliter, vel proximè continetur salus aliorum. Vnus ergo purus homo, etiam potest esse causa moralis, & meritoria prædestinationis alterius, vt aduertunt Mœratius disput. 98. & Alarcon disput. 3. capit. 6 & credi potest etiam de facto fuisse: Imò credimus Beatam Virginem suis meritis de congruo, de facto fuisse causam prædestinationis omniũ prædestinatorum, sicut Christus suis meritis de condigno, & infiniti valoris.

Ad fundamenta autem 2. sententiæ Respondemus, & ad primum addu ctum pro priori parte ad probandum meritum Christi, nõ fuisse causam electionis comparatiuè, quia isti potius, quã illi prædestinati sũt, in quo nobis aduersatur, quoad prædestinatos, qui exciterunt post incarnationem.

Respondemus negando meritum Christi, non fuisse pro eis specialiter oblatum, & vt tale præuisum, vt vidimus, & ad probationẽ negamus, illam peculiarem orationem Christi pro illis supponere electionem comparatiuam, ex sola voluntate Dei, factam absque oratione Christi, vnde non ideò Christus pro eis orauit: quia eos præuidit electos à Patre, sed è contra, in quo voluntas diuina se accõmodauit & acquieuit voluntati Christi, in quo nullam imperfectionem tribuimus diuinæ voluntati; quia ipsa expectare voluit merita, & orationem humanitatis Christi: Nec oppositum significatur illis verbis, Ioan. 17. *Quos dedisti mihi*; sed solum prædestinationem, & electionem eorum factam fuisse à Deo quamuis media oratione, & meritis Christi dicimur autem sorte vocati; quia absque meritis nostris, & quasi sorte Christus pro nobis specialiter orauit nec aduersatur illud Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis*: Quia non est sensus, non est meum dare vobis dexteram; quia ipse Lucæ 22. dixit: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis, & bibatis supra mensam meam in Regno meo*: Sed sensus est, non est meum dare vobis dexteram iure cognationis, quo eam petitis; sed quibus præparata est à Patre meo.

Ad posterius fundamẽtum pro parte posteriore respondemus, quod etiam si Christus non fuerit causa non prædestinationis reprobõrũ, nihilominus dicitur causa electionis absolutæ prædestinatorũ; quia

quia fuit causa, ob quam prædestinati sunt, quotquot sunt prædestinati alijs relictis; quia ad electionem absolutam sufficit fuisse causam prædestinationis eorum, qui fuerunt prædestinati, præsuppositis alijs qui non prædestinentur ob rationem dictam.

DISPVTATIO QVINTA.

De reprobatione.

CIrca hanc disputationem agendum est de natura, & de effectibus & de causis reprobationis.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Qui actus interueniant in reprobatione?

VT à nomine ipso exordiamur, reprobatio apud Latinos accipitur pro quacumque reiectione: & apud Theologos pro reiectione à gloria; in hac tamen acceptione, qua à Theologis accipitur, nō reperitur in sacra Scriptura; quia reprobus in Scriptura Ecclesiastici 9. & 1. ad Corinth. 6. & 2. ad Corinth. 13. & 2 ad Timot. 3. & ad Hebræos 6. sumitur pro improbo, seu iniquo, quamuis aliàs sit prædestinatus: à Theologis verò reprobus dicitur qui reijcitur, seu repellitur à Beatitudine, qui à Theologis etiam dicitur præscitus; quia circa reprobum est in Deo eadem præscientia quæ est circa prædestinatum, qua Deus, quasi dirigitur ad prædestinandum, prædestinatum, & reprobum non prædestinat; sed tantum eum præscit, & ideò non prædestinatus, seu reprobus etiam dicitur præscitus.

Circa difficultatem, ergo supponimus, vt certum reprobos, & reprobationem in acceptione Theologorum esse, & reperiri, vt constat ex illo Mat. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diaboli, & Angeli eius.* & ad Rom. 9. reprobi sic sumpti appellā tur vasa iræ apta in interitum, & 2, ad Tim. 2. appellantur vasa in cō tumeliam.

Hoc supposito, difficultas est, qui actus in reprobatione sic sumpta interueniant.

Circa quam etiam supponimus in Deo, circa eos qui damnantur, & reprobi dicuntur, esse reiectionem à medijs gratiæ, quibus si eis darentur, saluarentur: & etiam esse reiectionem à gloria, quæ

dicitur pœna damni, & tandē circa reprobos, adultos qui in peccato mortali decedunt reperiri illationem pœnæ sensus.

Est ergo certum ad inferēdam dictā pœnam sensus requiri in Deo decretū positiuum efficax, quo decernat talem pœnam inferre; quia absq; eo nequit inferri, vt patet: hoc autem decretum cōgrue appellatur destinatio, seu deputatio ad pœnam, ad reijciēdum verò à dictis medijs efficacibus gratiæ, & à gloria nō esse in Deo necessarium decretum aliquod positiuum; quia ex eo quòd in Deo nō sit decretum cōferendi dicta media, & gloriam sufficienter reijcitur, quis abeis; quia absque eo decreto nulli conferri possunt.

Est tamen difficultas, an hoc decretum, quòd non est necessarium sit de facto in Deo. Circa hanc difficultatem plures dictum decretū in Deo admittunt, circa reiectionem à gratia efficaci gloriæ, & circa reiectionem à gloria, & cōsequēter, circa reiectiones ab eis admittunt in Deo duplicem reprobationem, alteram negatiuā, quæ præcisse consistat in carētia præparationis gratiæ, & gloriæ, & alterā positiuam, quæ consistat in decreto, seu præparatione positiua negandi gratiam efficacem gloriæ, & ipsam gloriam.

Alij verò nō admittunt de facto in Deo decretum efficax negādi reprobis dictā gratiam, & gloriam; sed tātum carentiam decreti eas cōferendi: & merito, primò, quia tale decretū, non est in Deo necessarium, vt vidimus: secundò, quia est in Deo impossibile decretū efficax, circa non esse; quia non esse nequit effici.

Circa eas tamē negationes, seu reiectiones reperitur in Deo simplex, seu inefficax voluntas, seu complacentia, vel quatenus sunt pœnæ, vel quatenus sunt alio modo bonæ.

In reprobatione ergo interueniunt carentia præparationis, seu decreti mediorum gratiæ, efficacium gloriæ, & carētia decreti gloriæ, & ex vtraq; carētia coalescit essentialiter vna reprobatio negatiua, seu vna nō prędestinatio, sicut in nostra sentētia ex vtraq; præparatione, seu ex vtroq; decreto coalescit vna positiua prædestinatio: & insuper reperiri simplex complacentia, circa vtranq; negationem, seu rationem à gratia, videlicet efficaci, & à gloria: & tandem si reprobatio, sit adultorum, in ea interuenit decretum efficax infligendi eis pœnam ęternam sensus, & ante istud decretum præsupponitur in Deo iudicium practicum, sicut ante quodcunq; aliud decretum.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

In quo actu Dei consistat essentialiter reprobatio?

DIfficultas hæc non procedit de reprobatione negatiua, quæ est idem, quod non prædestinatio, & consistit in carẽtia præparationis mediorum efficacium ad gloriam, & ipsius gloriæ, quæ in voluntate reperitur, sicut prædestinatio in cuius carentia consistit reperitur in voluntate, vt diximus disp. 1. dif. 3. sed procedit de reprobatione positiua, quæ in actu positiuo cõsistit, quo Deus destinat ad pœnam æternam sensus, & etiam quo denegat gratiam, & gloriã, si eas actu positiuo negat.

Circa difficultatem ergo Alex. 1. p. q. 29. membr. 2. Richardus in 1. dist. 40 art. 3. quæst. 1. Albertus 1. part. q. 66. membr. 1. & Herice disp. 32. cap. 2. docet reprobationem positiuam, sitam esse essentialiter, & directè in actu intellectus, & simul in actu voluntatis; quia prædestinatio, cui reprobatio positiua directè opponitur, consistit essentialiter in eis, opposita autem, circa idem subiectum versantur.

Gonçalez disput. 7. dub. 2. Discalciati disp. 77. sect. 1. Ruiz. disp. 2. sect. 4. & Fasolus q. 23. art. 2 docent reprobationem positiuam sitam esse essentialiter, & directè in solo actu intellectus; quia dicta reprobatio est directe opposita prædestinationi, quæ secundum ipsos in solo actu intellectus essentialiter, & directè consistit: Auctores tamen isti non cõueniũt, in quo actu intellectus cõsistat; quia alij eã cõstituunt in actu quodam imperij, quem in Deo ponũt post decretũ voluntatis, & alij in iudicio quodam practico, quòd est in Deo ante suum decretum, quo volũtati proponuntur, quæ faciẽda sunt: probari autem potest hæc sententia; quia dicta reprobatio est directè opposita prædestinationi, quæ secundum ipsos sita est essentialiter in simili actu intellectus.

Suarez verò, quanuis prædestinationem in solo actu voluntatis constituat, reprobationem verò in actu iudicij principaliter cõstituit. Primò, quia reprobare principalius dicitur de iudicio intellectus. Secundò, quia à iudicio, quo quis à Deo iudicatur dignus pœna æterna incipit reprobatio.

Plures verò Theologi ex his, qui existimãt prædestinationem sitã esse essentialiter, & directè in solo decreto efficaci voluntatis (vt nos existimamus, & diximus disp. 1. dif. 3. docent, & merito reproba

tionem positiuam sitam esse essentialiter, & directè in solo decreto efficaci voluntatis, quòd supponit Vazquez disp. 95. & exprimit Alarcon disp. 5. cap. 1. Probatur autem eodem modo, quo ea disp. 1. diffic. 3. probauimus prædestinationem sitam esse essentialiter, & directè in solo decreto efficaci voluntatis; quia scilicet reprobatio positiua est pars prouidentiæ, sicut & prædestinatio; quia ad prouidentiam pertinet, non solùm conferre præmia benemerentibus, quòd ad prædestinationem pertinet; sed etiam malis supplicia infligere, quòd pertinet ad reprobationem positiuam. Prouidentia autem in decreto voluntatis consistit, vt diximus in ea dif. 3.

Secundò, quia in eo solo constituenda est essentialiter, & directè reprobatio positiua, quo executioni mandatur damnatio, & punitio reprobi; quia hæc sola est effectus reprobationis positiuæ, vt dicemus dif. 4. solo autem decreto voluntatis, & non alio damnatio, & punitio executioni directè mandatur: ergo in eo solo constituenda est reprobatio positiua, sicut in eo solo à nobis constituitur essentialiter, & directè prædestinatio, cui reprobatio positiua directè opponitur. Ex quo constat solutio ad fundamentum pro prima, & secunda sententia, desumptum ex oppositione directa reprobationis positiuæ cum prædestinatione; quia potius est pro nobis, quàm contra nos.

Ad prius autem fundamentum Suarez desumptum ex verbo reprobare. Respondemus quòd quamuis proprie dicatur de iudicio intellectus (quòd admittimus) & quamuis proprius de eo diceretur, quam de actu voluntatis (quòd non admittimus) ex eo tamen non fit reprobationem, de qua disputamus, esse principalius actum intellectus, quam actum voluntatis: imò tantum est actus voluntatis; quia qui damnandi sunt, non dicuntur reprobi ex eo, quòd iudicentur digni æterna pœna; quia eo iudicio posito, non necessario damnarentur; sed quia decreto efficaci voluntatis decernitur, & statuitur eis pœna, ex quo ad posterius fundamentum negamus reprobationem incipere à iudicio quo à Deo iudicantur digni pœna æterna, quousque post tale iudicium sequatur decretum voluntatis, à quo incipit, & in quo completur, & perficitur essentialiter reprobatio positiua.

Ex dictis deducimus circa reprobos, non decedentes in statu peccati actualis, sed tantum originalis (quales sunt reprobi paruuli carentes vsu rationis) nullam in Deo reperiri reprobationē positinam propriè, si circa priuationem nullum in Deo reperitur decretū efficax (vt nos existimamus) quia prædicti solà priuatione gloriç puniuntur æternaliter, quæ dicitur pœna damni: circa eos tamen negari

ri nequit in Deo iudicium, quo ea priuatione digni iudicantur, ob culpam originalem in ipsis ab Adamo contractam, post istud tamē iudicium in Deo reperitur simplex, seu inefficax complacentia, qua Deo dicta priuatio gloriæ placet, quatenus pœna dictæ culpæ, quæ quodam modo, & latè dici potest reprobatio positiua; quia est vera approbatio, qua ad eam priuationem digni approbantur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm destinatio reprobi ad pœnam æternam fuerit in Deo ante præuisa ipsius peccata?

COnueniunt Theologi, Deum ex se ipso ante præuisionem peccatorū neminem efficaciter destinasse ad pœnam æternam, sensus quod adminus insinuatur Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*: & id ad minus definitur in Conc. Valentin. sub Cothario Imperatore c. 3. vbi dicitur in prædestinatione impiorum ad mortem, meritum malum præcedere iustum iudicium Dei, & id à fortiori constabit ex dicendis.

Est tamen controuersia, an Deus ex se ipso ante præuisionem peccatorum decreuerit excludere, seu reijcere reprobum à gloria: procedit autem ex suppositione, quòd in Deo sit decretum efficax negandi reprobis gloriam (quòd non pauci Theologi admittunt) & quia ad minus in Deo in aliquo signo admitti debet simplex complacentia, qua sibi placeat reprobis negare gloriam, ideò adminus de ea est difficultas, & eadem ac decreto efficaci ex suppositione, quod admittatur.

Circa quam Durandus in 1. d. 40. q. 2. Bañez q. 23. art. 3. Zumel disp. 4. Aluarez de Auxilijs lib. 10. disp. 110. & alij ab ipsis relati, docent Deū ante præuisionem peccatorū efficaciter decreuisse negare reprobis gloriā, in eodē quidē signo in quo etiam existimarunt Deum ante præuisionem meritorum decreuisse efficaciter dare gloriam prædestinatis. Quòd significari videtur ad Romanos 9. illis verbis: *Cùm nondum aliquid boni egissent, aut mali Iacob dilexi, Esau odio habui.* Quia odium istud ante merita nullum aliud videtur fuisse, nisi decretum efficax expellendi Esau à gloria. Et etiam illis verbis eiusdem capitis: *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum*, vbi significari videtur Deum voluisse ostendere iustitiam, & seueritatem sui iudicij in damnandis reprobis, & ex hac intentione per-

permisisse eos in peccata prolabi, & multo tempore substinuisse, vt inuenirentur digni dicta damnatione; quòd etiã videtur ratione probari; quia voluntas Dei nõ manet suspensa, circa aliquod obiectum: ergo quibus in signo in quo decreuit prædestinatis dare gloriam, in eo non decreuit dare, decreuit non dare.

Scot. verò in 1. d. 41. q. 1. Vaz disp. 95. à c. 4. Suar. c. 3. 4. & 6. Arrub. disp. 87. c. 3. Heri. disp. 33. c. 3. Lesius de reprobat. sect. 6. & Alarcon disp. 5. c. 10. docent & merito Deum suo decreto efficaci nullum reprobum à gloria excluisse, nisi prius prævisis eorum peccatis, & perseuerantia in eis.

Pro huius tamen nostræ sententiæ clariori enodatione dicendum est primo, nullo præuiso peccato, nec proprio ipsius reprobi, nec primi parentis nullum fuisse decreto efficaci excluisum à gloria, quòd pluribus videtur certissimum: & significari videtur illis verbis Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* Quasi dicatur, Deum ex se ipso non velle perditionẽ, seu mortem nostram, quę præcipuè cõsistit in priuatione gloriæ, quę est vita æterna, nisi ex causa, & occasione peccati: & non solũ significatur decreto efficaci nullum excluisse à gloria; sed nec in ea exclusione simplici voluntate cõplacuisse; quia eo verbo lætatur simplex complacentia, præcipuè significatur.

Deinde hæc nostra 1. conclus. ratione probatur; quia Deus ex se ipso nullo præuiso peccato desiderat, & vult gloriam omnibus; quia hoc ad minus cõtinetur in testimonio illo Pauli 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, vt dixim. disp. 2. dif. 5. ergo ex se ipso, seu nullo præuiso peccato, nullũ decreuit à gloria excludere; imò nulli desiderio simplici priuationẽ glorię desiderat; quia quanuis nõ repugnet Deũ ex se ipso velle alicui gloriã, & occasione peccati eidẽ velle priuationem glorię in pœnã, repugnat tamẽ Deum ex se ipso simul velle alicui gloriam, & priuationem glorię.

Secundò dicendum est ante prævisum peccatum originale, in vnoquoque contractum, etiam post præuisum peccatum Adami, Deum suo efficaci decreto nullum à gloria excluisse; quia Deus in tempore nullum excludit à gloria, nisi ex peccato vnicuiq; proprio, aut originali, aut actuali: ergo nullũ decernit excludere, nisi ex proprio peccato prævisо, & nõ ante etiam prævisо peccato Adami, quia 1 eus nõ aliter decernit facere, quam facit in tẽpore: id enim quod est causa exclusionis in tempore, est causa decreti quo in tempore effecit exclusionem.

Tertio, dicendum est ante præuisa omnia peccata propria reprobi, siue originale, siue actualia, ob quæ de facto excluditur à gloria,

non

non excludi ab ea decreto efficaci; quia in tempore non excluditur ab ea, nisi ob ea omnia peccata: ergo nō aliter decernitur eius exclusio à gloria, nisi ob ea omnia iam pręuisa, imò nisi ob ea iam pręuisa, vt finalia, seu vt perseueratura vsq; ad mortē ob rationem dictā; quia scilicet nullus de facto excluditur, nisi ob ea peccata prævisa, vt finalia; quia nullus damnatur ob ea, nisi, quia decessit in eis: ergo nullius exclusio efficaciter decernitur, nisi post pręuisionem eorum, & perseuerantiæ in eis vsq; ad mortem: & id continetur in dicto testimonio Sap. 1. *Deus non lætatur in perditione viuētium*, id est, nemini cōsiderato prout viuit, Deus vult adhuc simplici desiderio, aut complacentia exclusionem à gloria, quāuis peccatori cōsiderato, prout decedenti in peccatis eam velit.

Quartò, dicendum est, vt aduertit Suar. nulli consideratо, prout viuit adhuc paruulo reprobo, cui nulla humana diligentia potuit adhiberi remedium, adhuc post pręuisionem peccati, vel peccatorū, numquam remittendorum, Deum desideraſſe adhuc simplici desiderio priuationem glorię, quòd etiam indicat Paulus, dum ait, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; quia his verbis significari videtur, pura, & sincera voluntas ſaluationis absq; mixtione disſplicentiæ circa illam loquitur autem de omnibus hominibus, nullo excepto, & prout hac vita mortali viuunt, & id ratione probatur; quia Deus nō complacet in priuatione gloriæ, nisi quatenus pœna eius, qui gloria ipſa priuatur; quia nō est verisimile Deum tantum malum, & æternum approbare, nisi in pœnam, & in pœnam proprij peccati: ergo non complacet in ea priuatione, nisi post prævisionem peccatorum, vt finalium.

Ex eo autem quod prædictis paruulis, & pluribus adultis, Deus nequiuit applicari remedium pro aliqua vitę periodo, nō conuincitur, ſibi disſplicuiſſe ſaluationem eorum, vt dicemus dif. 4.

Ad fundamentum ergo aduersariorum, desumptum ex illo Pauli: *Cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Respondemus nomine odij, vel intelligi carentiam amoris ſpecialis, quo Deus Iacob, & alijs prædestinatis voluit media efficacia ad ſaluationem; quia talia media non voluit Esau, nec alijs reprobis, vel nomine odij intelligi reiectionem à primogenitura temporali, à qua reiecit Esau maiorem, & quam dedit Iacob minori, quòd Deus pro libito fecit, nō attendens ad ipſorum opera, nec bona, nec mala, vel ſi nomine odij intelligatur reiectio, & reprobatio positiua, vt quidam volunt: *Illud Iacob dilexi, Eſau autē odio habui*, non debet coniungi cum illis verbis: *Cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali*, Sed cum his tantum debet coniungi illud:

Quia

Quia maior seruiet minori, vt latè expendit Vazq. c. 8.

Et ad aliud desumptum ex illis verbis: *Quòd si Deus volens ostendere iram, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Respondemus eis, non significari Deum habuisse intentionem damnandi, & ex ea sustinuisse reprobos, sed potius significari oppositum, nempè Deum sustinuisse, & expectasse, vt parceret, & non puniret: dicitur enim, *Sustinuit in multa patientia vasa iræ:* Vbi supponitur reprobos fuisse vasa iræ, & Deum illos expectasse, subintellige ad pœnitentiam iuxta illud ad Romanos 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*: Nihilominus Deus videns reprobos sua impœnitentia thesaurizare sibi iram, tandem voluit illos punire: vnde illa particula *quod si*, sicut illa particula, *vt*, quando in eodem cap. de Pharaone dicitur: *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam*: Non significat finem à Deo intentum, sed euentum.

Et ad rationem negamus in eo signo ante peccata præuisa fuisse aliquem decreto efficaci exclusum à gloria: & etiam negamus ante præuisa bona opera aliquem fuisse electum ad gloriam, sed solum in eo signo Deum omnibus simplici desiderio gloriam optasse: & quòd ad probationem dicitur voluntatem Dei non manere suspensam, circa aliquod obiectum, vel non est verum, vt dicimus Tract. de Voluntate disp. 2. difficult. 2. vel tantum est verum, respectu simplicis complacentiæ, ita vt ab ea nequeat esse suspensa, & nō respectu decreti efficacis, vel si etiam respectu huius, sed nō pro quolibet signo, sed pro vno aut altero, it aut nihil in tempore nō fit futurum, quòd non fuerit à Deo ab æterno ita decretum, in vno tamen, aut in altero signo.

DIFFICVLTAS IV.

Qui sint effectus reprobationis?

VT Tandem clarius constet, quid sit vnaquæque reprobatio, superest examinandum qui sint effectus, seu termini vnius cuiusque reprobationis, constat autem ex supra dictis esse duplicem reprobationem; vnam negatiuam, quę idem est, quòd non prædestinatio, & alteram positiuam, ad quam ad minus pertinet voluntas ęternaliter puniendi.

Supponimus ergo, effectum reprobationis negatiuæ esse negationem collationis, seu non collationem mediorum gratiæ, quibus re-

reprobus ſaluaretur: & etiam negationem collationis, ſeu non collationem glorię; quia reprobatio negatiua, idem eſt, quòd non prædeſtinatio. ergo ſicut iuxta noſtram ſentẽtiam effectus prędeſtinationis ſunt collatio dictorum mediorum gratiæ, & collatio gloriæ; ita etiam effectus reprobationis negatiuæ, quæ eſt nõ prędeſtinatio, erunt, nõ collatio illius gratiæ, & nõ collatio glorię, eo modo, quo vna carentia eſt effectus alterius carentiæ.

Difficultas ergo tantum eſt de effectibus reprobationis poſitiuæ.

Circa quã conueniunt Theologi, pœnã æternam ſenſus in adultis eſſe effectum reprobationis poſitiuæ, & maximè proprium, ſicut Beatitudo eſt effectus maximè proprius prædeſtinationis; quia negari nequit deſtinationem poſitiuam ad æternam pœnam, ſenſus, cuius hęc pœna eſt effectus, eſſe reprobationem, vel ad eam intrinſecè pertinere. Quàm deſtinationem Concilium Valentinum, ſub Lotnario Imperatore cap. 3. appellauit prædeſtinationem ad mortem (id eſt ad damnationẽ) quæ eſt mors ſecunda, vt patet excontextu. Eodem modo iuxta noſtram ſententiam negari non poteſt excluſionem à gloria eſſe effectum reprobationis poſitiuæ (ſi circa eam ſit in Deo decretum efficax) ſicut & gloria iuxta noſtram ſententiam eſt effectus prędeſtinationis; quia dictum decretum ſi reperiatur dicideber abſq; ſubio reprobatio, & maiori ratione, quãdecretum efficax gloriæ dicitur prędeſtinatio: & ad minus dicta excluſio à gloria eſt obiectũ reprobationis poſitiuæ, ſi ſimplex cõplacentia, qua Deus ſuppoſito peccato eam excluſionem approbat, vt pœnam dicatur reprobatio.

Eſt tamen controuerſia an permiſio peccati, ſeu negatio gratię efficacis, qua impeditur peccatum, pertineat tamquam coeffectus partialis ad eamdem reprobationem, ad quam pertinet ęternaliter punire, itaut ad vnam, & eamdem reprobationem pertineat, & æternaliter punire, & dictam gratiam efficacem negare, ſicut ad vnam, & eamdem prædeſtinationem pertinet gratia efficax glorię, & gloria ipſa, itaut ſicut prædeſtinatio coaleſcit ex præparatione dictæ gratiæ, & ex præparatione gloriæ, ita etiam reprobatio ad quam pertinet ex voluntate æternaliter punire coaleſcat ex volũtate æternaliter puniẽdi, & ex volũtate negandi illam gratiam: an verò voluntas æternaliter puniẽdi, non vniatur, nec veniat in vnam reprobationem, cum voluntate negandi illam gratiam.

Circa hanc controuerſiam ſupponimus, vt certum peccata ipſa non pertinere, tamquam effectum partialem ad reprobationẽ ad quã pertinet pœnã æternã infligere (quę ideò dicitur poſitiua, quia con-

consistit in actu positiuo, ratione cuius infligitur, aut approbatur, vt pœna) quia quanuis peccata ad eã pœnam cum effectu cõducãt, tanquam demerita, & causa moralis, nõ tamen fiunt à Deo, & tamen vt essent effectus reprobationis, deberent fieri à Deo, & ex intentione talis pœnæ.

Duran. ergo in 1. d. 40. q. 2. Greg. q. 1. ar. 1. Marsil. q. 4. ar. 1. Drie. in concordia 1. par. q. 3 Aluar. lib. 11. di p. 110. & Ruiz disp. 2. sect. 6. & disp. 38. docent permissionem cuiuscumq; peccati, propter quod reprobus punitur, esse effectum reprobationis positiuæ. Probari autem potest; quia ex vna parte quæcumq; permissio peccati, ob quod reprobus damnatur, conducit cum effectu ad æternam pœnam, tanquam occasio, & remotio eius, quod prohiberet tale peccatum, & ex altera parte ea permissio videtur orta, ex desiderio talis pœnæ cum ad eam, cum effectu conducat: ergo est effectus reprobationis punitiuæ, & positiuę.

Hanc sententiam approbat Vaz. disp. 93. c. 6 solùm quoad permissionem contrahendi peccatum originale, & in eo moriendi in illis paruulis, quibus nulla humana diligentia potuit remedium adhiberi; quia existimat has permissiones procedere, ex desiderio excludendi eos paruulos à gloria: existimat autem dictum desiderium fuisse in Deo, statim post præuisum peccatum Adę ante contractionem proprij originalis, deducit autem esse in Deo dictum desiderium ex eo, quòd dictis paruulis negauit remedium.

Suar. verò lib. 5. de reprobatione c. 7. Cartagena de Prædestinatione, discursu 5. dubio vltimo, generaliter docent nullius peccati permissionẽ esse effectum dictę reprobationis in æternum punitiuæ positiuæ, & merito; quia quanuis permissio peccati, tàm originalis, quàm actualis, ob quod reprobus ęternaliter punitur procedat à Deo, & conducat ad eam æternam punitionem, quę est proprius effectus reprobationis punitiuæ (sicut glorificatio prędestinationis) nullius tamẽ peccati permissio procedit, ex desiderio æternaliter puniẽdi: ergo nulliuspeccati permissio pertinet ad reprobationẽ puniti uã, tãquã effectus partialis: quòd autẽ nullius peccati permissio procedat, ex desiderio damnandi reprobos, probatur; tum quia, vt iã vidimus, desiderium damnãdi reprobos, tantũ est in Deo post præuisa peccata: & permissiones eorum, tum etiam, quia nullius peccati permissio procedit, ex desiderio damnationis eorum; quia nõ procedit ex desiderio peccati, medio quo est vtilis, & cõducit ad dãnationẽ, vt patet, medium autem: quod remotè solũ, & medio alio est vtile ad finem, non procedit ex desiderio finis, nisi quatenus eligitur ex amo

re

re illius medij, ratione cuius est vtile ad finem, vt tale diximus disp. 3 dif. 6.

Ex quo patet solutio ad fundamentum aduersariorum, falsum enim est, quòd permisio peccati procedat ex desiderio damnationis, rdhuc in paruulis, quibus nulla humana diligentia potuit adhiberi remedium, vt vidimus: negatio autem applicationis remedij, non arguit in Deo oppositam voluntatē circa saluationē, sed volūtatem, circa non applicationem, quæ ob motiuum ostendendi prędestinatis in alia vita diuitias, & liberalitatem suam erga eos, prævaluit in Deo.

Addimus contra nonnullos permisionem moriendi in peccato, non esse effectum dictæ reprobationis positiuæ, & punitiuæ, vt Suaaduertit; quia quanuis in pœnam peccati soleat negari auxiliū gratiæ, quo peccator resurgeret à peccato, illud tamē nō negatur ex desiderio damnationis reprobi; quia vt iam vidimus, decretum, & desiderium damnandi non sunt in Deo, nisi post præuisionem peccati, vt finalis, seu vt perseuerantis vsque ad aliam vitam; quia Deus peccatore cōsiderato, prout in hac vita, purè, & sincerè vult, & desiderat cōuersionem, & gloriam: ergo talis permisio, & negatio non est effectus dictæ reprobationis.

Ex dictis deducimus solam æternam pœnam, siue solius damni in paruulis, siue etiam sensus in adultis esse effectū reprobationis positiuæ, in æternū punitiuæ, acproinde solā volūtatem æternaliter puniēdi dici absolutè, & simpliciter reprobationem; quia ex vna parte dicta volūtas verè dicitur reprobatio positiua, & ex altera etiā, si circa negationem dictorum mediorum gratiæ daretur in Deo decretū efficax, non esset simpliciter reprobatio, adhuc partialis; quia vt iā vidimus, non pertineret ad reprobationem, qua decernitur æterna damnatio reprobi, in quo differt à decreto cōferendi prædestinato media gratiæ, quibus cum effectu saluatur: quia hoc decretū est verè prędestinatio partialis, & pertinens ad prædestinationē, qua præparatur gloria: ratio huiusdiscriminis desumitur ex eo, quòd media illa gratię nō negātur reprobo, ex desiderio dānationis, quæ est proprius effectus reprobationis, prædestinato verò cōferūtur ex desiderio saluationis, & gloriæ: decretū tamē illud efficax negādi, reprobo media illa gratiæ dicitur à nōnullis (qui illud admittunt) reprobatio nō absolutè, sed à gratia; quia est quædā reiectio ab ea; carētia tamē præparationis eorū mediorū gratiæ, dicitur reprobatio negatiua, (quāuis solū partialis) quia ex ipsa, & ex carentia præparationis gloriç, coalescit vna reprobatio negatiua, seu vna non prædestinatio, sicut ex præparatione eorum mediorum gratiæ, & ex præparatione glo-

gloriç coalescit vna totalis prædestinatio: voluntas verò positiua negãdi ea media gratiæ, non dicitur reprobatio positiua, adhuc partialis; quia nec dicitur reprobatio ob rationem dictam, nisi ad summum à gratia.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ex parte reprobi detur causa reprobationis negatiuæ?

REprobatio negatiua, idem est, quòd non prędestinatio, & coalescit, vt supra diximus ex carentia præparationis mediorũ gratiæ, quibus reprobus gloriam, cũ effectu consequeretur, & ex carentia præparationis gloriç, qua ei immediatè conferretur.

Circa difficultatem ergo, non desunt Theologi, qui vt refert Vazquez disp. 83. existiment reprobationis negatiuę dari causam in reprobo, quibus fauent Henric. Ocham. Gabr. & alij, qui in prædestinatis agnoscunt causam prædestinationis. Quòd in primis probari videtur authoritate Scripturæ, ex illo Ezechiel 18: *In iniustitia quam operatus est* (subintellige impius) *morietur*; & infra, *nolo mortẽ peccatoris, reuertimini, & viuite*; & ex illo Oseæ 13. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Et ex illo 2. Petri 3. *Patienter Deus agit propter vos, nolens aliquam perire; sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* in quibus testimonijs significatur Deum ex se ipso voluisse nostram salutem, perditionem verò nostrã ex nobis oriri: Deus ergo ex se ipso non omittit prædestinationem nostram, sed occasione sumpta ex nobis.

Secundò videtur probari authoritate Patrum, ex Augustino de prædestinatione Sanctorum cap. 14. dum ait, gratia Dei gratis datur, cui datur, iusto autem iudicio Dei non datur, cui non datur: & de bono perseuerantiæ cap. 8. dum ait, qui liberatur, gratiam Dei dilligat, qui non liberatur debitum agnoscat: loquitur autem vtrobiq; de gratia, qua prædestinati liberantur: & ex Prosp. in resp. 3. ad Gallos, dũ de reprobis ait, ideò non prædestinati sunt; quia talis futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.

Scotus verò in 1. dist. 41. quæst. 1. Vazquez cap. 9. Suarez cap. 5. docent reprobationis negatiuæ, seu non prædestinationis nullam in reprobo dari causam. Pro cuius clariori enodatione obseruandũ est primo, quòd sicut in prędestinatione, quæ secundum nostram sententiam coalescit ex pręparatione gratiæ efficacis ad gloriam, &

ex

ex præparatione ipsius gloriæ præparatio gratiæ est prior, & quasi causa præparationis gloriæ; quia gloria præparatur ex gratia, ita etiam in non prædestinatione, quæ coalescit ex carentia vtriusq; præparationis, non præparatio dictæ gratiæ, seu carentia præparationis ipsius est prior, & quasi causa non præparationis gloriæ; quia ex eo non præparatur gloria; quia non præparatur dicta gratia, sicut enim affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: vnde si in reprobo non sit causa, non præparationis gratię prædestinatorum: absolutè dicendum est, non esse causam non prædestinationis, seu reprobationis negatiuæ; quia vt sit causa non prædestinationis, debet esse non præparationis dictæ gratiæ, quæ est prior sicut vt prędestinationis detur causa debet dari præparationis gratiæ, imò primæ gratiæ.

Secundò obseruandum est, quòd quanuis non præparare gratiã, & gloriam sit distinctum à negatione gratię, & glorię, tãquam causa, & effectus, sicut præparare gratiam, & gloriam distinctum est ab ipsis gratia, & gloria præparatis, in idem tamẽ incidit quærere, an nõ prę parationis gratię, & gloriæ detur in reprobo causa moralis, & an detur negationis gratiæ, & gloriæ; quia id quod est causa moralis, non prę parationis gratiæ, & glorię, consequenter etiam est mediate causa negationis gratię, & gloriæ, & quòd est causa moralis negationis gratiæ, & glorię, antecedenter est causa non præparationis earum; quia ex eo negãtur, quia non præparantur, sicut quod est causa moralis prædestinationis gratiæ, & gloriæ est causa mediata gratiæ, & gloriæ, & quòd moraliter causat gratiam, & gloriam, antecedenter causat prędestinationem; quia non aliter causat gratiam, & gloriã, quam causando præparationem earum, quæ est ipsarum causa.

His ergo suppositis dicendum est. Primò, quamcunq; gratiæ etiam efficacis negationem; & quamcumq; peccati, tàm originalis, quàm actualis permissionem posse attribui peccato primi parentis, prout in ipso solo præuiso, & nõdum ad posteros deriuato, tamquam causæ morali; quia quanuis in primo parẽte fuerit pœnitentia delctũ, quoad culpam, & pœnam ipsi primo parenti debitam, ex eo tamen peccato, quãuis decreto manserit dignitas, & debitum carẽdi auxilio in tota sua posterioritate, pro quo Christus, quoad sufficientiã condignissimè satisfecit.

Secundò dicendum est, negationis gratiæ sanctificantis, qua impediretur contractio peccati originalis in posteris Adæ (vt impedita fuit in Beata Virgine,) quæ negatio potest dici permissio contrahendi peccatum originale, nulla datur causa moralis in ipso reprobo (in quo omnes conueniunt) quia ante contractum peccatum nul

la culpa præcesit in reprobo, ob quam Deus potuerit non velle dare dictam gratiam.

Tertiò dicendum est, primæ permissionis peccati actualis post originale, iam quoad culpam remissum, nullam in reprobo dari causam, vt aduertit Vazq. c. 9. (& idem est de prima permissione post actuale iam remisum) quia quanuis ante eam primam permisionē præcesserit culpa, iam tamen ante eāpermisionem fuit desetatergo ei nō debet attribui dicta permisio; quia vt aduertit Suar. c. 5. absque fundamento dicetur post culpam saltem originalem remisam remanere dignitatem talis pœnæ, imò & post remisam culpam actualem, etiam si post remisionem huius maneat aliquando dignitas pœnę sensus.

Reliquæ verò permisiones, quibus reprobus post peccatum, aut originale contractum, aut actuale mortale commissum, & nōdum, quoad culpā remissum, deseritur à Deo, & labi permittitur, attribui possunt priori peccato, vt causæ morali, vt aduertit Vazq. n. 23. quia culpa grauis perseuerans, digna est apud Deum, vt ob eam peccator possit deseri à Deo, & permitti in alia peccata labi, imò permitti in ea culpa mori, seu ab ea non resurgere.

Ex dictis deducimus, reprobationis negatiuæ seu non prædestinationis nullam in reprobis dari causam moralem; quia reprobatio negatiua, seu nō prędestinatio, quæ coalescit ex carētia præparationis gratiæ efficacis in gloriam, & ex carentia præparationis gloriæ, incipit à prima negatione gratiæ cōgruę, seu efficacis, respectu cōsēsus, vel à prima permisione peccati impediētis gloriam, sicut prædestinatio incipit à prima gratia efficaci gloriæ; in reprobo autē nulla datur causa moralis dictę primæ negationis, seu permisionis, primę quidē, vel absolutè, vel post peccatū remisū, quoad culpā; quia in eo non datur causa permisionis peccati originalis, nec permisionis primi actualis post originale remisum, nec permisionis posteriorū peccatorum actualium post priora remissa, prædicta tamen reprobatio negatiua, seu nō prædestinatio, attribui potest peccato primi parentis, tanquam causæ morali; quia ei potest attribui negatio cuiuscumque gratię in posteris.

Et quanuis verum sit prædestinationem nostram (excepta prędestinatione Virginis) nō fuisse ante præuisum peccatum originale in vnoquoq; contractum, sed post; quia ante illud nullus est effectus prædestinationis in nobis, sed solū post, statim tamen post illud fuisse; quia statim post illud impeditur prædestinatus à morte in statu talis peccati, ex desiderio gloriæ, & ea impeditio conducit ad eam, reprobatio tamen negatiua, seu non prædestinatio incipit ante præuisum

ſum proprium peccatum, ſiue originale, ſiue actuale, ob quod repro bus impediendus eſt ab adeptione gloriæ; quia permiſſio illius eſt ef fectus dictæ non prędeſtinationis.

Excipimus autem prędeſtinationem Virginis, ab eo ſigno poſt peccatum originale contractum præuiſum; quia (vt aduertit Vaz. n. 14.) Prædeſtinatio Virginis facta eſt ſtatim, poſt præuiſum peccatū cauſaliter commune primi parentis, cui omnes obnoxij, & quaſi obligati naſcimur ante contractum peccatum originale in eo, videlicet ſigno in quo præuidebatur peccatum illud commune deriuandū in Virginem, & in alios Adę poſteros; quia in primo inſtanti tęporis in quo Virgo concepta fuit, & in quo erat in eam deriuandum, fuit ab eo preſeruata infuſione gratiæ ſanctificātis, quæ fuit effectus præ deſtinationis Virginis; quia proceſsit à Deo, ex deſiderio gloriæ Virginis, & ad eam cum effectu conduxit.

Ad prius ergo fundamentum aduerſariorum deſumptum ex illis teſtimonijs ſcripturæ, reſpondemus eis ad ſummum probari Deū ex ſe ipſo nulla ex nobis ſumpta occaſione neminem à gloria excludere; quia eam omnibus ex ſe ipſo deſiderat, & ad id omnibus auxilia ſufficientia offert, ex ſe tamen nulla ſumpta occaſione, ex nobis verè excludit à gratia prędeſtinationis: ex eo autem quod deſinat nos prædeſtinare non deſinit velle, & deſiderare nobis ſalutem & gloriam.

Et ad poſterius deſumptum ex teſtimonijs Patrum, reſpondemus illis duobus teſtimonijs Auguſtini, tantum ſignificari in negatione gratiæ prædeſtinationis, à qua incipit non prędeſtinatio agnoſcendum eſſe iuſtum iudicium Dei. Et debitum talis negationis, non proprium ex actuali peccato eius cui denegatur, ſed ex peccato Adami omnibus cauſaliter communi, quo omnes eramus in maſſa perditionis, ex qua media gratia prædeſtinationis miſericorditer prędeſtinati liberantur, & in qua alij debito, ſeu dignitate peccati Adami deſeruntur. Et Proſperum nomine non prędeſtinationis, non intelligere reprobationem negatiuam, ſed poſitiuam, quę ſupponit præſcientiam præuaricationis, vt conſtat ex ipſo contextu.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ex parte reprobi detur causa reprobationis positiuæ?

DIfficultas procedit de reprobatione positiua, ad quam pertinet reprobos æternaliter punire, non pœna sensus; quia huius reprobationis absque dubio datur ex parte reprobi causa moralis peccata scilicet illius, ob quæ in æternum punitur ea pœna; quia Deus nullum reprobum destinat in æternam pœnam sensus ante præuisionem peccatorum ipsius reprobi, vt diximus dif. 3. sed de reprobatione positiua, ad quam pertinet excludere reprobũ à gloria in pœnam ipsius.

Circa quam Bañ. q. 23. art. 3. Zum. disp. 4. Alua. de auxil. disp. 110. quibus fauent Duran. in 1. d. 41. q. 2. & Ferrar. 3. contra gentes ad c. 161. docent huius reprobationis positiuæ, nullã in reprobo dari causam moralem. Probari autem videtur; quia Deus in eodem signo, in quo ante præuisa merita elegit prædestinatos ad gloriã, decreuit excludere reprobos ab illa ante præuisa eorũ peccata; quia in eo signo in quo elegit prædestinatos ad gloriam, nõ se habuit mere negatiuè circa reprobos, sed eos nõ destinauit in gloriam: ergo eos destinauit ad exclusionem à gloria.

Scotus vero in 1 d. 40. q. 1. Suar. libr. 3. de reprobatione c. 3. & 6 Lesius de reprobatione sect. 6. Herice disp. 33. & Ruyz. disp. 15. section. 3. docent, & merito dictæ reprobationis positiuæ dari ex parte reprobi causam moralem, quòd facile constat ex dictis diffi. 2. & 3. quia si peccata ob quæ reprobus destinatur, vt in æternum dãnetur dicta exclusione à gloria non essent causa reprobationis positiuæ, ideò esset, vel quia Deus ante ea peccata præuisa destinasset in eam pœnam æternam, vel quia dicta reprobatio inciperet à prima peccati permissione cuius in reprobo nulla est causa; Deus autem, nec reprobum destinauit in pœnam æternam, nisi ob peccata ipsius reprobi præuisa, vt diximus dif. 3. nec permissio aliqua pertinet ad eã reprobationem positiuam, ita vt ob ea incipiat; quia nulla permissio peccati procedit ex desiderio puniendi reprobum, vt diximus dif. 4 ergo peccata reprobi præuisa ante destinationem ad pœnam, sunt causa moralis verè dictæ destinationis, seu reprobationis, nõ tamen nisi vt finalia; quia quousq; præuideantur, vt finalia Deus neminẽ destinat in pœnam æternam.

Et

Et ob rationes dictas, idem est dicendum de reprobatione dæmonum, quòd scilicet reprobationis negatiuæ eorum nulla sit in illis causa moralis: reprobationis verò positiuæ detur, ipsa videlicet peccata, ob quæ præuisa destinati sunt in pœnam æternam damni, & in æternam pœnam positiuam quasi sensus.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm reprobatio sit in libera potestate reprobi?

DIfficultas hæc non procedit de reprobatione paruulorum; quia certum est, eam non esse in ipsorum libera potestate: quia omni libertate carent; sed tantum procedit de reprobatione adultorum.

Circa quam supposita doctrina à nobis tradita, certum est reprobationem positiuam, qua adultus, vt adultus reprobus destinatur in pœnam æternam, etiam sensus esse in libera potestate illius, itaut ex eius voluntate pendeat reprobari positiuè, & nō reprobari (vt aduertūt Vaz. disp. 95. n. 52. & Suar. c. 8.) quia in libera potestate adulti est peccare, & nō peccare actuali peccato, ob quòd fiat reprobatio positiua propria adultorum.

Quòd si obijcias in libera potestate adulti, reprobi est non reprobari positiuè: ergo etiam prædestinari; quia non reprobatio positiua reciprocatur, & cōuertitur cum prædestinatione; quia qui nō est positiuè reprobatus, est prædestinatus: quando autem in potestate alicuius est, carere vno contrario, etiam est habere alterum quod comitatur, aut consequitur carentiam alterius.

Respondemus tamen concedendo antecedens, & negando cōsequentiam; quia non reprobatio positiua, non opponitur toti prædestinationi, sed tantum parti illius; quia tantum opponitur præparationi gloriæ, ac proinde ex illo antecedente, ad summum infertur adeptionem gloriæ esse in nostra potestate, imò id non infertur nec est verum absolutè, sed tantum ex suppositione auxilij præuenientis; quia istud auxilium, quòd ad eam adeptionem prærequiritur, nō est in nostra potestate; quando autem dicitur, quòd quando in potestate alicuius est carere vno contrario, etiam est habere, id quòd comitatur, aut cōsequitur carentiā illius cōtrarij, solùm est in rigore verum inter cōtraria, quæ ex natura rei opponūtur immediatè, nō verò inter contraria quæ nō opponuntur ex natura rei, qualia sūt non destinari in pœnam æternam, & destinari in gloriam.

Supereſt ergo difficultas de reprobatione negatiua, ſeu non prędeſtinatione, an ſcilicet ſit in poteſtate reprobi adulti.

Circa quam nonnulli Theologi etiam ex illis, qui exiſtimãt prędeſtinationem, non eſſe in poteſtate prędeſtinati, partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia in poteſtate reprobi adulti eſt nulli conſentire vocationi præuenienti, quantumuis efficaci: ergo & efficere, quod ea vocatio, nõ ſit effectus prædeſtinationis: ergo & efficere, quòd ipſe non ſit prędeſtinatus; quia ſine gratia prædeſtinationis nullus poteſt eſſe prædeſtinatus.

Secundò, quia ſi non prædeſtinatio non oritur ex libertate reprobi, ſed ex ſolo Deo, ſequitur, quod perditio, ſeu damnatio reprobi, non in ipſum, ſed in ſolùm Deum ſit tandem, ſeu vltimate reducenda; quia poſita non prædeſtinatione, eſt impoſsibile reprobos ſaluari: conſequens autem eſt abſurdum, & contra Scripturam Oſe. 13: *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuũ*, quaſi dicatur perditio tua ex te.

Vazq verò diſp. 95. n. 55. Suar. lib. 5. c. 8. Ruiz. diſp. 55. ſect. 4. & Herice diſp. 33. c. 7. docent reprobationem negatiuam non eſſe in libera poteſtate reprobi adulti. Et merito, quia quanuis in poteſtate illius ſit non perſeuerare in iuſtificatione, & non iuſtificari, & cuicumque vocationi præuenienti, etiam efficaci reſiſtere, non tamen eſt in eius poteſtate, quod priuetur, & non præueniatur dicta vocatione, aut alia priori gratia, à cuius priuatione incipit, non prædeſtinatio: ergo quãuis in poteſtate reprobi adulti ſit, quod in ipſo perficiatur, ſeu cõpleatur, non prędeſtinatio, non tamen non prædeſtinari; quia in eius poteſtate non eſt, quòd in ipſo incipiat, non prædeſtinatio; quia nõ eſt in eius poteſtate gratiæ priuatio, quę eſt primus effectus non prędeſtinationis, ſicut in poteſtate adulti prędeſtinati non eſt prædeſtinatio; quia in eius poteſtate non eſt præueniri primo effectu prędeſtinationis.

Ad priorem ergo rationem aduerſariorum, reſpondemus concedendo in noſtra poteſtate eſſe nulli conſentire vocationi, etiam efficaci ex hoc tamen tantum infertur in noſtra poteſtate eſſe priuationem effectus dictę vocationis, quæ eſt effectus ſecundus, nõ prædeſtinationis, non tamen infertur in noſtra poteſtate eſſe dictæ vocationis priuationem, quę eſt primus effectus, non prædeſtinationis, vnde in noſtra poteſtate ſolum eſt, quòd prima vocatio, non habeat ſecundum effectum, non prædeſtinationis, ſeu quòd non eſt prædeſtinatio, compleatur, nõ verò quod illa non conferatur, ſeu quod nõ prædeſtinatio inchoetur.

Et ad poſteriorem negamus ex eo, quòd non prędeſtinatio re-

proz

probi, non sit in eius potestate inferri perditionem, reprobi tandem resolui, & reduci in Deum, & non in reprobum; quia etiam si solus Deus sit qui independenter à reprobo non prædestinat, & ei non præparat gratiam efficacem, ei tamen confert auxilia sufficientia, quibus si bene vteretur, posset saluari & ideo negligentiæ ipsius debet attribui perditio sui: vnde falsum est, quòd posita, non prædestinatione, non possit saluari, si de potentia antecedēte loqeamur, quāuis verum sit loquendo de potentia consequente scientiam Dei, qua sub conditione scit, quod si ei denegetur gratia efficax, non saluabitur, hæc tamen impotentia non nocet nostræ libertati; quia hanc supponit.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Deus prouideat omnibus reprobis adultis auxilia sufficientia ad saluationem?

CIrca hanc difficultatem, videndus est Ruiz. de prædestinatione à disp. 39.

Pro eius autem enodatione obseruandum est, hoc auxilium duplicīter posse esse sufficiēs, nempè, aut proximè, aut remotè: illud dicitur proximè sufficiēs, quòd proximè, & immediatè excitat ad pœnitētiam, media qua peccator resurgit à peccato, vel quo iustus potest proximè perseuerare in statu iustitiæ; illud verò dicitur remotè sufficiens, quo potest obtineri auxilium proximè, & immediatè sufficiēs, vt auxilium immediatè excitans, vel ad orationem, vel ad opera misericordiæ, vel ad alia, ob quæ Deus infallibiliter conferat auxilium proximè sufficiens, vel ex fidelitate, quia pro aliquibus operibus illud promisit, vel ex sola misericordia; quia pro libito illud cōfert, quamuis non promiserit.

Circa difficultatem ergo primo certum sit vt aduertunt Vazq. disp. 97. num. 35. & Suarez lib 4. c. 3. adultum reprobum iustum non destitui auxilijs, etiam proximè sufficientibus ad perseuerandum in iustificatione, quòd significatur Psal 38. illis verbis: *Non derelinquet sanctos suos*, & in Tridentino sess. 6. cap. 11. dum dicitur: *Deus semel iustificatos, non deserit, nisi ab ipsis prius deseratur*, id est, Deum nullum iustificatum destituere auxilio sufficiente, quamuis aliquando destituat auxilio efficaci, aliàs nullus semel iustus amitteret iustificationem: ratio dictæ doctrinæ est: quia ex eo solum, quod iustus nōpeccet mortaliter, dicitur in iustificatione perseuerare; quia iusti

ficatio solo peccato mortali amittitur, nullus autem est, qui ad non peccandū careat alio auxilio sufficiente, aliàs non peccaret: ergo nulli iusto quantumuis reprobo deest auxilium sufficiens ad perseuerandum in statu iustitiæ, quanuis reprobo non dentur auxilia congrua, seu efficacia ad perseuerandum.

Secundò, certum sit adulto, reprobo peccatori peccato originali, absque actuali mortali, non deesse auxilium sufficiens saltem remotè, seu mediatè ad pœnitentiam, & conuersionem, siue sit fidelis, siue sit infidelis, vt exprimit Sanctus Thomas q. 14. de veritate, art. 11 quòd nullus ausus est negare, vt aduertit Herice disp. 3. c 4. Quia ei reprobo, non deest auxilium sufficiens ad non peccandum actualiter, aliàs non peccaret, ei autem si ex alio auxilio faciat, quòd in se est, ad non peccandum mortaliter, absque dubio conferretur auxilium immediatè sufficiens ad iustificationem, imò efficax; quia absque dubio iustificabitur; quia ex diuina ordinatione, nullus adultus moritur, nisi in statu peccati mortalis, aut in statu iustificationis; quia pro adultis tantum sunt duo receptacula; vltima, nempè, vel cœlum, quod nullus ingreditur, nisi innocens, & iustus, vel infernus, inquem nullus descendit, vt pœnas luat nisi in peccato mortali: nulli ergo reprobo, adulto peccatori solo peccato originali, absque mortali deest auxilium, saltem mediatè sufficiens ad iustificationem.

Tertiò conueniunt communiter Doctores, nulli adulto reprobo peccatori, peccato mortali deesse auxilium, saltem mediatè sufficiens ad pœnitentiam, & iustificationem, etiam postquam peccauit, vt aduertunt Bellarmin lib. 2. de Gratia à cap. 1. Vazquez disp. 97. cap. 3. Suarez lib. 4. cap. 3. Ruyzius disp. 39. sect. 3. Herice vbi supra, quòd indicatur Apocalypsis 3. illis verbis; *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Et 2. Petri 3. illis verbis: *Patienter Deus agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quia si Deus auxilium saltem sufficiens non conferret his peccatoribus, frustra eos patienter expectaret ad pœnitētiam.

Et Matth. 11. in illis verbis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Quia frustra omnes peccatores inuitaret, si eis dictum auxilium sufficiens non conferret; dictis autem testimonijs, non solū indicatur Deum esse præparatum ad conferendum dictum auxiliū; quia hæc præparatio eis non sufficeret, nisi etiam re ipsa, & cum effectu illud conferret.

Superest autem difficultas quando, & qualiter sufficiens omnibus reprobis adultis peccatoribus conferat.

Cir-

Circa prius quando scilicet conferat, supponimus, vt certum Deum dictum auxilium sufficiens, non conferre continuè est, pro omnibus momentis, adhuc peccatoribus fidelibus reprobis, vt aduertunt Bellarmin. c. 5. Vazquez num. 26. Suarez num. 9. Herice c. 5. Ruyzius disp. 47. & communiter Theologi: quòd non solùm intelligimus de auxilio proximè sufficiente; quia experientia compertum est, peccatorem sæpè non excitari, non solùm in somno, in quo certissimum est, sed nec in vigilia, & non solùm immediatè ad pœnitentiam; quia sæpè de ea non cogitat, nec de suis peccatis, sed nec mediatè ad eam excitatur; quia sæpe ad alia distractus, nihil boni cogitat intuitu cuius ei cõferatur auxiliũ proximè excitans. Vnde Deus, quamuis semper stet ad ostium peccatoris, non tamẽ continuè pulsat; sed aliquando, quod sufficit, vt Deus verè dicatur peccatori contulisse auxilium sufficiens ad salutem.

Addimus, vt optimẽ Vazquez num. 27. peccatorem non solùm non excitari continuè ad iustificationem, sed ferè semper pro aliquo tempore ante instans mortis carere auxilio sufficiẽte, & nullatenus ad bonum excitari, vt experientia constat, sed ad alia distractum occidi, aut mori.

Obseruandum tamen est peccatores aliquos, ita esse auxilio efficaci destitutos, & malo tenaciter adhærentes, vt in eo obduratos, (qualiter fuit Pharao) eis fuerit moraliter, seu admodum difficile ad pœnitentiam conuerti.

Circa posterius qualiter scilicet sufficiens reprobis peccatoribus conferatur, an proximè, an tantum remotè sufficiens, incertum est, an omnibus reprobis peccatoribus fidelibus, proximẽ sufficiens conferatur, id est, an omnes peccatores fideles reprobi proximè ad pœnitentiam excitentur: est tamen verosimilius, ferè omnes ad pœnitentiã proximè excitari, præsertim quãdo moriuntur subito, mortem præsentientes: & præsertim quando diu ante mortem fuerunt in statu peccati mortalis, vt experientia compertum est.

Est tamen difficultas de reprobis peccatoribus infidelibus, qui nihil supernaturale audierunt, quomodo eis conferatur auxiliũ sufficiens ad salutem; quia videntur carere auxilio sufficiente ad fidem, sine qua impossibile est iustificari, & placere Deo.

Circa quam primus modus dicendi, est eorum, qui docent ex eo nulli infideli adulto deesse auxilium sufficiens ad fidem; quia existimant nullum esse adultum, cui non conferatur interior vocatio, & illustratio rerum fidei quæ sunt necessariæ, ad salutem, qua proximè possint credere diuina sufficiẽte ad salutẽ, id autẽ videtur probari: quia id non repugnat fieri, imò nõ solùm à Deo immediatè, sed etiã me-

medio ministerio Angelorum, qui ad hominū custodiam dati sunt, vt patet, ergo præsumendum est ita fieri.

Hic tamē modus dicendi nobis nō placet; quia quanuis nō repugnet quòd infideles omnes interius illustrētur de rebus supernaturalibus fidei, id tamē de facto fieri, est admodum difficile creditu, & nullo sufficiēre fundamento cōstat fieri, imo multas fuisse nationes gentium, quibus nulla fuit notitia rerum supernaturalium fidei, & scriptura indicat, & experientia constare videtur.

Secundus modus dicendi est eorū, qui docēt ex eo eis infidelibus qui nihil rerum supernaturalium fidei audierunt, Deum cōferre auxilium sufficiens ad salutem; quia quanuis eis non cōtulerit auxiliū sufficiens ad credendum, & eo in se ipsis careant, eis tamē, & omnibus prouidit generalia remedia sufficientia, nempè passionē Christi & prædicatores, & scripturam, & alia, & id sufficere, vt Deus dicatur illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.

Hic etiam modus dicendi nobis non placet; quia re vera in scriptura maior prouidentia significatur erga salutem peccatorum adultorum, quam hæc generalis; quia ratione huius solius absq; media aliqua illustratione interiore, nō diceretur Deus eos illuminare, nec pulsare ad ostium, etiam si ad illud staret, & frustra etiam absq; interiore illustratione, posita sola illa generali prouidētia eos expectaret Deus ad pœnitentiam.

Tertius ergo modus dicendi nobis probatur, eorum, qui docent, quod quanuis pluribus adultis infidelibus deficiat auxilium proximè sufficiens ad credēdum; quia eis deficit exterior prædicatio, & interna reuelatio, seu illustratio fidei, nulli tamen eorum deest auxilium remotè sufficiens ad fidem proprium, & peculiare, ita Vaz. c. 5 Her. c. 6 Ruiz. disp. 46. sect. 5. & Alar disp. 5. c. 8. ex eo autem non deest dictum auxilium sufficiens, vel quia eis nō deficit sancta cogitatio, seu excitatio ad orationem pro sua salute spirituali, vel ad opera misericordiæ, vel ad alia opera, quibus à Deo promissa est misericordia ad salutem, cui cogitationi, si responderent, Deus suaui prouidentia, & absq; miraculo staret promissis, vel quia eis non deficit ad amplius, non peccandum, vel ad alia opera bona, quanuis eis non sit promissa misericordia, cui cogitationi, si responderent, Deus quanuis absq; obligatione conferret vlteriora auxilia vsq; ad fidem, imo vsq; ad iustificationem.

Ita tamen Deus confert auxilia remotè sufficientia ad fidem, & ad iustificationem, vt ea non conferat continuè, sed aliquando, imo sæpè pro tempore aliquo ante mortem prædicta auxilia denegat, vt supra dicebamus.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Deus prouideat omnibus reprobis infantibus remedia ſufficientia ad ſaluationem?

SVpponimus in quo Theologi conueniunt, Baptiſmum (ſub quo etiam comprehendimus remedium pro paruulis ante legem gratiæ inſtitutum) quem Deus in lege gratiæ pro paruulis inſtituit, eſſe illis ſufficientem ad ſaluationē: nihilominus, ſi eis applicari non poſſit, nō erit eis ſufficiens (quanuis ex ſe ſit ſufficiens) quia abſq; applicatione, non cauſat in eis ſalutem, nec cauſare poteſt: vnde difficultas eſt, an Deus ſic prouiderit paruulis (ſub quibus etiam comprehēdimus perſonas magnæ ætatis carētes vſu rationis) dictum remediū pro eis inſtitutum, vt etiam prouiderit poſſe eis aliqua humana diligentia applicari.

Bellarm. lib. 2. de gratia, c. 5. Val. 12. diſp. 8. q. 3. pun. 4. Suar. lib. 4. c. 47. & Zum. docent, nullum paruulum, ſeu infantem reprobum deſtitutum fuiſſe auxilio ſufficiente ad ſaluationem, acproinde eis prouidiſſe, vt dictum remedium eis poſſet humana diligētia applicari; quia Deus ex ſe ipſo vult omnes homines, nullo excepto, ſaluos fieri: ergo omnibus eis, nullo excepto prouidet media ſufficiētia ad ſaluationē; quia qui prudēter vult finē, vult etiā media ſufficiētia ad eū finem. Et confirmatur, quia Chriſtus Dominus omnes homines, nullo excepto, ſufficienter redemit: ergo omnibus meruit auxilia ſufficientia: ergo omnibus conferuntur, alioquin non diceretur eos redemiſſe.

Greg. verò in 1. d. 46. q. 1. Dried. de captiuit. & redempt. gener. humani, tract. 5. c. 3. Vaz diſp. 96. c. 2. & Ruiz. diſp. 49. ſect. 2. docent, & merito, non omnibus infantibus reprobis prouiſa fuiſſe à Deo remedia ſufficiētia ad ſaluationem, cui maximè fauet Aug. de natura, & gratia, c. 8. & ſæpè alibi.

Et ratione probatur, quia res aliquando ita eueniunt, vt aliquibus paruulis nulla humana diligentia poſsit remedium applicari: ergo Deus non prouidit illis remedium ſufficiens, vt poſsint ſaluari: conſequentia patet; quia nullum remedium inſtitutum, quāuis ex ſe ſufficiēs ad ſaluationē, dicitur alicui ſufficiēs, niſi ei poſsit applicari; quia abſque applicatione, nequit cauſare ſalutem: antecedens autem probatur; quia aliquando euenit, vt paruulus vi ſola naturæ, nulla interueniente negligentia, parentum nec aliorum moriantur in vtero materno, vbi non poteſt fakē inculpabiliter applicari remedium

dium, quanuis forsam Physicè posit instrumento aliquo baptismus applicari.

Quòd si respondeas in causis naturalibus, quas Deus prouidit, vt paruulus in lucem exiret: & baptizaretur, fuisse sufficientem virtutem, ad id quanuis per accidens alijs causis, secundis contrarijs fuerint impeditæ, & ita illis fuisse auxilium sufficiens prouisum, cõtra respõsionem est, quòd quanuis Deus prouiderit causas, ex se sufficientes ad partum prolis, verè tamen, & cum effectu, ita impediendæ erant, quanuis per accidens respectu ipsarum causarum, vt nulla humana diligentia potuerint expediri, ad suum effectum in lucem edẽdum; quia contrariæ non potuerũt impediri: ergo Deus eas prouidẽdo: non prouidit sufficiens auxilium; quia nulla humana diligentia fieri potuit, vt suum effectum produceret, præsertim; quia Deus sua prouidẽtia, & ordinatione, ratione cuius ipse est causa omnium euentuũ, excepta culpa, prouidit, & oppositi causas cõtrarias quibus partus impeditur.

Et præter dictum casum in quo paruuli auxilio sufficiente destituuntur; quia defuit opportunitas, & potentia humana, ad eis applicandum remedium saltem licite: etiam existimamus paruulis, nõ fuisse prouisum remedium sufficiens ad saluationem, quoties parẽtibus, aut alijs non fuit concessa cogitatio, qua excitarentur ad applicationem remedij, etiam si esset opportunitas ad illud applicandum; quia paruulis, non aliter prouidetur auxilium, quã in cura, & solicitudine adultorum, quoties autem adultis, nõ conceditur dicta cogitatio, quanuis sit opportunitas, nequeũt curare de paruulis, & idem est quoties, non est opportunitas, aut potentia vt in primo casu, quanuis sit cogitatio, seu excitatio ad applicandum.

Tunc ergo solum prouidetur paruulis auxilium sufficiẽs, quoties parentibus, aut alijs adultis conceditur opportunitas, & simul cogitatio ad applicandum remedium, vel ad euitandam mortem, vel ad aliam occasionem, ob quam applicari non potest; quia solùm tunc potest eis applicari remedium efficax; quòd si transacta illa occasione, & opportunitate, postea deficiat vna, aut altera, aut vtraq; pro tunc deficiet auxilium sufficiens, quanuis pro tempore anteriore nõ defuerit: paruulis ergo non semper, & continuè confertur in adultis auxilium sufficiens, sicut, nec ipsis adultis pro se ipsis.

Vnde existimamus, quòd quando mulier prægnans exit domo, & facit aliud, ob quod ex tunc nequit remedium applicari, tunc deficit puero auxilium sufficiens, quanuis pro anteriore tempore fuerit prouisum, si concessa fuerit matri cogitatio, non exeundi, vel non faciendi illud aliud, ob quod futurum est, quod remedium

dum non applicetur, si simul etiam fuerit opportunitas, aut potētia illud applicandi.

Ad rationem ergo aduersariorum, respondemus concedendo, Deum ex se ipso etiam præuiso peccato originali, cōtracto in vnoquoq; voluisse, seu desiderasse omnibus gloriam, ex eo tamen nō sequitur omnibus prouidisse remedia sufficientia, sed ad summū sequi ea illis desiderasse; quia prædicta volūtas gloriæ nō fuit efficax intentio, sed simplex tātū desiderium, ex quo quanuis perseueret, nō oritur necessario electio mediorū, adhuc sufficientiū, vt cōtingit in nobis, qui plura simplici desiderio cupimus, ad quorū cōsequutionem, aut nullū apponimus medium, aut nullū sufficiēs, vel quia ea medio apponere est nobis molestū, vel quia ea nō apponere expedit ad alia quæ magis cupimus, vt cōtingit in cupiente nō proijcere merces in mare, etiam quando instat manifestū periculū mortis, qui in eo casu nullū apponit medium ad nō proijciendum; quia nō apponere ei expedit ad saluandam vitam, quam magis cupit, quā merces: Deus ergo quanuis paruulis reprobis desideret gloriam; quia tamen magis cupit ostendere liberalitatem suam erga prædestinatos, ad quod expedit nōnullis paruulis nō prouidere remediū, adhuc sufficiens, ideò nō prouidit illis. Ad probationē autem respondemus, nō esse imprudentis velle finem, quanuis non appetat media sufficientia, quando nō vult efficaciter finem, sicut Deus non vult gloriam reprobis: præsertim, quia negari non potest Deum omnibus hominibus, etiam illis paruulis aliquod remedium prouidisse, quanuis eis nō sufficiens, passionem videlicet Christi, & institutionem remedij ad remissionē originalis contracti.

Ad confirmationem respōdemus concedendo, Christum pro omnibus mortuum fuisse, eosq; sufficienter redemisse, & pro omnibus pretium obtulisse, & quoad sufficientiam omnibus meruisse auxilia sufficientia, imò & efficacia ad gloriā, nō tamen fuisse omnibus collata efficacia ad gloriam, imò nec sufficientia, quanuis omnibus etiā efficacia meruerit; quia Deus ob fines sibi placitos, nulli cōfert omnia, quæ Christus meruit, pluribus verò confert plura, alijs sufficientia, & etiam efficacia ad gloriam, alijs verò sola sufficientia, vt ferè omnibus paruulis reprobis, aliquibus verò paucis ex infantibus, nullum adhuc tantum sufficiens: vnde illi re vera ex meritis Christi, nullum perceperunt fructum; quia Deus noluit illis aliquem conferre, quanuis pro eis Christus mortuus fuerit.

DIF-

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm prædestinatio sit certa, & infallibilis?

DIfficultas hæc procedit de certitudine prædestinationis, quoad assequutionẽ effectuum illius præsertim saluationis, seu gloriæ: in eo autem distinguũtur certum, & infallibile à necessario, & ineuitabili, quod certum & infallibile attribuuntur cognitioni, & rebus, prout subsunt cognitioni, & eodem modo incertum, & fallibile, ne cessarium verò, & ineuitabile attribuuntur rebus ipsis secundum se, & eodemmodo cõtingẽs, & euitabile: cognitio enim, & res, prout cognitioni subest, est, quę dicitur certa, & infallibilis, aut incerta, & fallibilis: res verò secundum se, dicitur necessaria, & ineuitabilis, aut contingens, & euitabilis.

Circa difficultatem ergo, ratio dubitandi pro parte affirmatiua, desumitur ex illo 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, vbi verbo *satagite* supponitur electionem nostram nõ esse certam, & etiam facit illud 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meũ, & in seruitutem redigo ne forte cum alijs prædicauerim, ego reprobus efficiar*. Et cõfirmatur, quia merita & gloria prædestinati, quę sunt effectus prædestinationis, nõ necessario, sed contingenter futura sunt; quia prædestinatus potest nõ mereri, & nõ saluari; quia libere meretur, & saluatur: ergo nequeũt esse obiectũ cognitionis certæ, & infallibilis, seu tali cognitioni subesse.

Conueniunt tamẽ Theologi prędestinationem, quoad assecutionem suorum effectuum esse certissimam, & infallibilem, quòd significatur Ioa. 10. *Oues meæ vocem meam audiũt, & sequuntur me, & ego vitã æternam do eis, & nõ peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea*, & 1. Ioan. 2. *A nobis exierũt, sed nõ erunt ex nobis, si enim ex nobis fuissent, permansissent vtiq; nobiscum*: ex quo Aug. de bono perseuerant. c. 8. certitudinem prædestinationis deducit, dum ait: *Non erant ex eis: quia non erant prædestinati si hoc essent ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent*: Quòd etiam satis significat Aug. eodem lib. c. 14. illis verbis quibus definit prædestinationem: *Est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

Et ratione probatur: quia prędestinatio, aut formaliter cõsistit in decreto efficaci dandi prædestinatis gratiam, & gloriam, aut saltem illud præsupponit, aut connotat, omne autem decretum efficax Dei in-

infallibiliter impletur, vt ex efficacitate diuinæ voluntatis patet, & deducitur ex illo Isaiç 46. omnis mea voluntas fiet: ergo prædestinatio quoad omnes suos effectus, est certissima, & infallibilis, seu quod idem est, prędestinatio quoad omnes suos effectus est obiectū cognitionis certissimè, & infallibilis.

Et idem ob eandem rationem dicendū est de reprobatione, quod scilicet certissima sit, & infallibilis, quoad suum vnicū effectū, nēpè quoad damnationem æternam; quia scilicet cōsistit in decreto efficaci diuinę voluntatis dānandi reprobos in ęternum, vt dixim. dis. 4 quod semper infallibiliter impletur, & id etiam deducitur ex illo Apocal. 20. *Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, mīssus est in stagnum ignis.*

Ad rationem autem dubitandi, desumptam ex illo 2. Pet. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram electionem faciatis*: Respondemus his verbis nō significari prædestinationem nō esse firmam, & stabilē, vel quia vox *certam*, idem significat quod compertam, & notam, vt volunt S. Th. Oecum. & Beda, itaut sensus sit quātum humana cōiectura patitur, bonis operibus curent, vel ipsi reddi certiores suæ electionis; vt vult S. T. vel alios qui eos intuentur certiores facere, vt volunt Oecumenius, & Beda, vel quia quanuis vox *certam*, idem significet, quod vox *firmam*, & *stabilem* illud tamen verbum *satagite*, non denotat electionem nostram, quoad suos effectus esse instabilem, & incertam, sed solam firmitatem, & certitudinem prędestinationis, quoad suos effectus pendere à nostra libertate, & consensu; quia omnes effectus, excepta prima vocatione, vt præueniente, pendent à nostra libertate.

Illud verò Pauli 1. ad Corinth. 9. non facit contra nos; quia vox *reprobus*, non significat destinatum ad pœnam æternam, nec nō destinatum ad gloriam. Sed improbum, seu malum: Paulus enim, vt non fieret improbus, & dignus pœna ęterna, castigabat corpus suum.

Et ad confirmationem respondemus, eos effectus prædestinationis esse futuros liberè, & contingentur cōtingentia antecedente, seu ex parte causæ, & nōnecessario necessitate antecedēte, & simpliciter, cōsequēter tamen, & ex suppositione futuritionis eorū esse futuros necessario, & inuitabiliter, & hoc sufficere, vt possint cognosci à Deo scientia visionis infallibiliter, & certo, seu esse obiecta visionis certę; quia scilicet sunt determinatè futuri, vt de omnibus futuris cōtingentibus diximus tract. de scientia disp. 4. dis. 7. & 8. & ex eo ipsi dicuntur certi, & infallibiles; quia scilicet subsunt visioni diuinæ, certę, & infallibili.

Quia

Quia ergo effectus prædestinationis sunt determinatè futuri, & consequenter ex suppositione talis futuritionis sunt necessario futuri necessitate ex suppositione; quia omne quod est futurum quando est futurum necesse est, esse futurum, ideò dicti effectus ex dicta suppositione sunt, & dicuntur necessarij, & ineuitabiles, & obiectiuè certi.

Addimus effectus prædestinationis, ex suppositione decreti prædestinationis esse obiectiuè certos, & antecedenter necessarios, prout sunt à Deo futuri; quia prout futuri ab ipso sunt futuri, seu efficiendi ipso diuino decreto, tamquam principio, & causa, quòd semel à Deo habitum, nequit in se ipso deficere, nec suo effectu frustrari, absolutè tamen sunt à Deo liberi futuri; quia decretum, quo futuri sunt est à Deo absolutè liberum, quoad applicationem ad ipsos efficiendos; quia ita pro libertate Dei fuit applicatum ad efficiendos illos, vt potuerit illud non applicare, & quamuis ex dicta suppositione decreti sint necessario futuri à Deo dicta necessitate antecedente, in ipso tamen priori, ante ipsorum futuritionem non videntur à Deo; quia non in se ipsis; quia in eo priori nondum sunt futuri, nec videntur in ipso decreto; quia in eo, vt potè re ipsa absoluto à suis effectibus, neqeũt cognosci, vt generaliter diximus Tractatu de Scientia, disp. 4. dif. 6. Vnde dicta certitudo obiectiua, antecedens eorum effectuum, seu eorũ necessitas antecedens, prout sunt â Deo, oritur ex dicto Diuino Decreto, seu prædestinatione ipsorum; quia ex eo oritur, imò necessariò antecedenter eorum determinata futuritio, qua suppositâ Deus eos certissimè cognoscit, & videt.

Quomodo verò opera nostra, prout à nobis non sint necessaria, antecedenter adhuc ex suppositione Diuini decreti, quamuis sint necessariò futura à Deo dicemus difficult. 12. ex eo ergo quod prædestinatio sit Deo certa, non sit prædestinatum necessitari antecedenter ad omnes effectus ipsius prædestinationis; quia non necessitatur ad opera bona, ex auxilio gratiæ prouenientia, quæ sunt effectus prædestinationis; quia ad ea non necessitatur dicta scientia diuina visionis, qua ea certo, & infallibiliter cognoscit absolutè futura; quia dicta scientia supponit eorum futuritionem absolutam liberè prouenientem à voluntate creata, vt dixim. tract. de scientia disp. 4. dif. 7. & 8.

Nec necessitatur ad ea opera visione conditionata, qua Deus ea videt futura sub conditione; quia ea visione non necessitatur ad ea, seu ad eorum consensum, sub conditione futurum; quia ea visio supponit eius futuritionem, sub conditione futuram, quòd si hac visione

ſione conditionata non neceſsitatur prędeſtinatus ad conſenſum ſub conditione futurum, nec ea neceſsitabitur ad conſenſum abſolutè futurum; quia iſte eſt omnino idem cum conſenſu eliciendo poſita conditione; quia iſte conſenſus ſub conditione futurus non eſt de præſenti, ſeu ſubiectiuè exiſtens, ſeu elicitus expectans conditionem, non vt eliciatur, ſed vt iam elicitus perficiatur, ſeu compleatur poſitione conditionis, vt contingit in contractibus, qui de præſenti fiunt ſub conditione futura, non vt poſita conditione fiant; quia iam ſunt facti, ſed vt compleantur; quia quod eſt ſic conditionatum non reliquit libertatem ad abſolutum poſita conditione, ſed tantum eſt conditionatus obiectiuè futurus expectans conditionem, non vt puram conditionem, vt iam factus compleatur, ſed vt cauſam à qua ſit futurus, ſeu eliciendus, ac proinde ſenſus huius propoſitionis ſi ponatur: *Hæc vocatio erit conſenſus*, eſt ſi ponatur hęc vocatio, ſeu poſita hac conditione cõſenſus erit abſolutè futurus, ac proinde, quamuis conſenſus ſub cõditione futurus non exiſtens actu ſit quaſi prior; quia tamen nõ eſt prior in ſe ipſo, ſed ratione ſtatus, & non ſtatus ſubiectiui, ſed tantum obiectiui, ideò nec ipſe, nec viſio diuina illius neceſsitat ad ſe ipſum, vt abſolutè futurum, nec neceſsitatur prædeſtinatus ad opera, ſeu ad conſenſum auxilio efficaci ad ipſum conſenſum præſuppoſito, de quo diximus Tractat. de Auxilijs, nec neceſsitatur decreto alicuo efficaci, quo Deus eum conſenſum decernit, vt dicemus dif. 12.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm numerus prædeſtinatorum ſit certus?

CONueniunt Theologi, non ſolùm prædeſtinationem, prout applicatam ſuis effectibus eſſe certam, vt iam vidimus, ſed etiã vt applicatam ipſis ſubiectis, ſeu perſonis prędeſtinatis, quibus cõferũtur; quia eodem diuino decreto efficaci (quòd ſemper impletur infallibiliter) perſonę prædeſtinatæ præordinãtur in eos effectus, & eodem ipſis conferuntur.

Quòd ſi perſonę prædeſtinatæ ad effectus prædeſtinationis ſunt prædeſtinatæ diuino decreto efficaci, ob quod certum eſt perſonam prædeſtinatam eſſe prędeſtinatam, etiam erit certum (in quo etiam Theologi conueniunt) quæ perſonæ ſint prędeſtinatæ, & quot perſonæ ſint prædeſtinatæ, ac proinde numerum prędeſti-

natorum esse determinatum, & certum, non solum materialiter, id est quæ personæ in singulari, sed etiam formaliter, ideſt, quot personæ sint prædestinatæ.

Certitudo ergo prædestinationis, quo ad eius effectus, & quoad personas in singulari prædestinatas, & quoad numerum earum, ita vt, nec augeri, nec minui possit saltem cõsequenter oritur radicaliter ex decreto Dei, quo effectus prædestinationis præparãtur, & personis prædestinatis, his videlicet personis, & tot personis: dicta autẽ certitudo inuenitur radicaliter obiectiuè in ipso decreto; quia est radix obiecti prædestinationis, in ipsis verò effectibus, & in ipsis personis inuenitur obiectiuè proximè, & in visione Dei, qua eos effectus, vt cõferendos, & eas personas, vt eis conferendos videt, inuenitur proximè formaliter.

Et ob eandem rationem, etiam numerus reproborum est determinatus, & certus formaliter, & materialiter, itavt saltem consequenter, nequeat augeri, nec minui.

Quæ autem dicta sunt de certitudine prædestinationis, & reprobationis, & de certitudine numeri prędestinatorum, & numeri reproborum, vera sunt de prædestinatione, & reprobatione hominum, & Angelorum; quia eadem currit ratio in prædestinatione, & reprobatione vtrorumque, desumpta radicaliter ex decreto efficaci Dei, quo homines, & Angelos prædestinauit, & reprobauit, & ex effectibus, vt conferendis personis, & ex visione eorum, cui non potest subesse falsum, desumitur proximè, ex hac formaliter, & ex illis obiectiuè.

His ergo suppositis supereſt difficultas, an numerus prædestinatorum sit maior, an minor, quam numerus reproborum.

Et primo est difficultas, an ex Angelis numerus prædestinatorum, sit maior, an minor numero reproborum.

Circa quam S. Th. q. 63. ar. 9. Moli. q. 23. ar. 7. & Bellar. li. 2. de gratia, & libero arbitrio c. 15. Gran. tract. 11. disp. 3. Ruiz. disp. 50. sect. 4 & Alar. disp. 6. c. 2. docent ex Angelis maiorem esse numerum prædestinatorum, quam numerum reproborum, quod absque dubio tradit Cyrillus Alexandrinus libr. 1. in Geneſim, in quod nos aliquantulum inclinamus ob authoritatem tradentium hanc doctrinam præsertim Cyril. & Sancti Thomæ, sed non firmiter; quia nullum ad id adest firmum fundamentum; quia illud Apocalysis 12. Quòd est maius fundamentum huius assertionis, vbi dicitur Draconem traxisse tertiam partem stellarum in terram, est incertum intelligi de lucifero, & Angelis quos decepit; quia Richardus Viegas, & Ribera, id tantum intelligunt de homini-

bus

bus insignibus euertendis ab Antechristo,& alij id alio modo explicant.

Secundò est difficultas,an ex hominibus numerus prædestinatorū sit maior,an minor numero reproborum.

Circa quam cōueniunt Theologi ex omnibus hominibus maiorem esse numerum reproborum,numero prædestinatorum;quòd videtur fide diuina certum;quia id significatur Mat.7.illis verbis Christi Domini: *Lata porta,& spaciosa via est,quæ ducit ad perditionem,& multi sunt,qui intrāt per eam;quā angusta porta,& arcta via est,quæ ducit ad vitā,& pauci sunt,qui inueniūt eam;* quòd etiā quasi oculis cernimus;quia multitudo fidelium,tàm ante Euangelium, quàm post comparatione infidelium, ex quibus nullus saluatur est peruigua.

Prædicta autem doctrina est vera,non solùm comparando infantes infidelium cum infantibus fidelium ; quia infantes infidelium sunt multo plures,quàm infantes fidelium, & infantes infidelium fere omnes damnantur ; quia paucissimis ex eis applicatur remedium remissiuum originalis peccati, & etiam nonnulli quamuis pauci infantes fidelium ; quia nonnullis non applicatur remedium , sed etiam comparando adultos in infideles, cum adultis fidelibus ; quia adulti infideles sunt multo plures, quam fideles, & omnes infideles damnantur , & non pauci ex fidelibus.

Comparatione verò facta inter solos adultos fideles,nihil firmiter iudicamus;quia nullum ad id se nobis offert firmum fundamentum: verosimilius tamen nobis videtur maiorem esse numerum reproborum:& non solùm facta comparatione inter fideles , ex quibus aliqui deficiunt à fide,sed etiam inter solos fideles,qui perseuerant in fide:& non solùm inter fideles ante legem gratiæ, sed etiam inter solos fideles Christianos;quia id suadet modus communis viuendi fidelium,etiam baptizatorum.

Et comparatione facta inter fœminas fideles adultæ ætatis ex vna parte, & inter viros adultos fideles ex altera contra Marsilium libr.2. sententiarum,quæstione 13.dubio 4. existimantem vtrumque numerum, quoad prædestinationem esse parem,nos inclinamus,ad iudicandum plures fœminas esse prædestinatas quam viros;quia viri licentiosius viuunt,quam fœminæ: cui accedit quod multi viri post legem gratiæ moriuntur sine Sacramentis,& ante legem gratiæ mortui sunt,minus præparati quā fœminæ,in bellis,& in naufragijs,& in itineribus maris,& fluminum,& latronum,& in rixis etiam in propria patria.

Tertiò est difficul. an comparatione facta inter homines ex vna parte, & inter Angelos ex altera numerus hominũ prædestinatorũ sit maior, an minor numero Angelorum prædestinatorum.

Circa quam sunt qui existiment tot esse homines prædestinatos, quot Angelos cui fauet Greg. hom. 34. in Euang. nihilominus, quãuis hoc sit verisimile ob auctoritatem Greg. est tamen parum firmũ, quia nõ apparet firmum aliquod fundamẽtum cui id, & Greg. innitantur, addit Greg. (cui fauet Ansel lib. cur Deus homo, capit. 18. & Aug. in Enchirid. cap. 19.) maiorem esse numerum hominum prædestinatorum numero dęmonum, seu Angelorum reproborũ, id tamen solus Deus scit.

Addimus in quo Catholici cõtra hæreticos, cõueniũt neminem in hac vita absq; speciali reuelatione Dei posse, esse certum de sua, nec de prædestinatione alterius, vt definit Trid. sess. 6. c. 12. & tradũt Aug. de corrept. & grat. c. 13. & alij Patres quos referunt Gonç. disp. 76. sect. 2 & Rui. disp. 56. sect. 2. & id satis significatur in Scriptura dum in ea dicitur neminem scire, seu certo cognoscere se perseueraturum, seu moriturum in gratia, Eccl. 9. *Nescit homo finem suũ, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues Lacheo cõprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, eũ eis statim superuenerit*: quòd etiã ex se patere videtur (imo nec potest certo scire se esse in gratia Eccle. 9. & Prouer. 20.) quia autem non scit certo se moriturum in gratia, nequit certo scire se esse prædestinatum.

Nihilominus, quãuis nullus possit esse certus de sua, nec de prędestinatione alterius: id tamẽ potest probabiliter iudicare, nõ solũ de sua prędestinatione, sed etiam de prędestinatione alterius, & in primis de sua prędestinatione; quia potest satis probabiliter iudicare se Deum actu charitatis diligere, & se Sacramẽtum sufficiẽte dispositione recepisse quorũ, quolibet infallibiliter iustificatur, & etiam potest probabiliter iudicare se moriturũ in gratia, quãuisminus probabiliter quam se esse in gratia, fundamẽto desumpto ex sua dispositione, & ex suo modo viuendi, & ex firmo proposito nõ peccandi mortaliter: deinde potest quis probabiliter iudicare alterum esse prædestinatum; quia potest probabiliter iudicare eum moriturũ in gratia ductus cõtinuo modo rectè viuendi illius: imo potest certò cognoscere infantem iam mortuum, esse prædestinatum, & beatum si eum baptizauit; quia potest esse certus se eũ baptizasse, & intentione faciendi, quòd facit Ecclesia.

Ita tamen certum est has personas determinatas in singulari esse prædestinatas ad gloriam, seu saluationem, vt quamuis nõ essẽt prædestinatæ, potuerint antecedẽter saluari, absq; prædestinatione,

&

& absque effectibus illius, seu ipsi proprijs, non solùm, quia quamuis non essent prædestinatæ possent, solo auxilio sufficiente (quod non est effectus prædestinationis) antecedenter iustificari, & in ea iustificatione perseuerare vsque ad mortem, & saluari; sed etiam, quia ipsis effectibus prædestinationis materialiter sumptis, idest, non collatis à Deo, ex desiderio glorię, qui tunc conferuntur decreto, quod formaliter non esset prædestinatio, possent saluari; de facto tamen nullus absque prædestinatione formali, & absque effectibus ipsi proprijs saluatur; quia de facto nullus saluatur absque eis medijs gratię, quæ de facto conducunt ad assecutionem glorię collatis, ex desiderio talis assecutionis, & consequenter, nec absq; prędestinatione formali, qua ea media, seu ij effectus sic pręparantur, & conferuntur; quia prædestinatio formaliter sita est in pręparatione mediorũ, quibus de facto certissimè saluantur, quicunq; saluantur, & collatorum ex desiderio gloriæ.

Vnde quamuis prædestinatio non sit antecedenter necessaria ad saluationem; quia absque prædestinatione, & absque effectibus illius possumus antecedenter saluari; quia in eis, vt proprijs prædestinationis non est aliquid proprium, quòd prædestinatis sit necessarium in actu primo ad saluationem; quia solo auxilio sufficiente communi prædestinatis, & reprobis possunt. Nihilominus prædestinatio est prædestinatis comitanter, aut consecuenter necessaria ad saluationem, quia absque ea, seu absque eius effectibus nullus de facto saluabitur, quamuis prædestinatio sumatur formaliter pro decreto, videlicet effectuum ipsius, quasi habito ex desiderio gloriæ; quia absq; eo decreto sic formaliter sumpto, & absq; effectibus ab eo procedentibus nullus de facto saluatur.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Deus suo decreto efficaci præfinierit immediatè opera nostra ante nostram cooperationem futuram?

SVpponimus primo, vt certum Deum opera nostra bona ab æterno immediatè, seu in ipsismet præfinijsse, seu prædefinijsse, vt significat Paulus ad Ephesios 2. *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, vbi præparauit*, idem est, quòd *prædecreuit, prædefiniuit, & præ-*

destinauit, vt supra dictis verbis Athan. aut Theoph (cuius fuerit opus illud) expressit, ratio autem est; quia Deus in tempore omnia nostra opera bona immediatè operatur, vt dixim. disp 1. dif. 3. & significatur Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Dominus*, Quæ autem à Deo immediatè fiunt, non aliter quam æterno decreto suæ voluntatis fiunt, vt patet, & significat Paulus ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: ergo Deus ab æterno decreuit, præfiniuit, & prædestinauit immediatè opera nostra bona; quia antequam existant, & durent, decernuntur, seu definiũtur à Deo, vnde particula *præ*, dictis verbis superaddita ad minus prioritatem durationis denotat sicut quando superadditur scientiæ visionis Dei, qua dicitur præscire, & præuidere res iam futuras antequam actu existant.

Et ob eandem rationem existimamus, in quo Theologi cõmuniter cõueniunt, omnia opera nostra non solum libera bona, sed etiam mala, quoad substãtiam actus secluſa malitia, & omnia opera necessaria fuisse à Deo præfinita, seu præ decreta; quia in se ipsis immediatè omnia in tempore operatur.

Secundò supponimus ita omnia, & singula opera nostra fuisse à Deo præfinita, vt nõ in communi, & in vniuersum, & cõfusè (vt quidam arbitrantur) sed sigillatim, distinctè, & singulari fuerint præfinita; quia Deus in tempore ea omnia sic operatur, ac proinde medio decreto habito ab æterno, sic circa ea versante.

Tertiò supponimus præfinitionẽ, & decretum, quo Deus omnia, & singula fieri decreuit esse absolutũ, & nõ conditionatũ; quia Deus nihil efficit, nisi decreto iam absoluto; quia decreto purè conditionato, non existẽte subiectiuè, sed tantum obiectiuè, nihil fieri potest, vt patet, imo nec conditionato ex parte obiecti, quanuis absoluto ex parte actus dum pendet à conditione.

His ergo suppositis, controuersia est, an dictum decretum, seu præfinitio, qua Deus prædestinauit immediatè omnia opera nostra, præsertim bona, sit in Deo ante cooperationem nostram etiam ordine, & prioritate causalitatis, seu naturæ, ita vt particula *præ* etiam denotet hanc prioritatem.

Circa hanc controuersiam Aluar. disp. 22. & 24. Gonçal. dispu. 57. & 59. Ruyzius de Prouidentia disp. 9. à sect. 2. & plures alij docent Deum suo decreto efficaci præfinijsse causaliter omnia opera nostra, non solum bona, sed etiam mala, quoad substantiam ante futuritionem nostræ cooperationis, ac proinde dictum decretum etiam esse prius prioritate causalitatis cooperatione nostra. Quod probari videtur. Primò, quia Deus omnia opera nostra operatur, & effi-

efficit,& non aliter quam decreto ſuo efficaci,& æterno : ergo decretum Dei antecedit opera noſtra,non ſolũ æternitate,ſeu duratione,ſed etiam cauſalitate;quia re vera eſt cauſa noſtrorum operum. Secundò,quia Deus eſt prima cauſa efficiens omnium effectuum,excepta culpa:ergo ordine cauſæ efficientis prius concurrit ad effectum,quam quælibet cauſa ſecunda;quia ex eo ſolum videtur, quod ſit & dicatur cauſa prima:ergo prius decernit noſtram operationẽ, quàm ſit futura à nobis. Tertiò,quia ſi Deus non præfiniret opera noſtra, ante cooperationem noſtram futuram, non haberet perfectam prouidentiam,circa illa; quia euenirent Deo à caſu,& prẽter eius intentionem,& nõ quia ab ipſo fuiſſent intenta, præfinita,& præuiſa.

Greg.Arimin.in 2.d.28.q.1.art.3.& alij recentiores docẽt Deum ſuo decreto efficaci præfiniſſe opera noſtra bona,ante cooperationẽ noſtram futuram,& conſequenter decretum Dei ; etiam eſſe prius prioritate cauſalitatis cooperatione noſtra futura ad opera bona,eſſe verò poſterius ordine,quaſi cauſalitatis cooperatione noſtra futura ad opera mala.

Prior pars probari videtur,ſaltem teſtimonijs Scripturæ,&Sãctorum Patrum, in quibus opera noſtra bona dicuntur à Deo præparata,præfinita,& drẽdeſtinata,eis tamen ſolum conuincitur decretum Dei,quo opera noſtra decernit antecedere æternitate,& duratione opera noſtra,vt præſentia (quòd nos ſupponimus vt certum) non verò antecedere cauſalitate,de quo ſolũ eſt controuerſia. Probari autẽ videtur;quia in bonis Deus prius operatur in tẽpore quã nos;quia quoties bona agimus Deus in nobis, vt operemur operatur,vt definitur in Concil.Arauſic.2.cano.9.ergo in omnibus operibus bonis,præfinitio Dei prior eſt prioritate cauſalitatis noſtra cooperatione futura.

Poſterior pars,nẽpè Deum decreuiſſe opera noſtra mala,poſt cooperationem noſtrã futuram. Probatur primo ex Concil.Valen.ſub Loth. c.3.dum dicitur,peccatum à Deo nõ prædeſtinari: cui conſentiunt Proſp.Fulg.& Bed.deinde probatur ratione ; quia ſi Deus ex ſe ipſo actum peccati præfiniret,& nos ad illum ante noſtram determinationem moueret,Deo potius deberet tribui peccatum,quã nobis;quia ipſe nos deſtinaret,& incitaret ad actum ad quem malitia conſequitur.

Catherin.in Opuſc.de præſcientia & prouidentia Dei,c.vltim. Corduba lib.1.q.55.dubio 10 Iulius Sirenus lib.8.de Fato,à capit. 11.Oſorius libr.9.de iuſtitia, docent nulla opera noſtra, nec bona, nec mala, quoad ſuam ſubſtantiam fuiſſe à Deo præfinita ante

cooperationem nostram futuram sed tantum post eam: existimant enim cooperationem nostram, in tempore præsentem esse priorem prioritate naturæ, seu causalitatis cooperatione Dei; quia inter cooperationem Dei, & nostram, & inter decretum Dei, & cooperationem nostram futuram est ordo causalitatis, seu naturæ; quia est impossibile duas voluntates, adhuc nostram, & diuinam coniungi in simul volendo, & causando eumdem actum, nisi à casu, & fortuitò, sed decretum Dei, nequit esse prius volitione nostra futura, aliàs in nobis nulla esset libertas; ergo è contra, volitio seu determinatio nostra futura ordine causalitatis, & naturæ, est prior decreto Dei, ex quo nonnulli existimant hanc causalem esse admittendam: *Ideo Deus decernit, & vult me loqui, quia ego volo*, & nō è contra, *ideò ego volo loqui; quia Deus id decernit, seu vult.*

Vazquez ergo disp. 99. à c. 5. Lesius de gratia efficaci, c. 4. Alarcon disput. 1. capitul. 6. & plures alij docent decretum efficax Dei, seu præfinitionem, qua sigillatim præfinit opera nostra, tàm bona, quam mala, quoad substantiam, non esse priorem, nec posteriorem ordine causalitatis, seu naturę cooperatione nostra futura, sed simul.

Prima pars nempè præfinitionem Dei, non esse ordine causalitatis priorem nostra futura cooperatione, significatur à Damasceno lib. 2. de fide, cap. vltimo, dum ait: Illud scire interest Deum omnia præscire, sed non omnia præfinire: præscit enim omnia, quæ in nostra potestate, & arbitrio sunt, & non præfinit, & reddit rationem: nec vitium admitti vult, nec rursus virtuti vim infert. Et id magis expressit libro contra Manicheos prope finem, dum ait, Deus ea, quæ in nostra sunt potestate præsciens nimirum virtutē, & vitiū ea demū præfinit, quæ in nostro libero arbitrio minime consistunt.

Damascenus ergo existimat Deum non præfinire opera nostra virtutis, & peccati ante nostram libertatem, seu ante nostrum consensum futurum, etiam si ea omnia præsciat. Alia verò, quæ non sunt libera seu in nostra potestate præfinire ante nostrum consensum liberum, quamuis non ante cooperationem nostram non liberam: Vbi Damascenus aliter, quam alij Patres sumit præfinitionem non pro decreto sola duratione antecedente opera nostra libera: quia illud non negat, sed pro decreto etiam causaliter antecedenter, vt deducitur ex ratione ipsius, nempè, *quia si præfiniret*, cogeret, seu vim afferret.

Deinde eadē prima pars ratione à priori probatur; quia non aliter se habet decretū Dei respectu nostræ determinationis, seu cooperationis, ac se habet cōcursus & cooperatio ipsius Dei; quia determinatio

seu

ſeu cooperatio noſtra ratione ſui formaliter, vt noſtra non pendet à diuino decreto, niſi identicè quatenus, ſcilicet eſt eadē, & identifica tur cum concurſu diuino, cuius decretum diuinū eſt cauſa, & Deus nō aliter decernit immediatè opera noſtra, niſi quatenus decernit cō currere nobiſcū quia nō aliter efficit opus noſtrum, niſi cōcurrēdo, & Deus non aliter decernit efficere, quam efficit, ſed concur us, & cooperatio Dei non eſt in aliquo priori naturæ, ſeu cauſalitatis ante cooperationem noſtram; quia cooperatio noſtra non pendet à concurſu Dei; quia cooperatio noſtra, & concurſus Dei re ipſa ſunt vna, & eadem, & indiuiſibilis entitas, & actio: ergo decretum Dei, adhuc in priori naturæ, non eſt prius noſtra cooperatione; quia noſtra cooperatio formaliter, vt noſtra cooperatio non oritur ex diuino decreto, tamquam ex cauſa ſicut concurſus, & cooperatio Dei non oritur ex nobis; ſed ex Deo, niſi identicè.

Vnde, quanuis diuinum decretum ſit prius prioritate dependentiæ, ſeu naturæ, & cauſalitatis, actione noſtra, prout eſt concurſus Dei; quia eſt cauſa concurſus prout à Deo, non tamen eſt prius prioritate naturæ, & cau alitatis eadem actione, prout eſt cooperatio noſtra; quia huius, vt noſtræ noſtra voluntas eſt cauſa non diuina, & ita quamuis Deus in eo priori ſigno, ante ſuum concurſum futurum, ſit prædeterminatus, & neceſsitatus ad concurrendum ex ſuppoſitione ſui decreti, non tamen voluntas noſtra ad noſtram cooperationem; quia decretum Dei, non eſt decretum noſtræ cooperationis. Deus enim non decernit, quòd voluntas noſtra cooperetur, ſed ſolum decernit, concurrere cum ea; quia Deus ſuo decreto efficaci, nihil aliud decernit, niſi quod medio ipſo efficit, ſeu exequitur, & circa opera noſtra nihil aliud efficit, nec efficere poteſt immediatè, quam nobiſcum ad ea immediatè concurrere.

Ex quo deducimus alias duas partes noſtræ ſententiæ, nempè decretum ſeu prædefinitionem Dei, qua immediatè præfinit opera noſtra, non eſſe ordine cauſalitatis poſteriorem noſtra cooperatione futura, ſed eſſe ſimul cum ea; quia concurſus Dei, non eſt poſterior, ſed ſimul (imò idem) cum cooperatione noſtra, idem autem ordo aſsignandus eſt inter decretum Dei, & inter noſtram cooperationem, ac eſt inter concurſum Dei, & inter noſtram cooperationē vt noſtram, niſi quia attingit concurſum ipſius Dei, identificatū cum cooperatione noſtra.

Et ob eamdem rationem, vt aduertit Vazquez num. 50. præfinitio, & decretum Dei, quo immediatè decernit opera cauſarum naturalium, v. g. ignis, & aquæ non eſſe prius cooperatione futura illarum; quia nō aliter decernit immediatè opera illa, quam decernē-

do

do concurrere ad illa; quia nihil aliud efficit circa illa, nisi ad ea concurrere.

Ex dictis etiam deducimus, voluntatem, qua Deus vult immediatè aliquam operationem, vt finem ante electionem medij physici; quia physicè concurrit, tamquam causa ad illam operationem, non posse esse efficacem, sed tantum inefficacem, seu simplicem; quia nequit habere intentionem efficacem, circa operationem alicuius causæ ante futuram cooperationem talis causæ, & consequenter, nec ante electionem talis causæ, quam eligit vt medium.

Quòd si obijcias concursus noster, & concursus Dei sunt re ipsa simul (imò idem omnino, & indiuisibiliter) sed decretum diuinum est prius causalitate concursu ipsius Dei; quia est causa illius: ergo etiam est prius causalitate nostro consensu, & cooperatione. Respondemus concedendo totum antecedens, & negando consequentiam; quia quamuis concursus noster, & concursus Dei sint re ipsa vnus, & idem materialiter, non tamen formaliter; quia vt procedit à Deo, non procedit à nostra voluntate, & è contra, vt procedit à nostra voluntate, non procedit à Deo, & quia Deus est causa sui concursus medio suo decreto, quasi principio, & voluntas nostra est causa sui concursus se ipsa, & principijs in ea intrinsecè existentibus, & non medio decreto diuino, ideò decretum Dei est prius causalitate concursu Dei, vt est Dei; quia illius vt est Dei est causa, non verò & prius cooperatione nostra; quia illius vt est nostra non est causa, sed tantũ nostra voluntas, ea proportione, qua vnus, & idem motus, prout ab agente est actio, & posterior causalitate ipso agente, & non est posterior passo, & prout recipitur in passo, est passio, & posterior causalitate ipso passo, & non ipso agente, quãuis actio, & passio sint vna, & eadem entitas motus.

Ad primam ergo rationem prim. sentent. Aluarez, & aliorum. Respondemus distinguendo antecedens, nempè Deum suo decreto esse causam immediatam nostrorum operum; quia scilicet id tantum sit verum de nostris operibus, prout fluunt à Deo, seu prout sunt concursus ipsius Dei, non verò, prout fluunt à nostra voluntate, seu quod idem est esse causam nostrorum operum identicè non formaliter, seu prout à nobis procedunt (sicut agens nõ est causa passionis formaliter, vt passio est, sed tãtum identicè) & ita decretum Dei tantum est prius causaliter nostris operibus, prout ab ipso à Deo nõ verò, prout à nostra voluntate.

Ad secundam respondemus cõcedendo, Deum esse primam causam

ſam efficientem omnium effectuum, excepta malitia; nō tamen dicitur prima; quia cooperatio Dei, ſit prior cooperatione cauſæ ſecundæ; quia re vera nō eſt, nec duratione, nec cauſalitate; quia vtriuſq; cooperatio eſt vna, & eadem indiuiſibiliter, vt ſupponimus ex 2. Phyſicorum, ſed Deus dicitur cauſa prima; quia ab ipſo pendent omnes cauſæ ſecundæ, non ſolum in eſſendo, ſed etiam in operando; quia abſque eius concurſu operari nequeunt, & in hoc conſiſtit ſubordinatio, qua cauſa ſecunda ſubordinatur primæ in operando: ex eo ergo, quod Deus ſit cauſa prima efficiens non fit, quòd prius præfiniat opera noſtra, quam nos ſimus ex nobis operaturi.

Ad tertiam reſpondēmus, quòd quamuis Deus nō præfiniat cauſaliter opera noſtra ante noſtram cooperationem futurā, nihilominus dicitur habere prouidētiam perfectam noſtrarum operationū, ſeu ea nobis perfectè prouidere, & nō euenire à caſu, & præter eius intētionem; quia nō fiunt à Deo ſine intentione cōcurrendi ad illa ſimul cum cauſa ſecunda præſertim; quia ſemper ante opera noſtra futura, abſolutè præcedit in Deo ſciētia cōditionata eorum, quaDeus quaſi dirigitur ad perfectiſsimè prouidendum, circa illa, vt diximus diſp. 2. dif. 4.

Deinde reſpondeamus ad fundamenta ſecundæ ſententiæ Greg. Ariminenſis, & in primis ad rationem pro priori parte illius, qua intenditur probari Deum prefinire opera noſtra bona ante noſtram cooperationem futuram. Reſpondemus concedendo, Deum in bonis operibus prius operari in nobis gratia ſua, quàm quod nos liberè operemur; quia ante noſtrum conſenſum præſupponitur in nobis gratia præueniens, nempè vocatio, quàm Deus in nobis, ſine nobis liberè operantibus infundit: ex hoc tamen nō ſequitur Deum prefinire noſtra opera bona ante noſtram cooperationem futuram, ſed præfinire gratiam præuenientem ante cooperationem noſtram liberam, ſeu abſque illa, quamuis non ante cooperationem noſtram phyſicam, qua phyſicè cooperamur ad vocationem, ſicut nec in tempore, abſque noſtra phyſica cooperatione concurrit ad vocationem, quæ eſt gratia præueniens, in qua ſi congrua, ſeu efficax ſit, quodam modo, tamquam in principio, & cauſa præuenit opera noſtra, ante noſtrum conſenſum futurum, ſicut, & illam confert in tempore ante illum; quia eam vocationem præfiniendo, quodam modo præfinit opera, quæ ſunt infallibiliter futura ex illa, quamuis liberè, & contingenter.

Et

Et ad testimonia pro posteriori parte, eiusdem secundæ sententiæ quibus intenditur probari, Deum decreuisse opera nostra mala, quoad entitatem, seu substantiam post cooperationem nostram futuram.

Respondemus testimonio Concilij Valentini, si aliquid eo probatur de actu ipso peccati, tantum probari nullatenus fuisse à Deo decretum, seu definitum; quia ibi nomine prædestinationis, tantum intelligitur definitio, & decretum æternum, quod sola æternitate præcedit opera nostra, vt præsentia, vt communiter intelligunt Patres excepto Damasceno, sed re vera ibi tantum negatur Deum prædestinare malitiam, seu opera, vt mala, vt ibi exprimitur, non verò actum ipsum, & eodem modo exponendi sunt Prosper. Fulg. Beda, nisi forsam etiam isti negent in Deo decretum circa actum peccati, vt etiam negare videntur, Hieron. Dialog. 2. contra Pelagianos, & Augustinus lib. 2. de libero arbitrio capit. 20. id tamē negari non debet, quod Anselmus, & communiter Theologi admittunt; quia Deus absque dubio immediatè concurrit in tempore ad actum peccati, quod nequit fieri à Deo, absq; decreto habito ab æterno non tamen præcedente, nec subsequente cooperationē nostram futuram, sed eam comitante sicut in operibus bonis.

Ad rationem verò, pro eadem posteriori parte, respondemus nos, non affirmare Deum præfinire actum peccati ante nostram futuram cooperationem, nec ad illum ante nos in tempore concurrere, sed simul, seu comitanter, ex eo autem non debet Deo tribui malitia peccati, quia hæc tantum oritur ex actu ipso, prout à nobis, & non prout à Deo, vt diximus tract. de Peccatis disp. 6 dif. 4. & ob hoc non deberet Deo tribui malitia, quamuis præfiniret actum peccati futurum ante nostram cooperationem futuram, etiam si admittamus cum ea præfinitione nō amitti in nobis libertatē, vnde nos aliunde dictam posterioritatem negamus.

Tandem ad rationem tertiæ sententiæ Catherini, qua intenditur probari decretum, & prædefinitionem Dei, circa nostra opera, tàm bona, quàm mala esse post nostram determinationem seu cooperationem futuram. Respondemus negando esse necessarium ordinem causalitatis inter decretum Dei & inter nostrum consensum, seu cooperationem futuram: Imò esse impossibilem iudicamus, sicut etiam est impossibilis inter cooperationem Dei, cuius causa est decretum, & inter cooperationem nostram. Ad probationem ergo negamus esse impossibile voluntatem diuinam simul cōiungi cum voluntate humana in volendo, & in causando eumdem actum; quia quamuis id forsam esset impossibile, absque præuia scientia di-

ui-

uina noſtræ cooperationis ſub conditione futuræ, non tamen ea exiſtente, vt verè exiſtit; quia ea ſcientia Deus præſcit quãdo voluntas cum hac, aut illa circunſtantia quantum eſt ex ipſa ſit determinãda, ſeu cooperatura.

Ex omnibus dictis conſtat in Deo, nullum eſſe decretum efficax immediatum circa opera noſtra, nec eſſe poſſe, quo voluntas noſtra prædeterminetur Phyſicè ad operandum; quia in Deo non eſt nec eſſe poteſt decretum efficax immediatum circa opera noſtra prius cauſalitate ante cooperationem noſtram futuram, vt à nobis futuram, ſed ſimul cũ ea, ſeu eam comitans ob rationẽ ſæpè repetitam, ac proinde nullo decreto Dei immediatè verſante circa opera noſtra lædi poſſe noſtram libertatem, ſeu indifferẽtiam, de quo etiã dixim tract. de incarnat. diſp. 14. dif. 1.

Addimus præter hoc dictum decretum, quo Deus decernit cõcurrere immediatè, & quo tamquam principio concurrit in executione, nõ eſſe neceſſarium noſtræ voluntati, ſufficienter præuentę in actu primo ſuis principiis, aliud decretum Dei, vt ipſa libere operetur libertate, quam ipſa exigit, & ideò nos, nõ admittimus decretum quoddam ex parte ſui obiecti, ſeu rei decretę indifferens, quòd ab aliquibus admittitur, quo Deus decernat ſe quantum eſt ex ſe cõcurſurum nobiſcum, ad quodcumque opus noſtrum, ita vt defectu Dei non concurrentis, non deficiat opus noſtrum, ſed ſi deficit deficiat defectu noſtro; quia ſcilicet nos deficimus, ſeu non cooperamur, quòd exiſtimant eſſe nobis neceſſarium, vt eo Omnipotentia Dei ſit in noſtra poteſtate, & nobis infallibiliter applicata, & quaſi ſubdita ad cõcurrendum nobiſcum, ſi nos quantum eſt ex nobis ſimus cõſenſuri; quia ipſis videtur abſque eo decreto, & infallibili aſſiſtentia Omnipotentię voluntatem noſtram, nõ poſſe liberè operari; quia ad rationem potentię liberæ ipſis videtur requiri, quòd poſitis in ipſa omnibus præ requiſitis ex parte actus primi, ſeu principij ad operandum, ſit in ſua poteſtate operari, & non operari, & operari hoc, & oppoſitum; quòd non erit in poteſtate noſtræ volũtatis, ſi in ſua poteſtate nõ ſit cõcurſus Dei, ſeu nos vti Omnipotẽtia Dei, ad cõcurſum Dei requiſitum, vt volũtas noſtra operetur; quia nequit operari abſque concurſu Dei.

Hoc ergo decretum indifferens, quoad ipſum obiectum decretum in Deo nõ admittimus; & quia difficile eſt eſſe poſsibile; & quia quamuis eſſet poſsibile, exiſtimamus nõ eſſe neceſſarium ad libertatem noſtræ voluntatis.

Et in primis difficile nobis videtur eſſe poſsibile; quia quodcumq; decretum Dei efficax, vtpote re ipſa efficax eſt factiuũ ſui obiecti,

&

& eodem modo factiuum, quo obiectum ipsum decernitur fieri, & nō aliter; quia decretum Dei, quoad omnia, nempè quo ad obiectum, seu rem, & quoad modum eam efficiēdi est, omnino infallibile. sed nihil potest fieri, nisi quod est singulare, & determinatum in individuo, & modo determinato quale, & qualiter est in rerum natura, vt patet: ergo nullū potest esse in Deo, decretū efficax indifferens, sed habens obiectū, quod sit indifferēs, & nō sit re ipsa singulare, & tale singulare, & tali modo determinatū; quia obiectum, quod nō est tale, nō potest re ipsa fieri, & esse in rerum natura.

Deinde quāuis dictum decretum indifferēs ex parte obiecti, sit possibile, nō tamen est necessarium ad libertatem nostræ voluntatis in operando. Primò, quia quamuis ad libertatem nostram, in operando necessaria esset dicta assistentia, & quasi subiectio diuinæ omnipotētiæ respectu nostræ voluntatis, ad eam tamen assistentiam sufficeret absq; decreto aliquo, promissio qua Deus promitteret se cōcursurū cum nostra voluntate, quoties ipsa esset ex se operatura; quia hac promissione haberet Deus, infallibiliter paratum suum cōcursum in singulari determinatum medio decreto determinato, quo de facto esset cōcursurus si ipsa esse ex se operatura, absq; indigentia illius decreti indifferentis, quòd patitur difficultates aliquas, quas non patitur diuina promissio.

Deinde dictum decretum, indifferens ex parte obiecti, nō est necessarium (imò nec diuina promissio) ad libertatem nostram in operādo quam nostra voluntas exigit; quia voluntas nostra nō exigit aliam libertatem, quam eam, qua principiis, sibi inhęrētibus fit indifferēs, vt quantum est ex se ipsa fit in actu 1. potens operari, & nō operari, & operari hoc, & oppositum; quia sicut ipsa sola absq; concursu Dei, quantum est ex ipsa est causa sufficiens in actu 1. ad cooperandum absq; eo, quòd Deus, & eius decretum, & eius omnipotentia, sit ipsi voluntati actus primus, seu principium antecedenter requisitum, (quamuis ei sit comitanter necessarium, vt operetur in actu secundo) ita etiam ipsa sola absq; Deo, & eius decreto, & omnipotentia, quantum est ex se est indifferens in actu primo, ad operandum, & nō operandum, & ad operandum hoc, & ad operandum oppositū, quamuis Deus, & eius decretum, & omnipotentia sit illi requisita, & necessaria, tanquam comes, seu comitanter, vt in actu secundo, operetur liberè, & id sufficit nostræ voluntati, vt quantum est ex ipsa, sit physicè libera in actu primo, quamuis omnipotentia Dei, nullo decreto, & nulla promissione, sit ei infallibiliter assistens, seu applicata, sicut quando duo libere trahunt lapidem, quem neuter solus potest, quili-

bet

bet libere trahit illum, quamuis vires alterius, nō sint ei principium, nec sint ei paratæ, nec in eius potestate; quia quilibet ex illis, ita quā tum est ex ipso trahit lapidem, vt possit eum non trahere.

Fatemur eo decreto efficaci, si esset Deo possibile, & ea promissione, quæ possibilis est, voluntatem nostram fieri moraliter magis liberam; quia moraliter, quasi haberet in sua potestate concursum Dei, ob obligationem saltem moralem, qua Deus eo suo decreto, aut promissione maneret, saltem moraliter obligatus ad concurrēdum nobiscum: nō tamen fieri magis liberam physicè; quia physicè nō haberet cōcursum Dei in sua potestate: eam tamen maiorem libertatem moralem, nō exigit nostra voluntas, & absq; ea est naturaliter cōtenta libertate à nobis explicata; quia ea sufficit illi, vt quantū est ex se ipsa sit libera in actu 1. & vt libere operetur in actu secundo, si Deus eam suo cōcursu comitetur, quanuis libere exhibito à Deo, absque ea obligatione, & necessitati morali.

Id verò, quòd dicitur, nempè ad rationem potentiæ liberæ requiri, quod positis omnibus requisitis ex parte actus primi, seu principij ad operādum sit in sua potestate operari, & non operari, ita intelligendum est, vt sit in sua potestate, quantum est ex ipsa, non quod absolutè, & omnino sit in sua potestate, quādo operari nequit fieri, sine comite ad eandem operationem: & quia operari nostræ voluntatis, nequit fieri Deo, non comitante medio suo concursu, ideo, vt voluntas nostra, sit libera quantum est ex ipsa, sufficit quod positis omnibus requisitis in actu primo, in ipsa possit quantum est ex se ipsa operari, & non operari, etiam si comite deficiente, non sit operatura in actu secundo: ipsi tamen ex se operaturæ, si non operetur in actu secundo, defectu concursus Dei, omissio operis erit non libera, sed necessaria, & consequenter tunc non peccabit, quamuis ea omissio, sit omissio actus præcepti, non tamen erit violenta, vt diximus tract. de actibus, disp. 1. dif. 11.

TRA-

TRACTATVS
DE TRINITATE.

VPPONIMVS (In quo Catholici conueniunt.) Primò esse tres diuinas Personas realiter distinctas, nempè Patrem Filium, & Spiritum Sanctum. Secundò Patrem esse Deum, & Filium esse Deum, & Spiritum Sanctum esse Deum. Tertiò, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse vnum Deum, in quibus tribus mysterium Trinitatis cōsistit; quę omnia ex dicendis in progressu constabunt.

DISPVTATIO PRIMA.

De Processione diuinarum personarum.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Deo sint Processiones immanentes?

COnueniunt Catholici contra hæreticos in Deo esse duas Processiones immanētes, seu internas, nēpè processionē Filij & processionem Spiritus Sancti, quòd constat ex Scriptura in qua dicitur Filium à Patre procedere, Ioann. 8. *Ego ex Deo processi*, & in qua dicitur Spiritum Sanctum à Patre procedere, Ioan. 15. *Paraclitus qui à Patre procedit*, quæ amplius constabunt quando de processione cuiuslibet in particulari agamus, processionem autem filij esse immanentem, seu internam constat ex illo Ioann. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*: Quòd amplius constabit etiam de processione Spiritus Sancti, quando probemus Filium, & Spiritum Sanctum habere, eandem naturam cum Patre; quia ratione identitatis naturę diuinę cum qualibet persona, quælibet persona, & quidquid est in ea, est taliter in qualibet alia, vt dicemus disp. 11. diffic. 3. nō autem esse in Deo plures processiones immanētes, quàm duas, cōstat ex eo, quòd tan-

tantum ſunt tres perſonæ, ex quibus ſolum duæ procedunt, nempè Filius, & Spiritus Sanctus; quòd etiam in progreſſu amplius cõſtabit; quia tamẽ cuilibet proceſſioni, quæ in rigore ſumpta, tantũ eſt productio paſſiua, correſpõdet altera productio actiua ipſi oppoſita, ideò eo ipſo, quod admittũtur in Deo duę proceſſiones, in eo admittũtur quatuor origines, duæ actiuæ, & duę paſsiuæ.

Sed obijcias primum principium, vt potè primum, nequit ab alio procedere, ſed Deus eſt primum principium omnium rerum: ergo nequit ab alio procedere, ſeu produci, ſed Filius & Spiritus Sanctus ſunt Deus: ergo nequeunt à Patre procedere.

Reſpondemus primum principium eo modo quo eſt primum principium non poſſe procedere ab alio: & quia Deus, quamuis in prima perſona, ſit primum principium omnino, tàm videlicet ad extra, quàm ad intra, tamen in Filio, & Spiritu Sancto, tantum eſt primum principium ad extra omnium videlicet creaturarum, & non ad intra, ideò Deus in Filio, & in Spiritu Sancto poteſt procedere à Patre, proceſſione ad intra, quamuis non proceſsione ad extra.

Et eadem proportione dicitur Deus, ens à ſe; quia in Patre eſt omnino à ſe, nempè, & tanquam à principio notionali, & tanquã à principio extraneo, ſeu diuerſę naturæ (quòd dicitur cauſa) quia Pater eſt omnino innaſcibilis, ſeu improducibilis; in Filio verò, & in Spiritu Sãcto eſt ens à ſe; quia non eſt ab alio, tanquã à principio extraneo ſeu diuerſæ naturæ: eſt tamen ens ab alio, tanquam à principio notionali ſeu interno, & eiuſdem naturę, de quo latius, cum de ipſis proceſſionibus in particulari agamus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Proceſsiones diuinæ ſint actus intellectus, & voluntatis?

DVrand. in 1. diſtin. 6. quęſt. 2. exiſtimat proceſsiones diuinas, non eſſe proprie actus intellectus, & voluntatis, ſed immediatè eſſe actus naturæ diuinæ; proceſsionem tamen filij appropriari intellectui, & proceſsionem Spiritus Sancti voluntati, quia prouiſo Filij eſt prior, & Spiritus Sancti poſterior, ſicut intellectio eſt prior amore, ſeu volitione; id autem probat. Primò quia in Deo actus intellectus, & actus voluntatis, nempè intelligere, & velle ſunt eſſentiales cõcomitantes omnibus diuinis perſonis, & ex natura rei indiſtincti

inter se, processiones autem diuinæ non sunt essentiales, sed notionales non conuenientes omnibus Diuinis personis, & sunt ex natura rei inter se distinctæ: ergo processiones diuinæ non sunt actus intellectus, & voluntatis.

Secundò, quia in creaturis naturalis productio Filij, non est actus intellectus, sed naturæ: ergo etiam in Deo productio, & processio Filij non est actus intellectus, sed immediatè est actus naturæ diuinæ: & idem est de productione & processione Spiritus Sancti, hanc sententiam Dur. sequutus est Hier. Ianchli. hæreticus, vt referunt Valé. lib. 2. c. 4. Vazq. disp. 111. & Ruiz. disp. 2.

S Thom & eius Expositores q. 27. & scholast. in 1 Vaz. Val. & Ruiz Soar. lib. 1. de Trinit. c. 5. Granad. tract. 2. disp. 2. Mérat. disp. 43. & fere omnes Theologi docent, & merito processiones Diuinas, quibus Verbum, & Spiritus Sanctus procedunt, seu producuntur esse actus intellectus, & voluntatis, & non esse actus immediatè naturæ diuinæ, & in id conspirant Patres, dum de Filio dicunt per intellectum Patris generari, aut ex mente Patris procedere, aut esse Verbũ, qui videri possunt apud Ruizium, & id satis significatur in Scriptura; quia in ea Filius appellatur Verbum, Ioann. 1. Verbum autem procedit, seu producitur dictione, quæ est actus intellectus, & non naturæ: Et quia Filius verè, & propriè est Verbum; quia ita in scriptura, & à Patribus absolutè dicitur, & nominatur, & non appropriatione, vt dicemus disput. 6. difficul. 2. ita etiam actus, quo procedit, seu producitur verè, & propriè est actus intellectus, & non sola appropriatione, vt existimat Duran cuius sententia variè à Theologis notatur, à Molina q. 27. art. 5. disp. 2. & à Valentia in controuersijs de Trinitate lib. 2. c. 4. notatur erronea à Vazquez capit. 2. notatur in modo loquendi incidere in hæresim Alogianorum à Suarez lib. 1. de Trinitate c. 5. temeraria & errori proxima, ab Argent. in 1. d. 10. q. vnica ar. 2. & à Marsil. q. 14. ar. 2. notatur deuians, & distans à dictis sanctorum.

Si autem processio, seu productio Filij est actus intellectus, & non immediatè naturæ Diuinæ, dubitari non potest Processionem Spiritus Sancti etiam esse actum voluntatis, & non naturæ: & quamuis in scriptura, non ita clare significetur processionem Spiritus Sancti esse actum voluntatis, aliqualiter etiam significatur, dum in ea aliquoties fit mentio processionis Spiritus Sancti, nominibus pertinentibus ad voluntatem, vt fit ad Rom. 5. dum dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ Sanctum, qui datus est nobis.* Et Actor. 2 dum Spiritus Sanctus dicitur venisse in linguis ignis

nes: quia eo devotari videur Spiritum Sanctum esse amorem cordis discipulorum inflammantem, quòd etiam tradunt plures Patres, vt refert Ruiz. sect. 3.

Ratione quoque, nostra dicta conclusio probatur; quia Processiones Filij, & Spiritus Sancti sunt actus immanentes in Deo, & non extra ipsum, in spiritualibus autem qualis est Deus, nulla est actio immanens, nisi actio intellectus, & actio voluntatis.

Ad priorem ergo rationem Durandi. Respondemus, quod etiam si intellectio, & volitio essentialis, seu absolutè sint communes tribus Diuinis Personis, & ideò istæ non sint Processiones, seu productiones in Diuinis; quia non omnes personæ producunt personam Diuinam, intellectio tamen notionalis, quæ est, & dicitur loquutio, seu dictio, & volitio notionalis, quæ est, & dicitur spiratio, non sunt communes tribus Diuinis Personis, sed dictio tantũ cõuenit Patri, & spiratio actiua, tantũ conuenit Patri, & Filio, ideò Filius procedit, & producitur à Patre intellectione notionali, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio volitione notionali.

Et ad posteriorem respondemus concedendo in creaturis generationem naturalem Filij, non esse actum intellectus; quia est generatio corporalis, & transiens, & quamuis ob id non sit actus intellectus, non tamen est actus immèdiatus naturæ, sed potentiæ generatiuæ corporeç realiter superadditę ipsi naturæ, vt docent communiter Philosophicum Aristotel. libro 2. de Anima, Deus verò est agens spirituale, & in eo generatio est spiritualis, & immanens; & ideò non est mirum, quod generatio ab eo proueniens sit actus intellectus: & quòd in eo potentia generatiua sit intellectus notionalis, qui est vera potentia superaddita naturæ nostro modo concipiendi, ex eo ergo, quod Processiones Diuinæ sint actus intellectus, & voluntatis, seu intellectio, & volitio: constat Processiones Diuinas non solùm esse immanentes, vt diximus difficultat. 1. sed etiam esse vitales; quia intellectio, & volitio sunt vitales, in quo omnes conueniunt, vt pote actus proprij viuentis, vt viuens est quod latius tradunt Zuñiga disp. 1. à dub. 6. Alb. disp. 1. sectione 3. & Perez disputatione 8. sect. 6.

DIFFICVLTAS III.

Per quos actus intellectus, & voluntatis procedant Filius, & Spiritus Sanctus?

SCotus in 1. distinct. 2. quæstione 7. §. obijcitur, supponit in intellectu diuino esse duplicem actum, vnum qui est intellectio, & hunc esse essentialem seu communem tribus personis diuinis, alterum qui est dictio seu loquutio, & hunc non esse essentialem, seu communem, sed esse notionalem, & proprium Patris. Et hoc supposito existimat Filium produci per dictionem, non verò per intellectionem, & eadem proportione in quodlib. q. 4. §. *Hic intelligendum est*, supponit in voluntate esse duplicem actum, alterum, qui est amor, & hunc esse essentialem, seu communem tribus personis diuinis, alterum qui est spiratio, & hunc esse notionalem, & proprium Patris & Filij, & per hunc produci, seu procedere Spiritum Sanctũ, & non per actum amoris: id autem probat, quia intelligere est aliquid essentiale commune tribus personis; quia omnes intelligunt, & tamen solus Pater producit Verbum: ergo Filius nõ procedit per intellectionem, quę est communis tribus personis, sed per dictionem propriam Patris.

Caiet. verò q. 27. art. 5. Molin q. 27. ar. 3. disp. 8. memb 2. Vazquez disp. 112. c. 3. Saar. lib. 1. c. 6. Turrian. disp. 1. dub. 2. Ruiz. disp. 59 sect. 2. Maratius disp. 43. Beccan c. 1. Granad disput. 3. sect. 3. & plures alij docent actum dicendi, quo producitur Verbum, seu Filius esse formaliter intellectionem.

Et eadem proportione actum spirandi, quo producitur Spiritus Sanctus esse formaliter amorem. Et merito, quia si dictio, quaproducitur Verbum, non esset formaliter intellectio, Verbum non esset sapientia Patris, vt dicitur esse in scriptura: & non esset sapientia genita, vt tradunt Athanasius oratione contra Sabellium, & Augustin. 6. de Trinitate cap. 1. & Anselmus in Monologio c. 47 cui accedit, primo quod dictio interna in creaturis, appellatur cogitati ab Augus. 5. de Trinitate c. 10. & à Fulg. lib 3. ad Monimum c. 7. & ab Ansel. in Monol. c. 34 & significatur Sapient. 2. illis verbis, dixerunt apud se cogitantes: dictio ergo increatis, & maiori ratione in diuinis est formaliter intellectio, seu cognitio. Et accedit secundo, quod absq; fundamento dicitur intellectu esse actũ, qui nõ sit intellectio,

&

& in voluntate actum, qui non sit amor, seu volitio (sub qua etiam comprehendimus actum odij, & fugæ) quòd amplius constabit ex dicendis difficultate sequenti, vbi dicemus, & probabimus, dictionem esse formaliter intellectionem, & spirationem esse formaliter volitionem.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo in Patre Æterno distinguatur intellectio essentialis à notionali?

SVpponimus ex dictis, actum notionalem intellectus, quo Pater producit filium, esse verè intellectionem, seu cognitionem: & eadem proportione actum notionalem voluntatis, quo Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, esse verè volitionem, seu amorem.

Hoc supposito supereſt controuersia, quomodo intellectio notionalis propria Patris, qua producitur Verbum, distinguatur ab intellectione essentiali communi tribus personis. Et eadem proportione quomodo volitio notionalis, qua producitur Spiritus Sanctus, distinguatur à volitione essentiali cõmuni tribus personis.

Circa quam Vazquez, Suarez, Turrianus, Mœratius, & reliqui difficultate antecedente pro nostra sententia relati, docent intellectionem notionalem, qua Pater producit Filium, & intellectionem essentialem communem tribus personis, non esse duas intellectionis, adhuc ratione distinctas se inuicem excludentes, sed tantum vnam, nempè, aut intellectionem essentialem connotata personalitate Patris, in quo Auctores huius sententiæ communiter conueniũt, aut extrinsicè tantum connotata, vt nonnulli volunt, aut intrinsicè, vt alij, aut è contra esse relationem, seu personalitatem personæ producentis connotata, aut extrinsicè, aut intrinsicè cognitione essentiali, vt docent Molina disp. 4. Bec canus, & alij, & eadem proportione docent volitionem notionalem qua Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, & essentialem communem tribus personis, non esse duas volitiones, adhuc ratione distinctas se inuicem excludentes, sed vnam tantum, nempè, aut volitionem essentialem, connotatis personalitate Patris, & personalitate Filij, aut è contra personalitatem Patris, & Filij connotata volitione essentiali; quia ex vna parte in Patre sufficit vna intellectio, vt intelligat omnia obiecta intelligibilia, & in Patre, & in Filio sufficit vna volitio, seu vnus amor, vt ament om-

nia amabilia, & ex altera parte intellectio essentialis connotata extrinsecè personalitate Patris, aut è cõtra personalitas Patris cõnotata extrinsicè intellectione essentiali sufficit, vt Pater dicatur intellectione, seu intelligendo producere filium, & volitio essentialis Patris & Filij connotatis personalitatibus eorum sufficit, aut è cõtra personalitates Patris & Filij cõnotata volitione essentiali sufficiunt, vt ipsi dicantur volitione, seu volendo producere Spiritum Sanctum: ergo absq; fundamento admittuntur in Patre duæ intellectiones, & in Patre, & in Filio duo amores, seu duæ volitiones se inuicem excludentes.

Argen. verò in 1. d 10. q. vnic. ar. 2. Marsi. q. 14. ar. 2. & Valen. disp. 2. q. 1. pun. 3. docent & merito in Patre esse duas intellectiones formaliter distinctas adæquatè se ad inuicem excludẽtes, alteram essentialem, seu absolutam communem tribus personis, & alterã notionalem, seu respectiuam soli patri cõueniẽtem, qua Pater producit Filium: & eadem proportione in Patre, & Filio esse duos amores, seu duas volitiones formaliter distinctas adęquatè, se ad inuicẽ excludẽtes, alterã essentialem, & absolutam cõueniẽtem toti Trinitati, & alteram notionalẽ, seu respectiuam solis Patri & Filio cõuenientẽ, qua Pater & Filius producũt Spiritũ Sanctũ, & idẽ vidẽtur sentire Henr. 2. p sumę ar. 54. & q. 9. & 10 & quodlib. 6. q. 1. & Cartus. in 1. d. 2. q. 6. quòd satis indicat Aug. lib. 15. de Trinit. c. 14. & 17.

Et in primis in patre esse intellectionem essentialem excludentẽ à suo conceptu obiectiuo, seu à sua ratione essentiali notionalem, & cõnotationem personalitatis Patris, patet quia essentialis adæquatè & completè reperitur in Filio, & in Spiritu Sancto, & tamen in eis nõ est notionalis. nec personalitas Patris.

Deinde quod in Patre, etiam sit intellectio notionalis excludẽs à suo cõceptu obiectiuo, seu à sua ratione essentiali intellectionẽ essẽtialem, & cõnotationem illius, probatur; quia in patre est mẽtalis dictio verbi absq; eo, quòd hæc dictio in suo cõceptu essentiali admittat intellectionem essentialem, nec cõnotationem extrinsecam illi⁹ (etiam si eam intellectionem supponat prioritate rationis, qua notionalia supponũt essentiam diuinã, & reliqua essentialia) quia dictio verbi mẽtalis, nihil aliud est quam productio illius; quia dicere verbum, siue creatum siue increatum, nihil aliud est, quã illud producere, sed dictio verbi absq; intellectione essentiali inclusa, & absq; extrinseca cõnotatione illius, est formaliter intellectio rei, cuius est verbum; quia intelligere rem sufficienter, & formaliter habetur, vel fit habendo, vel efficiendo rem sibi intentionaliter, seu repræsentati ue præsentẽ, sed sola dictione, seu productione verbi, absq; alio int⁹ in

se.

ſecè incluſo,&abſq; alio extrinſecè cõnotato res cuius eſt verbũ p.o ductum,fit intentionaliter,ſeu repræſentatiuè prę ſens producenti Verbũ;quia verbum eſt ſpecies expreſſa,& imago rei,quæ eo verbo dicitur,tanquam obiectum:productio enim verbi eſt dictio immediata,& directa ipſius,tãquam termini producti,& rei cuius eſt Verbum eſt dictio,tanquam obiecti mediata medio,ſcilicet ipſo Verbo, & eſt indirecta,& quaſi in obliquo.

In patre ergo eſt intellectio notionalis formaliter,& adęquatè diſtincta ab eſſentiali,& eã excludẽs,& eam non cõnotans extrinſecè: & eadem proportione,& ob eandem proportionalem rationem, in Patre & Filio admittendi ſunt duo amores,ſeu duæ volitiones formaliter,& adæquatè diſtinctę ſe inuicem excludentes,& non ſe connotantes,altera eſſentialis conueniens tribus perſonis,& altera notionalis,quę dicitur ſpiratio,qua producitur Spiritus Sanctus: quid autem ſit intellectio,& volitio in creatis dicimus Tractatu de Beatitudine diſp 2.diffic.9.vbi non nihil attingimus,circa intellectionem notionalem Patris,& circa volitionis,ſeu amorem notionalem Patris,& Filij.

Ad fundamentum autem aduerſariorum reſpondemus, quòd quamuis Deo,ſufficiat intellectio eſſentialis ad cognoſcenda omnia intelligibilia,& amor eſſentialis ad amanda omnia obiecta volibilia,intellectio tamen eſſentialis,non ſufficit ad productionem Verbi,& ideò ad hanc fatemur intellectionem notionalem,& adæquatè diſtinctam ab eſſentiali,quamuis ea non cognoſcatur, niſi perſona Patris, vt dicemus diſputa.7.difficultate 4.& diuerſo modo,quam eſſentiali: & eadem proportione,quamuis amor eſſentialis ſufficiat Deo,ad amanda omnia amabilia,non tamen ad productionem Spiritus Sancti,& ideò ad hanc fatemur amorem notionalem adæquatè diſtinctum ab amore eſſentiali,quamuis notionali non amentur, niſi Pater,& Filius,vt dicemus diſp.8.diffic.6.in perſonis autem diuinis non eſſe intellectum, qui verè ſit potentia ad intelligendum eſſentialiter diximus Tractatu de ſcientia Dei diſp.1.diffic.4. eſſe tamen in Patre intellectum notionalem,& in Patre, & in Filio voluntatem notionalem dicemus in hac diſp.1.dif.9.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in diuinis origines actiuæ distinguantur realiter à passiuis?

PRocessio, seu origo actiua dicitur id, quo quasi via actiua persona diuina producit alteram, & processio, seu origo passiua dicitur id, quo quasi via passiua vna persona producitur, seu procedit ab alia, supponimus duas origines actiuas, nempè generationem actiuam, qua Pater actiuè generat Filium, & spirationem actiuam, qua Pater, & Filius actiuè spirant Spiritum Sanctum, non distingui realiter inter se, sicut nec relationes generantis, & spirantis cum quibus origines actiuę adæquatè identificantur, vt dicemus disp. 2. dif. 4. & duas processiones, seu passiuas productiones, nempe generationem passiuam filij, & spirationem passiuam Spiritus Sancti distingui realiter inter se, sicut & relationes filiationes, & spirationes passiuæ, cum quibus adæquatè identificantur: solùm ergo superest difficultas, an origines actiuæ realiter distinguantur à passiuis sibi oppositis.

Circa hanc difficultatem, non defuerunt qui existimauerint processiones actiuas non distingui realiter à passiuis sibi oppositis, nempè generationem actiuam, qua Pater generauit, & produxit Filium, non distingui realiter à generatione passiua, seu natiuitate, qua filius fuit genitus, & productus à Patre, & spirationem actiuam, qua Pater, & Filius spirarunt, & produxerunt Spiritum Sanctum, non distingui realiter ab spiratione passiua, qua Spiritus Sanctus fuit spiratus, & productus à Patre, & à Filio.

Id autem probari videtur; quia ea via qua causa, aut principium producit effectum, aut terminum, est eadem omnino à parte rei, ac via qua effectus, aut terminus productus producitur à causa, aut à principio; quia causa, aut principium producens, ea via actiua qua producit, eadem nullo alio superaddito producit aliquid, aliàs non produceret: ergo in diuinis ea via, qua persona producit (quæ dicitur origo actiua) est eadem omnino à parte rei, ac via, qua persona producta producitur, quæ dicitur origo, seu processio passiua.

Et confirmatur primo; quia id quod voce actiua significatur, idem omnino significatur voce passiua, idem enim omnino significa-

catur, his verbis vocis actiuæ, Petrus producit Ioannem, & his verbis vocis passiuæ Ioannes producitur à Petro, sicut his ego amo Deum, idem significatur, ac his Deus amatur à me: ergo via, seu origo actiua, qua Pater, verbi gratia, generat Filium, est eadem omnino à parte rei, ac via, seu origo passiua, qua Filius generatur à Patre.

Et cõfirmatur secundo; quia in diuinis non est admittẽda maior distinctio quàm in creatis, sed minor; quia in Deo est maior simplicitas sed in rebus creatis actio, & passio sunt omnino idem realiter: ergo potiori rationi in diuinis, origo actiua, & passiua sunt omnino idem realiter.

Theologi tamen communiter docent, & merito origines actiuas in diuinis distingui realiter à passiuis, ita Vazquez quæst. 41 art. 2. Suarez lib. 6. c. 2. Beccanus c. 1. quæst. 2. Granadus disp. 3. sect. 1. Aluiz disp. 1. sect. 2. Ruyzius disp. 84. sect. 4. Alarcon disp. 6. capit. 4. & Martin. Perez disp. 2. sect. 5. quibus fauent plures Patres, quos referunt Vazquez disp. 158. c. 4. & Ruyz. dum assignant distinctionem realem inter personas diuinas, ex distinctione inter origines actiuas, & passiuas, nempè distinctionem inter Patrem, & Filium ex distinctione generationis actiuæ Patris, & passiuæ Filij à Patre, & distinctionem inter Patrem, & Filium, ex vna parte, & inter Spiritum Sãctum ex altera parte, ex distinctione spirationis actiuę Patris, & Filij, & spirationis passiuæ Spiritus Sancti à Patre, & Filio.

Et ratione probatur; quia ex vna parte generatio actiua in diuinis est realiter eadem cum paternitate, & eadem adęquate, seu cõuertibiliter, & ex altera parte generatio passiua, seu natiuitas est eadem realiter cum filiatione, & eadem adæquatè, seu conuertibiliter, sed paternitas, & filiatio realiter distinguuntur, vt patet: ergo etiam generatio actiua, eadem adæquatè, ac paternitas, & generatio passiua eadem adæquatè, ac filiatio realiter distinguuntur: consequentia patet, antecedens autem probatur, & in primis prior pars antecedentis, nempè quod generatio actiua, sit eadem cum paternitate probatur.

Primò, quia generatio actiua est realiter, & intrinsicè in Patre; quia generatio actiua in diuinis est actio immanens, vt pote intellectio notionalis, vt diximus diff. 4. id autem quod est in persona diuina est, idem realiter cum ipsa ob summam simplicitatem cuiuslibet personę diuinæ.

Secundò, eadem prior pars probatur; quia repugnat Patrem non generare, seu non esse generantem: ergo generatio actiua non distinguitur realiter à paternitate, vt pote ab ea realiter inseparabilis

lis omnino: quòd verò generatio actiua adæquatè, seu conuertibiliter identificetur cum paternitate, & è contra (quòd non habet essentia diuina cum persona, nec persona cum essentia) probatur; quia generatio actiua identificatur cum paternitate, & cum omnibus, cum quibus Pater identificatur, & distinguitur ab omnibus à quibus distinguitur paternitas; quia distinguitur à Filio, & ab Spiritu Sancto, qui non generant, sicut Pater generat.

Posterior pars antecedentis, nempè quod generatio passiua, sit eadem realiter cum filiatione, probatur. Primò, quia generatio passiua filij est in ipso filio (in quo Theologi conueniunt) cui maximè fauet, quod origo passiua increatis, sit in ipso termino producto aut in subiecto in quo est terminus: ergo in diuinis vbi non est subiectum, origo passiua est in ipso termino, & identificatur adæquatè cum ipso.

Secundò, eadem posterior pars probatur; quia repugnat filium non generari: ergo generatio passiua, non distinguitur realiter à filio, vt patet ab eo realiter inseparabilis omnino: quòd verò generatio passiua identificetur adæquatè, seu cõuertibiliter cum filio, & è cõtra (quòd non habet essentia diuina) probatur; quia generatio passiua identificatur cum omnibus, cum quibus identificatur filiatio, vt patet, & distinguitur ab omnibus à quibus distinguitur filius, & filiatio; quia distinguitur à Patre, & ab Spiritu Sancto; quia nõ generantur, sicut filius generatur, generatio ergo actiua, & generatio passiua in diuinis realiter distinguũtur; & eadẽ proportionali ratione, probatur spirationẽ actiuã, qua Pater & Filius producũt seu spirãt Spiritũ Sanctũ esse realiter distinctã ab spiratione passiua, qua Spiritus Sanctus ab eis spiratur, seu producitur; quia sicut spiratio actiua, est eadẽ & adæquatè cum paternitate, & filiatione, etiam processio, seu spiratio passiua, cum personalitate Spiritus Sancti.

Ad rationem ergo aduersariorũ, respõdemus increatis eam viã, qua principium producit, terminũ esse realiter eãdem cum ea, qua terminus producitur à suo principio; quia increatis nullum est fundamentũ distinctionis realis, inter eas duas vias actiuam videlicet, & passiuam; quia nõ implicat principium non producere, & rem, quæ est terminus nõ produci, in diuinis verò implicat, quòd est fundamẽtum, iam adductum distinctionis realis inter eas duas vias in diuinis, & ob id in diuinis, quamuis principium via, seu origine actiua producat terminum, & implicet ea via non producere terminum, ea tamẽ via, non producitur passiuè terminus, sed rãtum via, seu origine passiua, quę vt diximus realiter distinguitur à via, seu origine actiua; quãuis ergo implicet principium actiuè producere, & nõ produci aliquid

quid passiuè, id tamē in diuinis nō fit eadem via, sed duabus realiter diuersis, vt diximus; ex quo cōstat originem actiuam, nō esse passiuā adhuc extrinsicè cōnotatam, nec passiuā esse actiuam, adhuc extrinsicè nō notatam, quia origine actiua nullatenus, adhuc extrinsicè producitur terminus, etiam si habeat illum, vt terminum quem producit; quia tātum respicit illum actiuè, & non passiuè, & origine passiua nullatenus, adhuc extrinsicè principium producit terminum, sed tantum actiua; quia origo passiua, est passiua productio termini proueniens à principio ipsum terminum respiciens passiuè, & non actiuè: in diuinis, ergo origo actiua est intrinseca principio, & ea principiū intrinsicè actiuè producit terminum, & passiua est intrinseca ipsi producto, & ea productum passiuè intrinsicè producitur à principio.

Ex dictis constat ad priorem confirmationem, in creatis videlicet idem significari voce actiua, & passiua; quia in eis origo actiua, & passiua non distinguuntur realiter; quia verò in diuinis distinguuntur, ideò diuersę origines significantur voce actiua, & passiua.

Et ad posteriorem respondemus, in diuinis maiorem esse identitatem inter ea, quę non afferunt oppositionem relatiuam, & ideò inter essentiam diuinam, & inter attributa inter se, & cū diuinis relationibus est omnimoda identitas realis, nō verò inter ea, quæ afferūt relatiuam oppositionem, qualis est inter distinctas origines diuinas, aut ratione sui, aut saltem ratione omnimodæ identitatis adæquatæ cum diuinis relationibus, & ideò origo actiua, & passiua in diuinis realiter distinguuntur, quamuis in creatis non distinguantur.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm in diuinis Processio Verbi sit generatio?

SVpponimus tanquam certum de fide, Verbum secundam personam Trinitatis esse filium, & eius processionem esse generationē, quòd in primis significatur Ps. 19. illis verbis: *Ex vtero ante luciferū genui te*, vbi sermonem esse de Christo exprimit Paulus ad Heb. 5. & esse sermonem de Christo, secundum diuinitatē exprimunt plures Patres quos refert Ruiz. disp. 4. & satis indicatur illis verbis, *ante luciferū*; quia Christus secundū humanitatē non fuit genitus ante luciferū, sed multo post; deinde Verbum diuinū esse filium, & genitum

sig-

ſignificatur Ioan.1.illis verbis: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre:* & etiam illis, quæ in eodem capite ſubduntur. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*: & idem exprimitur in Symbol. Athanaſ. & in Nicen. & id latè probat Ruiz vbi ſupra.

Verum vt hęc veritas Catholica ratione, probetur ſupponenda eſt definitio generationis ſtrictè ſumptæ, quæ tantum in viuentibus cognoſcitiuis reperitur, & dicitur natiuitas, & quòd per eam producitur dicitur filius.

Hęc ergo generatio, ita definire conſueuit: *Eſt origo viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*. Hanc definitionem tradunt Sanctus Thomas, & eius Expoſitores quæſt.27.art.2. & Scholaſtici in 1 diſt.13. & eam deducunt ex Ariſtotele variis in locis Vazquez diſp.113. Ruyz.diſp.6.ſect.6. Granad Tract 2.diſp.5. Alarcon diſp.8.c.11. & Perez diſpu.3.ſect.5. Generatio ergo ſtricta, quæ dicitur natiuitas, & per quam producitur filius; dicitur quod ſit, *Viuentis à viuente*, per quod diſtinguitur à generatione latè ſumpta, quæ etiam reperitur in non viuentibus; deinde dicitur, *à principio coniuncto*. Quia viuens generatur ex ſubſtantia, vel ex aliqua parte ſubſtātiæ viuentis generantis, non viuens verò ex materia extrinſeca, tandem dicitur, *in ſimilitudinem naturæ*; quia quòd generatur euadit ſimile in natura ipſi generanti.

Suppoſita ergo, hac generationis ſtrictæ definitione, probatur proceſsionem Verbi, ſeu ſecundæ perſonæ eſſe generationem, ſeu natiuatem (& conſequenter Verbum, ſeu ſecundam perſonam eſſe Filium) quia in primis, ſecunda perſona procedit viuens à prima perſona viuente, vt patet: deinde procedit à principio coniuncto; quia ita producitur coniuncta primæ perſonę, vt ab ea accipiat eandem ſubſtantiam, & naturam, in quo generatio hęc excedit generationes creatas viuentium, quæ fiunt non ex tota ſubſtantia, ſed tantum ex parte aliqua ſubſtantiæ vitaliter deciſa, ſeu ſeparata à generante: & in hoc ſenſu explicatur à Patribus illud Pſ.19. *Ex vtero ante luciferum genuite*. Et tamdem procedit in ſimilitudinem naturæ, aut quia procedit eiuſdem naturæ cum Patre, aut quia procedit, vt imago Patris, aut aliter iuxta varias expoſitiones illius particulæ, *in ſimilitudinem naturæ*, quas adducemus difficultate ſequente, proceſsio ergo ſecundæ perſonæ eſt ſtrictè generatio, ſeu natiuitas, & ipſa ſecunda perſona procedens eſt ſtrictè genitus, ſeu filius.

Ita tamen non ex filius transfertur ex creaturis cognoſcitiuis ad ſecundam perſonam Trinitatis, vt ei non Metaphoricè, ſed propriè conueniat ſublatis imperfectionibus quæ in ipſis creaturis reperiuntur, nempè quod Filius pendeat à Patre, vt cauſa ſuperiore,

&

& quòd ab eo tantum accipiat partem ſubſtantiæ, quòd vèro Dionyſius 5. de Myſtica Theologia, & Baſil lib. 5. contra Eunomium c. 13. dicunt nempè generationem, non proprie conuenire Deo, tantum eſt verum, quoad ſignificatum generationis creatæ, prout ad mixtum imperfectionibus (nempè mutationis, æductionis, & accidentis, eſt alijs à qua tranſlatum eſt nomen ad proceſsionem Verbi, non vero, quoad ſignificatum formale prædicti nominis, prout ab imperfectionibus præciſum; quia iſtud ſic præciſum proprie conuenit Deo, & in eo verè reperitur, in quo nomen generationis differet ab alijs nominibus, quorum ſignificatum, non poteſt ab imperfectionibus præſcindi, qualia ſunt nomē indignatio, & nomen auditus, & ſimilia, ob quod hęc nomina Deo Metaphoricè tantum conueniūt ob ſimilitudinem aliquam effectus.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Proceſsio Spiritus Sancti ſit generatio?

SVpponimus tamquam certum de fide, Spiritum Sanctum tertiam perſonam Trinitatis non eſſe Filium, ſeu genitum, & eius proceſsionem non eſſe generationem, ſeu natiuitatem; ita habetur in Symbolo Athanaſij, vbi Spiritus Sanctus dicitur. *Non genitus, ſed procedens.* Et in Symb. Apoſtol. vbi dicitur. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum.* Et in Niceno vbi filius dicitur, *Vnigenitus*, quo etiam modo appellatur in ſcriptura Ioann. 1. *Gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et infra, *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris.* Et Ioann. 14. *Vt Filium ſuum vnigenitum daret*, quo oſtenditur verbum diuinum eſſe genitum, & non Spiritum Sanctum, aliàs non diceretur vnigenitum & vnicum.

Cui non obſtat quòd Salomon Prouerbiorum 4. dicatur vnigenitus coram matre ſua, & tamen ſua mater nempè Berſabeæ habuit alios tres fratres, ex eodem patre, nempè ex Dauid, vt conſtat ex 1. Paralipomenon, ex 2. Regum 5. id autem non obſtat; quia Salomon dicitur vnigenitus, aut quia fuit primo genitus matris ſuæ, ac proinde pro aliquo tempore fuit vnigenitus, aut quia vnicè, & valdè diligebatur à matre ſua, quaſi vnigenitus matris ſuæ, & ita nō dicitur abſolutè fuiſſe vnigenitus matri ſuę, ſed coram matre ſua, at Verbum Diuinum in neutro ſenſu poteſt dici vnigenitum; quia nec fuit prius ſecundum durationem productum quam Spiritus Sanctus, nec magis dilectum quam ille, & ita abſolutè, & abſq; aliquo ad

di,

dito dicitur vnicum, & vnigenitum: & quoties in scriptura est sermo de Filio Dei, est sermo de illo, tamquam de vnico, & solo Ioan. 3. *Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum.* Et Proverbiorum 3. *Quòd est nomen eius, & quòd nomen Filij eius, si nosti.* Plura alia testimonia pro dicta veritate, quam supponimus adducit Ruiz disput. 4 sect. 5.

Tota autem huius rei difficultas consistit in assignanda ratione disparitatis inter processionē Verbi, & inter processionē Spiritus sancti, ob quam quamuis processio Filij sit generatio, non tamen Processio Spiritus sancti, quamuis Processio Spiritus sancti, non minus videatur esse origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

Damascenus 1. de Fide, c. 10. Athanasius Dialogo 3. de Trinitate, column. 4. Nazianzenus Orat. 37. quæ est 5. de Theologia, Chrisostom. de incomprehensibil. Dei natura, Homil. 1. Basilius libr. 1. & 3. contra Eunomium, Augustin. lib. 3. contra Maximinum, & alij Patres fatentur se ignorare rationem disparitatis, ob quam Processio Verbi, sit generatio, & non Processio Spiritus sancti. Imò ex Scholasticis Mag. in 1. distinct. 13. & ibidem Gregor. Gabr. Maior, & Marsilius (quibus consentire videntur, Valentia lib. 2. de Trinitate, capit. 5. & Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 14.) existimant non posse huius disparitatis assignari sufficientem, & adæquatam rationem.

Nihilominus nonnulli Patres, etiam ex supra relatis, & communiter scholastici laborant in assignanda ratione aliqua dictæ disparitatis, à quibus assignantur variæ rationes, omittimus rationes à Patribus traditas; quia non ita clarè, & subtiliter traduntur, ac exigit subtilitas scholasticorum, videri tamen possunt apud Ruiz disput. 8. sect. 1.

Ex scholasticis ergo, in primis Scotus in primo distinct. 13. docet rationem disparitatis, ob quam Processio Verbi sit generatio, & non Processio Spiritus sancti sumi ex peculiaribus rationibus, seu quasi naturis ipsarum; quia scilicet productio Verbi, ex sua propria ratione est generatio, Processio verò Spiritus sancti, ex sua propria ratione non est generatio, huius tamen non reddit rationem, quam desideramus, & investigamus; quia quod Processio Verbi sit generatio, & non Processio Spiritus sancti, est certissimū, imò de fide addit Ægidius distinct. 13. ar. 2. (cui consentit Argen. q. 1. ar. 2.) has duas processiones ex suis terminis distingui, & habere quod Processio Verbi sit generatio, & non Processio Spiritus sancti; quia scilicet productio Verbi terminatur ad relationem Filij, & Proces-

sio

ſio Spiritus Sancti ad relationem ſpirati; quia in diuinis nulla eſt diſtinctio niſi per relationes: ſed quamuis hæc doctrina ſit vera, non tamen aſsignat rationem quam deſideramus, ob quam videlicet proceſsio verbi terminatur ad filium, ſeu ad filiationem, & non proceſsio Spiritus Sancti.

Secundò, Bonauent. in 1. diſt. 13. quæſt. 2. Richard. art. 1. quæſt. 9. Alexander 1. p. quæſt. 43. membro 1 (quos ex parte ſequitur Dur. in 1. diſt. 6. quæſtione 2.) ideo dicunt proceſsionem Verbi eſſe generationem, non verò proceſsionem Spiritus Sancti; quia Verbū procedit per modum naturæ; quia procedit per intellectum, qui eſt potentia naturalis; quia ex ſua intrinſeca natura eſt determinatus ad producendum, Spiritus Sanctus verò non procedit per modum naturæ, ſed per modum voluntatis; quia procedit per volūtatem, quæ non eſt potentia naturalis, quia ex ſua intrinſeca natura non eſt determinata ad producendum: generatio autem eſt productio per modum naturæ. Hæc tamen ratio non placet; quia proceſsio Spiritus Sancti quamuis ſit per voluntatem, non tamen eſt minus naturalis, ſeu per modum naturæ, quàm proceſsio Verbi; quia eſt proueniens à voluntate diuina, non minùs intrinſecè determinata ad productionē Spiritus Sancti, quàm intellectus diuinus ad productionē Verbi.

Tertiò, maior in 1. diſt. 13. quæſt. 1. Alenſ. 1. p. q. 42. membro 2. Zuñiga diſp. 2. dub. 20. à membro 9. & alij recentiores ſequuti, Richardum de Sancto Victore lib. 6. de Trinitate ca. 18. ideo dicunt Verbum eſſe Filium, & *Spiritum Sanctum* non eſſe filium, quia ad rationem filij exiſtimant requiri, quòd ſit ſimilis principio producenti, non tantùm in natura ſed etiam in fœcunditate communicandi naturam, & quia Verbum eſt ſimile Patri in fœcunditate communicādi naturam, & non *Spiritus Sanctus*; quia nullatenus eſt fœcundus; quia nullam perſonam diuinam poteſt producere; idcò Verbum eſt Filius, & productio illius eſt generatio, *Spiritus* vero *Sanctus* non eſt Filius, nec productio illius eſt generatio.

Hęc tamen ratio diſparitatis nobis non placet. Primò; quia abſque fundamento exigitur ab his Doctoribus ad rationem filij ſimilitudo in dicta fœcunditate, quia id neque ex diffinitione generationis, nec aliunde deduci poteſt. Secundò, quia quamuis in diuinis tantùm eſſet prima, & ſecunda Perſona, hæc ſecunda eſſet Filius: quia etiam in hoc caſu proceſsioni ſecundæ Perſonæ conueniret definitio generationis, vt conſtabit ex dicendis, & tamen tunc in ſecunda perſona, non eſſet virtus communicandi naturam alteri perſonæ vt patet. Tertio, quia in [illegible] impotens eſt ad [illegible]

vt sint nonnulli filij, quā qui potens est: ergo dicta fœcunditas, non requiritur ad rationem Filij.

Quarto, Caietanus, Zumel, Bañez, & alij Expositores, Sanct. Thom. quæst. 27. ar. 4. Beccanus c. 1. quæst. 2. Granad. disp. 5. sect. 5. Mæratius disp. 44. sect. 26. dicunt ex eo, Verbum esse Filium, & Spiritum Sanctum non esse Filium; quia Verbum ex vi suæ processionis, per intellectum, & formaliter euadit simile in natura, Spiritus verò Sanctus, quamuis euadat similis in natura Patri, & Filio, nō tamen formaliter ex vi suæ processionis, per voluntatem, sed tantū materialiter ratione subiecti in quo est: Existimant enim Verbum, ex vi processionis per intellectum intra proprium genus producere simile; quia intellectio, vt intellectio est productio similis, & ex propria differentia ipsius processionis, per intellectum procedere simile in natura, Spiritum verò Sanctum, nec ex vi processionis per voluntatem intra proprium genus, seu ex vi proprij generis, nec ex propria differentia ipsius processionis per voluntatem procedere similem Patri, & Filio; quia amor, nec ex suo genere amoris, nec ex propria differentia ipsius est productio similis, sed tantum productio impulsus in obiectum amatum. Procedere verò similem in natura Patri, & Filio, non ex vi processionis per voluntatem Patris, & Filij formaliter; sed tantum materialiter ratione videlicet differentiæ extrinsicæ desumptæ ex subiecto, seu ratione subiecti in quo est; quia scilicet est amor existens in Deo, & quidquid est in Deo est Deus, & ita existimant definitioni generationis, quā attulimus addē dam esse illam particulam, *ex vi processionis*.

Ratio etiam hæc disparitatis nobis non placet, eamque reijciunt Canarienſis quæst. 27. ar. 2. Vazquez disp. 113. cap. 6. Turrianus disp. 1. dub. 5. & alij reijci autem potest.

Primò, quia absque fundamento, & absque necessitate definitioni generationis additur illa particula *ex vi processionis*, vt constabit ex dicendis.

Secundò, quia quamuis additio dictæ particulæ admittatur, ratio disparitatis adducta est insufficiens; quia sicut Verbum Diuinum non procedit simile in natura Patri ex vi intellectionis, vt intellectio est, vt sic, quia ex vi intellectionis, vt intellectio est, quamuis genericè ad summum procedit simile, prout abstrahit à simili intentionaliter, & à simili in natura, sed solum procedit simile in natura ex vi intellectionis, vt diuina est, ita etiam Spiritus Sanctus ex vi volitionis, vt diuina est, procedit similis in natura, quamuis non procedat talis ex vi volitionis, vt volitio est quasi genericè: ergo quantum adhoc, eadem est ratio vtriusque processionis. Tertiò, non

placet

placet, quia non ſolum intellectio diuina ex propria; & ſpecifica, & intrinſeca ratione eſt productio ſimilis in natura; ſed etiam volitio diuina; quia non ſolum intellectio diuina, ſed etiam volitio diuina, ex propria, & quaſi ſpecifica, & intrinſeca ratione eſt increata, & ſubſtantialis, ſed Verbũ diuinum, ex eo quod procedat, ex vi intellectionis increatæ, & ſubantialis, procedit ſimile in natura Patri; quia ex eo quòd ſit increata, & ſubſtantialis, ſuppoſito quod eſt productio, eſt productio alicuius ſubſtantialis, & increati, & conſequenter habentis eandem ſubſtantiam, ſeu naturam cum principio ipſius; ergo Spiritꝰ Sãctꝰ, ex eo quod procedat ex vi amoris, ſeu volitionis increatæ, & ſubſtãtialis ſuppoſito, quòd eſt productio, procedit ſimilis in natura, ſeu ſubſtantia cum ſuo principio: quòd autẽ eſſe increatũ, & ſubſtantiale ſit ratio, & differentia propria, & quaſi ſpecifica, & intrinſeca intellectionis diuinæ, & volitionis diuinæ, ex eo conſtat: primò, quia id conuenit intellectioni, & volitioni diuinæ, non tantùm ratione ſubiecti in quo ſunt, ſed etiam ex ſuo principio, per ſe quaſi eliciente earum; quia ſcilicet ſunt permanenter ab eſſentia diuina, vt à principio, quo perſe; ergo id conuenit eis, ex propria, & intrinſeca ratione ipſarum, quia quod conuenit productioni, ex eo quod procedat à ſuo principio per ſe, cõuenit intrinſece, & ex propria ratione, quaſi ſpecifica. Secundò, id conſtat, quia intellectio diuina, & volitio diuina, ex ſuis rationibus, & eſſentijs ſpecificis ſunt increatæ, & ſubſtantiales, quia ex ſuis rationibus ſpecificis ſunt diuinæ: ergo id conuenit illis, ex ſuis propriis differentijs ſpecificis quibus intrinſicè diſtinguũtur ab intellectione, & volitione creatis; imò ſunt primo diuerſæ ab eis, quia creatę à ſuis primis rationibꝰ vſq; ad vltimas ſunt creatæ, & accidentia, diuinæ verò ſunt increatæ ſubſtantiales.

Ex quibus etiam reijci poteſt ratio diſparitatis, quã adducit Ferrarienſis 4. contra gẽtes c. 11. & approbat Martinus Perez diſput. 4. ſect. 6. & fere in idem incidit, cũ ratione Cai: ait enim proceſſionem verbi eſſe generationẽ, quia verbum quãuis nõ procedat ſimile in natura ex vi intellectionis, vt intellectio eſt, procedit tamẽ ſimile nõ tantùm ex vi intellectionis, quia diuina eſt, & increata, quod exiſtimat ei, per accidens conuenire ratione ſubiecti; ſed etiã quatenus in genere intellectionis eſt perfectiſsima, adhuc non conſiderata vt diuina quia cum intellectio, quatenus intellectio producat ſimile, perfectiſsima, intellectio producet ſimile perfectiſsima, ſimile autem autem perfectiſsimè, eſt ſimile in eadem numero natura proceſsionem verò Spiritus Sancti non eſſe generationem; quia quamuis procedat ſimilis in eadem natura, non tamen ex vi amoris, ſeu vo-

litionis, adhuc, vt perfectissimæ, quia cum volitio quatènus volitio non producat simile, quamuis perfectissima sit in genere volitionis, non producet simile in natura: procedit autem Spiritus Sanctus similis in natura solum ex vi volitionis, vt Diuinæ, & ratione subiecti.

Ex dictis ergo constat primo, falsum esse in volitione diuina, esse diuinam, & increatam non esse propriam, & intrinsecam, & per se differentiam illius. Secundò ex dictis facile reijci potest, quod asserit Ferrar. nempè ex vi intellectionis, vt perfectissimè produci simile in natura, non verò ex vi volitionis, vt perfectissimæ; quia vel per volitionem, seu dilectionem perfectissimam, intelligit perfectissimam, seu infinitam intra genus creatæ sola intentione, vel alio modo creato, vel intelligit perfectissimam in genere entis, vel intelligit perfectissimam, prout abstrahit ab vtraque prædicta: si primo modo intelligatur, non solùm per volitionem perfectissimam non producitur simile in natura substantiali, sed nec per intellectionem perfectissimam; quia omnis volitio, & intellectio creata, quantumuis perfectissima est accidens, si secundo modo, tã per volitionem, quàm per intellectionem producitur simile in natura, vt iam vidimus; si tertio modo per intellectionem, vt sic perfectissimam ad summum producitur simile, prout abstrahit à simili intentionaliter, & à simili in natura. Præsertim quod nulla est communis ratio abstrahens à creata, & increata, vt iam vidimus.

Quinto Pesantius q. 27. ar. 4. & Suarez 11. de Trinitate c. 5. vt adducant rationem disparitatis supponunt naturam Diuinam constitui intellectione, volitionem verò esse quid consequens ad naturam Diuinam ex hoc autem supposito deducunt rationem disparitatis, ob quam processio Filij sit generatio, & non processio Spiritus sancti, quia scilicet Verbum Diuinum procedit ex vi intellectionis, qua formaliter cõstituitur natura diuina, ac proinde ex vi suę processionis procedere simile in natura, seu ipsi ex vi suæ processionis cõmunicari formaliter naturam diuinam, secũdum propriam rationem naturæ, nempè sub ratione intellectionis, nõ verò Spiritui Sancto; quia ei tãtum communicatur materialiter, nempè sub ratione volitionis: quia ei communicatur ex vi volitionis formaliter, ac proinde Spiritum sanctum ex vi suæ processionis formaliter, nõ procedere similem in natura.

Hęc etiam ratio disparitatis nobis non placet. Primò, quia id quod supponunt, ex quo dictam rationẽ deducunt, est falsum; quia actualis intellectio diuina, potius supponit naturam diuinam, quàm eam

eam formaliter cõstituat, vt dixim. tract. de scientia disp. 1. dif. 6. quia actualis intellectio diuina, supponit saltim rationem intellectiui, ratio autem naturæ, seu essentiæ, vt pote omnium rationum diuinarũ prima nullam supponit rationem.

Secundò, quia quamuis id quod supponunt esset verum ratio disparitatis ex eo deducta non esset efficax; quia ex eo, quod ex vi intellectionis formaliter, communicetur natura Verbo diuino, nõ deducitur ei communicari naturam, vt intellectiuam, vel sub ratione intellectionis, sed tãtum quod ei communicetur natura; quia ex vi intellectionis producitur ipsum Verbum habens naturam diuinam, quamuis nequeat ei nõ communicari natura intellectiua, seu intellectualis; quia in Deo non est alia natura, sed nõ minus ex vi volitionis, seu dilectionis communicatur Spiritui sancto natura diuina, seu natura intellectiua; quia ex vi dilectionis producitur Spiritus sanctus eam naturam habens, quamuis ex vi dilectionis non communicetur Verbo, sed tantum Idolo, seu Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus est terminus dilectionis per quam communicatur, & non Verbum.

Sextò Aliacensis in 1. q. 88. Durandus in 1. d. 6. q. 2 & alij sequuti D. Augustinum 15. de Trinitate cap. 26. & 27. dicunt ex eo Verbum esse Filium, & non Spiritum sanctum; quia Verbum procedit ab vno tantum, Spiritus verò sanctus à duobus æque perfectè, & eodem modo, & tanquam ab vno principio, *vt quod* producentibus, ex eo autem quod Spiritus sanctus procedat à duobus æque perfectè, & eodem modo, & tanquam ab vno principio, *vt quod* concurrentibus, nõ est Filius; quia qui procedit, vt Filius à duobus, ab vno procedit, vt à Patre, & ab altero vt â Matre, Pater autem, & Mater nõ producũt Filium æque perfectè, & eodem modo, & tãquam vnum principium (sicut Pater & Filius producũt Spiritum sanctum) sed tanquã duo principia, & diuerso modo, & quia Verbum nõ procedit à duobus, sed tantum ab vno, ideò quamuis Spiritui sancto repugnet esse Filium, non tamen Verbo.

Hæc etiam ratio, vt iacet nõ est efficax; quia quamuis sufficeret ad probandum Spiritum sanctum non esse Filium; quia scilicet procedit à duobus, & non ab vno, tanquam à Patre, & ab altero tãquam à Matre, non tamen sufficeret ad probandum secundam personam esse Filium, ex eo videlicet præcisè, quòd procedat ab vno; quia si procederet per voluntatem, quamuis ab vno tantum, non esset Filius; quia non esset imago, vt ex dicendis constabit, cui accedit, quòd si Spiritui Sancto repugnat esse Filium; quia ex duobus ad id requisitis in creatis,

ex quibus ad diuina significanda hæc extensa sunt, nempè quod procedat à duobus & ab vno, tanquam à Patre, & ab altero, tanquam à Matre, deficit Spiritui Sancto, hoc posterius, magis repugnaret secundæ personæ esse Filium; quia secundæ personę deficiunt duo prædicta, quia nec procedit à duobus, & consequenter, nec à Patre, & à Matre: & sanè si increatis ad rationem Filij, non sufficit ab vno tantum procedere, quò modo constabit, & ostendi poterit id sufficere in diuinis, & non requiri aliud quod sit in secunda persona, & non in Spiritu Sancto.

Ratio ergo disparitatis ob quam Verbum est Filius, & eius processio est generatio, & Spiritus Sanctus non est Filius, & eius processio non est generatio, est quam adducunt Canarieſ. quæst. 27. art. 2. Vannez art. 4. Vazq disq. 113. cap. 7. Turrian. disp. 1. dub. 7. Ruiz disp. 6. sect. 1. & Alarcon disp. 8. cap. 16. & 17. quia scilicet Verbum non tantùm procedit, simile in natura Patri à quo procedit, sed etiã vt Imago illius, Spiritus verò Sanctus, quamuis procedat, vt similis in natura Patri, & Filio à quibus procedit, non tamen vt Imago eorum; quia particula illa: *In similitudinem naturæ* in definitione generationis idem est, *ac in imaginem.*

In huius autem rationis disparitãtis confirmationem, duo nobis probanda sunt, vnum est ad rationem filij requiri esse imaginem Patris, alterum est Verbum esse imaginem Patris, Spiritum verò Sanctum non esse imaginem Patris, & Filij, quamuis sit eis similis in natura.

Et in primis, ad rationem filij requiri esse imaginem Patris significant Alexander Alexandrinus, Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum orat. 36. quæst quarta de Theologia, Athanasius Epistola de decretis, Nicenæ, Synodi, Basilius lib. 2. contra Eunomium, & Epist. 43. ad Gregorium Nisenum, Augst. lib. 5. quæstionũ in Deutheronomium q. 4. & alij Patris quos Ruiz refert; vbi supra.

Secundò id ratione probatur; quia increatis, ex quibus hæc omnia extẽsa sunt ad significãda diuina, quilibet filius est Imago Patris, & ita præsefert imaginẽ aliquã illius, vt ex eo benecognito, etiã deueniatur in notitiã Patris, quòd constat ex definitione imaginis; quia Imago est similitudo expressa ad repręsentãdũ, vt ex Aug. de generi ad litterã c. 16. & in alijs locis dicemus, disp. 7. dif. 9. & 10. Filius autẽ producitur à Patre, vt Patrẽ ipsũ repræsentet, ex intentione ipsa naturæ, quæ ex opere ipso dignoscitur, & ob id, quis dicitur magis, aut minus perfectus Filius quo magis, aut minus repræsentat Patrẽ, & ob id Filius qui magis repræsentat Matrẽ, quã Patrẽ dicitur magis Filis suæ Matris, quã sui Patris, ad rationẽ ergo propriè Filij requiritur esse imaginem Patris.

Deinde

Deinde quod Verbum diuinum, sit imago Patris, & quod Spiritus Sanctus non est Imago Patris, & Filij, dicemus in ea disp. 7. dif fic. 9. & 10. interim tamen per trãset, nã probatur: & in primis quod Verbum sit Imago Patris, quia Verbum est similitudo Patris, per intellectum Patris producta, seù expressa ad repræsentandum ipsum Patrem, à quo solo, vt ab obiecto intelligibili, & per se procedit media intellectione notionali, seu propria Patris, tamquam terminus huius intellectionis: repræsentat autem soli Patri, & non alij; quia tantùm est terminus intellectionis notionalis Patris, terminus autem intellectionis, tantùm repræsentat ipsi intelligenti, producenti media intellectione ipsum terminum.

Quod verò Spiritus Sanctus non sit Imago Patris, & Filij probatur; quia vt iam diximus Imago, est similitudo expressa ad repræsentandum Spiritus autem Sanctus quamuis similis Patri, & Filio in natura, eos tamen non repręsentat, nec representare potest, quia eos nulli repræsentat, nec repræsentare potest: & in primis Spiritus Sanctus, nequit Patrem, & Filium ipsismet repræsentare; quia Pater, & Filius non se intelligunt, nec se possunt intelligere Spiritu Sancto tamquam forma; quia Spiritus Sanctus formaliter, vt Spiritus Sanctus non est intellectio, nec terminus, seu species expressa, qua Pater, & Filius se intelligunt, vt patet, nec se intelligunt, nec se intelligere possunt Spiritu Sancto tamquam obiecto prius cognito; quia Pater, & Filius, se ipsos immediatè, & æque, primò se intelligunt, & non quia prius intueantur Spiritum Sanctum: deinde Spiritus Sanctus non repręsentat, nec repręsentare potest creaturis, Patrem, & Filium, quia non viatoribus, vt patet, quia non cognoscunt Spiritum Sanctum, vt in se est, nec beatis videntibus Deum; quia si aliquo modo maximè tanquam obiectum prius cognitum, nequit autem hoc modo, quia qui videt Deum, non intuetur, nec intueri potest Patrem, & Filium, quia prius intueatur Spiritum Sanctum, quia omnes eos tres æquè primo intuẽtur.

Quod si contra hanc rationem, qua probatur Spiritum Sanctum non esse imaginem Patris, & Filij obijcias primo hanc rationem desumi ex re minus certa, quàm sit ipsa conclusio, quia certius est Spiritum Sanctum non esse Filium, quam nõ esse imaginem, quia est de fide non esse filium, & non est de fide non esse Imaginem ergo ratio adducta non est efficax. Respondemus, admittendo antecedens, quod etiam contingit in omnibus alijs rationibus, quæ adducuntur ab alijs, ex eo tamen solum concluditur rationem no-

ſtram non eſſe ita efficacem, ac eſt certa concluſio, non tamen concluditur intra genus probabilitatis non eſſe efficacem: & addimus, quod quamuis Spiritum Sanctum non eſſe imaginem Patris & Filij nō ſit ita certum, ac nō eſſe Filium, nō tamen eſt ita obſcurum, ſed eſt clarius, & eius iam inſinuauimus rationem, quā amplius extendimus in ea diſp. 7. nec infirmat noſtram rationem, quod ratio imaginis eſſet poſterior ratione Filij, quia ex hoc tantum ſequeretur eam rationem non eſſe à priori, ſed tantum à poſteriori, quæ ob id nō eſt contemnenda.

Quòd ſi cōtra eandem noſtram rationem obijcias ſecundo, quamuis non eſſet poſſibilis intellectus creatus, qui perequum genitū duci poſsit in cognitionem equi genitoris, nihilominus equus genitus, verè eſſet Filius equi genitoris: ergo ratio repræſentationis, & imaginis nō eſt neceſſaria ad rationem Filij. Reſpondemus ad rationem imaginis requiſitæ & ſufficiētis ad rationē Filij, nō requiri actualem repræſentationem, ſed ſufficere aptitudinem ad illam, ideſt, quod Filius ſit talis naturæ, aut proprietatis, vt quātum eſt ex ſe, poſsit ducere in cognitionem generantis, id autem erit in Filio, etiam ſi nō eſſet poſsibilis intellectus creatus.

Quòd ſi tertio obijcias increatis viuētibus ſaltem ſenſibilibus, in quibus reperitur ratio Patris, & Filij, ratio imaginis, & repræſentationis in Filio, oritur ex ſola ſimilitudine in natura, cū producēte ipſum: ergo ex ſola idētitate in natura orietur in Spiritu Sancto ratio imaginis Patris & Filij. Reſpōdemus in dictis creatis ex ſola ſimilitudine in natura producti cum producente, tanquam ex radice oriri in producto rationem repræſentationis, & imaginis; quia Filius accipit à Patre naturam indiuidualiter ſimilem (qualem nō accipiūt nō viuentia, vt ignis, nec viuentia, nōſenſibilia) ex qua ſic indiuidualiter ſimili in Filio oriūtur proprietates indiuiduales, & accidētia ſimilia accidētibus Patris, quibus proximè ducimur in cognitionē Patris: in diuinis verò ex ſola identitate naturæ non oriri; quia ex illa ſola nullus intellectus deueniet in cognitionem principij producentis, nec ea alicui repræſentat ipſum principiū producens, niſi adiūgatur proprietati perſonali Vberbi, ex quibus coaleſcit, id quod eſt terminus intellectionis notionalis propriæ Patris, ſolus autem terminus totalis intellectionis eſt, qui ſoli Patri repræſentat ipſum Patrem.

DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm in Deo ſit potentia realis ad productiones diuinarum perſonarum?

AVreolus in 1.diſt.7.par.1.ar.2.docet in Deo non eſſe potentiam realem, ad productionem actiuam ad intra, ſeu diuinarum perſonarum, ſed tantum non repugnantiam; probari autem poteſt; quia in Deo non eſt vera, & realis productio, ſeu actio elicita ad intra: ergo nec vera, & realis potentia productiua, ad intra: conſequētia patet; quia potentia vera, & realis eſt ad realiter eliciendam actionem, ſeu productionem, antecedens autem probatur; quia productio ad intra in Deo, nō eſt diſtincta à producente, v.g. generatio actiua à Patre: ergo nō eſt realiter elicita à producente; quia realiter elicere denotat realem diſtinctionem ab eliciente.

Bannez verò quæſt.41.art.4. Vazq diſp.165. Suarez lib.6.c.5. Zuñiga diſp.16.dub.4. Mæratius diſp.55. Granad.diſp.3.ſectione 1. Ruyz.diſp.99.ſectione 2. & communiter Scholaſtici docent in Deo eſſe veram, & realem potentiam ad intra, ſeu ad productionem Filij, & Spiritus Sancti. Et merito, quia in primis in Deo eſt perſona, quæ re ipſa paſsiuè producitur, ſeu procedit, & originatur à perſona producēte: ergo in ipſa perſona producēte eſt potētiā realis, nō tantū ad perſonā productā, ſed etiam ad paſsiuam productionē ratione diſtinctam à perſona producta; quia tàm proceſsio, ſeu productio paſsiua, quàm perſona producta re ipſa exit à perſona producente.

Deinde in Deo eſt perſona, re ipſa actiuè originans, ſeu producens: ergo etiam eſt re ipſa potens actiuè producere: ergo in Deo, ſeu perſona producente eſt etiam realis potentia ad originem, ſeu productionem actiuam; quia ſi eſt re ipſa potens ad producendum actiuè, eſt talis à potentia reali actiua ad producendum, quamuis ratione tantum diſtincta ab ipſo producente, & à potente producere. Quòd autem productio actiua, non diſtinguatur re ipſa à perſona producente, & ab ea non eliciatur realiter, non obſtat, vt ad illam productionem poſsit eſſe potentia realis actiua; quia ipſa actio, ſeu productio actiua non producitur à potente producere: ſufficit ergo, quòd ſit realis productio, quamuis non ſit realiter diſtincta, nec realiter elicita: & quòd tantum ratione noſtra à potente diſtinguatur,

& fit ratione nostra quasi actus medius inter personam producentem, & productam.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum, constat enim processionem, seu originem passiuam esse reipsa elicitam, seu exeuntem à persona producente: & quanuis origo actiua non sit realiter elicita quia à persona producente non distinguatur realiter, non tamen est necessarium, quia sufficit, quòd sit realis productio personæ productæ, vt sit realiter producens, & potens producere aliquid.

DIFFICVLTAS IX.

Quid in Deo sit formaliter potentia productiua ad intra?

SVpponimus contra Gregorium Ariminensem in 1. dist. 7. q. 1. ar. 2. & contra maiorem quæst. vnica in Deo assignandũ esse duplex principium productiuum ad intra, seu intra ipsum Deum, vnũ *quod*, & alterum, *quo* instar rerum creatarum, in quibus, & reperitur agens *quod* producit, & dicitur principium *quod*, & id quò agens producit, & dicitur principium, *quo*: in Deo principium *quod* productionis ad intra, est persona, in quo conueniunt Theologi: tota autem controuersia est de principio, *quo*, quòd dicitur potentia, quid sit formaliter in Deo, an scilicet sit ipsa essentia, an proprietas personalis, an vtraque simul.

Circa hanc controuersiam in primis Bonauent. in 1. dist. 7. q. 1. Durandus quæst. 2. & Carthusianus quæstione 1. docent potentiam productionis ad intra esse solam personalitatem, seu proprietatem personalem personæ producentis; quia quoties productio, seu operatio conuenit alicui supposito, & non alteri principium *quo*, seu potentia in illo est, id quod est proprium, & peculiare ipsi suppositi producenti, sed sola personalitas est propria personæ producentis, & non essentia, ergo.

Modus tamen iste dicendi nobis non probatur, quia sola personalitas in diuinis nõ est principium, *quo* seu potentia ad intellectio, nem qua producitur filius; nec ad amorem quo producitur Spiritus Sanctus, & non solùm formaliter, & proxime non est potentia ad has actiones, quia formaliter non est intellectus, nec voluntas, sed nec radicaliter, & media è, quia intellectus, & voluntas nostro

modo

modo concipiendi oriuntur, ex natura diuina, & non ex perſonalitate.

Ex eo verò, quod generatio actiua conueniat ſoli Patri, & ſpiratio actiua ſolis Patri, & Filio, non deducitur principium quo eſſe aliquid peculiare illis, quia ſufficit quod aliquid peculiare ſit requiſitum, vt aliquid exiſtens in ſuppoſito producente ſit potentia.

Secundò, Ocham. & Gabr. in 1. diſt. 7. quæſt. 1. Docent potentiam productiuam ad intra eſſe ſolam eſſentiam abſque aliquo reſpectu, & connotatione ad perſonalitatem perſonæ producentis; quia nullus reſpectus rationis, qualis ſolus eſt in eſſentia ad perſonalitatem, poteſt eſſe determinatiuus ad rationem potentiæ realis, realiter productiuę, qualem diximus eſſe potentiam productiuam ad intra.

Modus etiam iſte dicendi nobis non probatur, quia potentia productiua ad intra non eſt communis tribus diuinis perſonis, vt patet, quia non omnes poſſunt producere ad intra, ſed eſt propria & tantùm conueniens perſonę producenti, ſed eſſentia diuina eſt communis tribus perſonis diuinis: ergo in ea ſola abſque alio proprio perſonæ producentis requiſito, nequit eſſe potentia productiua ad intra.

Tertiò, nonnulli, vt refert Durandus in 1. diſt. 7. quæſt. 2. exiſtimarunt ad potentiam productiuam ad intra Deo æque pertinere eſſentiam, & perſonalitatem propriam, quamuis reſpectu diuerſorum; quia in diuina productione ad intra ſunt duo, nempè communicatio naturæ, & productio perſonæ: dicunt ergo eſſentiam eſſe potentiam reſpectu communicationis naturæ diuinę, quæ communicatur productione, Diuinę perſonę; quia principium communicationis non debet diſtingui ab eo quod communicatur, quia idem poteſt ſe ipſum communicare. perſonalitatem vero propriam eſſe potentiam reſpectu ipſius productionis perſonæ: quia principium productionis debet diſtingui à re producta.

Modus etiam hic dicendi nobis non probatur, quia in productione notionali, nequit adhuc ratione diſtingui duplex actio, quarū vna ſit communicatio naturæ, & altera productio, quia productio perſonę diuinæ, nequit concipi ſine communicatione naturę, vt patet, & contra communicatio naturæ, nequit cōcipi, ſine productione perſonæ, quia communicare aliquid eſt illud facere commune, quod fit ipſa productione perſonæ: ergo in primis ad productionem notionalem non requiritur duplex potentia; quia in ea productione non eſt duplex actio: & deinde ſi eſſentia nequit eſſe

[illegible]

principium *quo* ſeu potentia productionis, nō poterit eſſe communicationis, & ſi perſonalitas nequit eſſe potētia, ſeu principium *quo*, communicationis non poterit eſſe productionis.

Quartò, Henric. quodlib 3 q. 3. Ricar. in 1. d. 7. ar. 1. q. 1. Pet. de Tarant d. 7. q. 1. Valen. q. 15 pun. 2. & Zuñiga diſp. 16. dub. 6. memb. 3. docent potentiam productiuam productionis notionalis, ſitam eſſe formaliter in eſſentia Diuina, & in perſonalitate, in vtraque intrinſicè, & in recto, quamuis perſonalitas magis principaliter pertineat.

Modus etiam iſte dicendi nobis non placet; quia ſecundum eū principium *quo*, ſeu potentia non diſtinguitur à principio *quod*, ſeu à producente, quod eſt perſona; quia perſona nihil aliud includit, hoc autem eſt falſum; quia principium *quo*, ſemper eſt aliquid principij totalis producentis, vt *quod*, & non ipſum principium totale.

Quintò, Vazquez diſput. 164. cap. 3. Turrianus diſput. 28. dub. 4. Mæratius diſput. 55. Ruyz. diſput. 100. ſectione 3. & Alarcon diſput. 5. cap. 2. docent potentiam productiuam ad intra in Deo includere intrinſicè eſſentiam, & perſonalitatem, nō ex æquo, ſed eſſentiam in recto, & perſonalitatem connotatiuè, ſeu in obliquo, quod etiam ſignificat Gran. diſp. 3.

Modus etiam hìc nobis non placet; quia principium *quo*, ſeu potentia re ipſa, imo, & noſtro modo concipiendi, tantum eſt aliquid producentis, & non totum ipſum producens; quia non includit, tantum quantum principium *quod*, ſeu producens, iuxta hunc autem modum dicenda potentia, non eſt aliquid producentis, ſed totum quod includit producens; quia producens non includit, niſi eſſentiam, & perſonalitatem, & potentia iuxta hunc modum dicendi, etiam includit eas duas, quamuis oppoſito modo, quam perſona; quia perſona in recto includit perſonalitatem, & in obliquo eſſentiam, potentia verò iuxta eum modum dicendi è contra; quia includit eſſentiam in recto, & perſonalitatem in obliquo, ac proindenō aliter quam principium producens, vt *quòd*; quia principium producens, vt *quod*, ſaltem, ſecundum hunc modum dicendi, eſt directè Deus, & indirectè perſona, ſicut ratio producendi, ſeu principium, *quo* eſt Deitas directè, & Perſonalitas indirectè, vnde iuxta hunc modū dicendi potentia formaliter erit Deus (quòd ex ſe apparet falſum) quia coaleſcens ex eſſentia in recto, & ex perſonalitate in obliquo eſt formaliter Deus, quamuis ad rationem Dei non ſit neceſſarium, quòd cōnotetur perſonalitas in ſingulari, quam iuxta hunc

mo-

modum dicendi connotat potentia, ſed ſufficiat perſonalitas vage, ſeu in communi.

Sextò ergo Scotus in 1. diſt. 7. & Suarez lib. 6. c. 5. dicunt & merito potentiam productiuam, ad intra in Deo intrinſicè, & formaliter eſſe ſolam eſſentiam diuinam extrinſicè tamen, cōnotare perſonalitatem propriam producentis, tāquam quid neceſſarium, quod etiam docere videntur Gab. Capr. & Marſil. & docet S. Th. q. 41. ar. 5. & docere videntur Caiet. & communiter Thomiſtę.

Prior pars, nempè potentiam intrinſicè, & formaliter non eſſe aliud, quam eſſentiam expreſſa eſt à Ioanne Theologo in Concilio Florentino ſeſione 18. & 19. dum ait: *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris ſubſtantia generari, ita tamen, vt Pater ſit generans, principium autem, quo ipſa perſona generat eſt, id quòd ſolum communicabile eſt.* Quòd etiam approbari videtur ab ipſo Concilio, in quibus verbis continetur principium *quo* eſt, quòd communicabile eſt, quòd non conuenit perſonalitati, ſed tantum eſſentiæ, imò & additur particula *ſolum*, quæ maximè vrget contra quartum, & quintum modum dicendi.

Et ratione probatur; quia Filius, ſeu Verbum Diuinum, v. g. ſufficienter producitur ſola intellectione; quia Verbum ſpirituale generaliter ſufficienter producitur intellectione, vt manifeſtum eſt: ergo Verbum Diuinum ſufficienter producitur ſolo intellectu, tamquam principio, *quo* proximo, ſeu potentia proxima, intellectus autem formaliter, & intrinſicè non includit perſonalitatem Patris: ergo nec potentia proxima productionis Filij: ergo potentia radicalis, ſeu remota (de qua loquimur) formaliter, & intrinſicè eſt ſola eſſentia; quia ex ea ſola noſtro modo concipiendi oritur intellectus: & eadem proportionali ratione, probatur, potentiam productionis Spiritus Sancti, formaliter, & intrinſicè eſſe ſolam eſſentiam; quia Spiritus Sanctus, vt potè amor productus ſola volitione producitur: ergo ſola voluntate, tamquam potentia proxima, & ſola eſſentia, tamquam potentia radicali, ſeu remota; quia voluntas ex ſola eſſentia oritur, & ſolius eſſentiæ eſt attributum: ſola ergo cognitio in Patre, ſufficit intrinſicè ad producendum Verbum, ſeu eſt ipſa productio Verbi, & ſola volitio in Patre, & Filio ſufficit intrinſicè ad productionem Spiritus Sancti, ſeu eſt ipſa productio Spiritus Sancti.

Poſterior verò pars, nempè perſonalitatem propriam perſonæ producentis requiri extrinſicè, & connotatiue, tamquā quid neceſſarium, vt eſſentia Diuina ſit potentia, ſeu principium, *quo* productio reis ad intra, ex eo conſtat; quia non in omnibus tribus perſonis

eſt

est principium quo seu potentia, quia in Patre est potentia ad gene randum, & non in Filio, nec in Spiritu Sancto, & in Patre, & in Filio est potentia ad spirandum, & non in Spiritu Sancto: ergo personalitas producentis est ad id necessaria aliquo modo, sed non intrinsicè & formaliter, ob rationem dictam; ergo solùm extrinsecè: est autem necessaria extrinsece non tanquam conditio applicans ipsam essentiam, aut aliud, sed tanquam constitutiua suppositi apti, ad producendum, *vt quod* essentia enim in Patre est principium quo seu potentia generandi; quia suppositum Patris est suppositum aptum ad generandum, quia nihil aliud quam suppositum coalescens, ex essentia, & ex personalitate Patris, est potens generare, vt *quod*, ac proinde essentia in sola persona Patris, seu coniuncta personalitati Patris est principium, quo, seu potentia remota ad generandum, aut saltem in sola persona Patris est expedita ad id, & essentia in personis Patris, & Filij, & in eis solis est potentia remota ad spirandum, aut saltem est expedita, ad id, ea proportione qua materia prima coniuncta formę ignis, seu in igne est principium, *quo* materiale radicale, ignefactionis, aut saltem in igne est expedita ad id, & non coniuncta formæ ligni, aut ligno, quamuis in eo sit connaturaliter; quia coalescens ex materia prima, & ex forma ignis calefacit, & non coalescens, ex materia prima, & ex forma ligni: & ea proportione qua qualitas, quæ est potentia visiua, non est potentia visiua existens extra viuens, & extra organum, aut saltem non est expedita, ad id in opinione eorum, qui dicunt, viuens ipsum concurrere, *vt quod* ad videndum, & potentiam visiuam, *vt quo*; quia in diuinis suppositum, ipsum producit, *vt quod* personam diuinam, & non essentia, nec intellectus, quia solùm suppositum distinguitur realiter à producto, & nō essentia, nec intellectus, principium autem, *vt quod* necessariò distinguitur realiter à producto, nō verò principium quo.

Ita tamen essentia diuina est potentia productiua ad intra, seu principium, *quo* productionis, vt tātùm sit principium radicale, & remotum, intellectus verò, & voluntas sunt principium proximum, *vt quo*; quia intellectus in Patre est, id quo Pater proximè generat filium, & voluntas in Patre, & Filio, est id quo Pater, & Filius proximè spirant Spiritum Sanctum.

Ex dictis constat, quòd quamuis in tribus personis Diuinis sit essentia, nihilominus, non in omnibus est potentia productiua ad intra; quia non in omibus essentia est principium, *quo*, nec esse potest, ex defectu personalitatis requisitæ, extrinsecè: imò nō in omnibus est intellectus, nec voluntas sed tantum in Patre est re ipsa intellectus,

& in ſolis Patre, & Filio eſt re ipſa voluntas; quia in nulla perſona Diuina eſt re ipſa intellectus eſſentialis, ſeu ad intellectionem eſſentialem, nec voluntas eſſentialis, ſeu ad volitionem eſſentialem, vt diximus Tractat. de ſcientia Dei, diſp. 1. dif. 4. & Tract. de Voluntat. diſp. 1. dif. 2. quia in Deo non eſt potentia aliqua productiua intellectionis eſſentialis, nec volitionis eſſentialis, intellectus autem eſt potentia productiua intellectionis, & voluntas volitionis, ſed in Patre eſt intellectus notionalis, qui eſt potentia proxima ad intellectionē notionalem, quæ re ipſa eſt productio Verbi, & in Patre & in Filio eſt voluntas notionalis, quæ eſt potētia proxima ad volitionē notionalem, quæ re ipſa eſt productio Spiritus ſancti.

Quamuis ergo in filio ſit id quod in Patre, eſt intrinſice principium, *quo* remotum generationis, in filio tamen non eſt principiū, *quo* remotum generationis, nec eſſe poteſt, non defectu alicuius intrinſeci ad potentiam remotam, ſeu principium, *quo* remotum, ſed defectu requiſiti extrinſecè; quia potentia cum ſit alicui ratio, ſeu virtus producendi, non tantum reſpicit obiectum producibile, vt ſit potentia, ſed etiam reſpicit eum cui eſt ratio, ſeu virtus ad producendum; quia ergo eſſentia in filio non eſt ratio generandi, nec ei eſſe poteſt, nec in Spiritu ſancto eſt ratio ſpirandi; ideò in filio non eſt potentia generatiua remota, acproinde, nec intellectus notionalis, qui eſt potentia proxima ad generādū, nec in Spiritu ſancto eſt potentia ſpiratiua remota, acproinde, nec voluntas notionalis, quæ eſt potentia proxima ad ſpirandum.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm perſonæ Diuinæ ſint æquales in Omnipotentia?

SVpponimus, tanquam manifeſtum de fide, Omnipotentiam omnibus tribus perſonis conuenire, & æqualiter: hoc ergo ſuppoſito difficultas eſt, qua ratione dicantur, & ſint æquales in Omnipotentia.

Ratio difficultatis pro parte negatiua eſt; quia in Patre eſt potentia generatiua Filij, & non in aliis duabus perſonis, & in Patre, & in Filio eſt potentia ſpiratiua Spiritus ſancti, & nō in ipſo Spiritu ſancto: ergo non ſunt æquales in Omnipotentia.

Procedit ergo difficultas, hæc ex ſuppoſitione quod in Deo ſint dictæ potentiæ productiuæ, ad intra reſpectu actuum notionalium; quia iuxta opinionem Auteoli illas negantis, vt diximus difficul-

cultate s. nulla *est* difficultas; quia in potentia productiua ad extra, quam solam in Deo admittit, personę diuinæ absque dubio sunt æquales.

Inter eos qui in Deo admittunt potentias productiuas ad intra, in primis Ferrar. 4. contra Gentes capit. 13. & Ruyz. disp. 101. ponunt in Deo tres personas Diuinas esse æquales in Omnipotentia, quamuis potentia productiua ad intra non sit in omnibus; quia eadem potentia ad intra, quæ est in vna persona, verbi gratia, in Patre etiam est in Filio, quamuis sub diuerso respectu; quia potentia, quæ est in Patre, vt generet, eadē etiam est in Filio, vt generetur: hęc tamē responsio nō satisfacit difficultati; quia iuxta eam nō admittitur, v.g. in Filio potētia ad generandum actiuè, sed tātum vt producatur passiuè, difficultas autem procedit de æqualitate in Omnipotentia actiua productiua.

Secundò Argent. & Ægy. in 1. d. 20. q. vnica. Respōdent ideò in Filio, quamuis nō sit potentia generatiua, nihilominus in eo esse omnī potētiam sicut in Patre, & ei esse æqualem in ea; quia omnipotentia tantum est eorum, quę nō implicant cōtradictionem, & non est minor; quia nō possit quod cōtradictionem implicat, & quia implicat in Deo alium Filium generari, ideò non est minor Omnipotētia Filij quam Patris; quia solum est repugnantia ex parte obiecti, & non est defectus ex parte entitatis potentię: hæc tamen responsio etiā nō satisfacit; quia Omnipotentia simpliciter dicitur respectu eorū, quæ absolutè, & in se non implicant contradictionem produci, & nō tātum respectu eorum, quæ ex parte agentis non implicant fieri, aliàs creatura esset omnipotens; quia potest omnia, quæ non implicāt cō tradictionem fieri ab ipsa, sed Filius diuinus absolutè, & in se nō implicat cōtradictionem generari: ergo in Filio nō erit omnipotētia, si ad omnipotentiam est necessarium posse in actū exire, & producere obiectum cuiuscūq; potentiæ, etiam productiuæ ad intra quod in se nō implicat contradictionem, produci eo modo, quo est necessariū non implicet ad obiectum omnipotentię.

Marsilius lib. 1. q. 11. art. 4. & q. 23. art. 2. & Canariensis q. 42. ar. 6. Respondent ideo personas Diuinas esse æquales in Omnipotētia; quia in omnibus tribus, & in qualibet earum, non solum est potentia productiua omnium ad extra, sed etiam eorum, quæ sunt producta ad intra; quia essentia, quæ est potētia ad intra in Patre, etiam est in Filio, & essentia, quæ est potentia in Patre, & in Filio, etiam est in Spiritu sancto, hæc etiam responsio non satisfacit; quia vt supra vidimus, quamuis in Filio sit, id quod in Patre est potentia, seu principium quo generationis, & in Spiritu sancto sit id quod in Patre, &

in

in Filio est potentia, seu principium *quo* spirationis, in filio tamen non est potentia actiua generandi, & in spiritu nō est potentia actiua spirandi, vt diximus supra.

Quartò ergo Scot. Gab. & Greg. in 1. d. 20. q. 1. Durand. d. 10. q. 1. Vaz. disp. 163. Sua lib. 4. c. 1. Turria disp. 28. dub. 6. & Merat. disput. 56 respondent, & bene ideò tres personas diuinas esse æquales in omnipotentia, etiamsi in omnibus tribus nō sint potentiæ productiuę ad intra; quia omnipotentia tantum est respectu creaturarum extra Deum, & in omnibus tribus est potentia, & eadem respectu creaturarum extra Deum.

Et in primis in omnibus tribus esse potentiam, & eamdem respectu omnium creaturarum ad extra manifestum est; quia in omnibus est essentia diuina, & eadem numero, essentia autem in Deo, etiam absq; alio extrinseco requisito est Omnipotentia.

Et quamuis ad Omnipotentiam esset extrinsicè requisita persona Iitas diuina, sed nō aliqua determinatè; quia quęlibet esset sufficiēs: quòd verò Omnipotētia in Deo tātum sit, & dicatur respectu creaturarum, & nō respectu actuum notionalium, deducitur ex Fulg. lib. de fide ad Petrum c. 3. dum ait, in eo intelligitur omnipotens Deus, quòd omnem creaturā de nihilo produxit: & id ratione cōstat; quia Deus eodem modo dicitur, nūc omnipotēs, sicut dicebatur ante reuelationem pluralitatis personarum, sed ante eam reuelationem dicebatur omnipotēs tātum respectu creaturarum; quia ante eā nulla cognoscebatur potētia productiua ad intra: ergo & nunc tantum est, & dicitur omnipotens respectu earum.

Quòd si obijcias Aūgust. lib. 3. cōtra Maxim. hæreticum, cap. 14. dum ait: *Si Pater non potuit generare Filium æqualem, vbi est Omnipotentia Patris*: quibus verbis videtur significare Aug. sub Omnipotentia etiam cōtineri potentiam productiuam ad intra: quòd etiam significare videtur alij patres, quos refert Ruyz sect. 4. Respondem. Aug. in eis verbis, & alios patres in similibus, nō vsurpasse omnipotētiam pro attributo omnipotētiæ, de quo disputamus, sed pro plena, & perfecta fœcunditate ad generandum, & ita Aug arguisse contra Maxim. si Pater in creatis est fœcundus ad producendum filium sibi consubstantialem, & æqualem, si Pater in diuinis id non potuit, (quòd dicebat Maxim.) ei deficit plena fœcunditas, quæ solet esse in creatis.

Ex eo autē quod in Patre sit potētia generatiua ad intra, & non in Filio, nec in Spiritu sancto, & in Patre, & in Filio sit potentia spiratiua, & non in Spiritu sancto, non deducitur Personas esse inæqualiter perfectas; quia vt iam diximus difficultate 9. totum quod est

po-

potentia in persona producente, etiam est in persona producta, quamuis in hac non habeat rationem potentiæ productiuę ad intra: quòd verò in persona producente habeat rationem potentiæ, non est perfectio aliqua distincta ab ipsa essentia (quæ est eadem numero in tribus personis) sicut potentia non est intrinsecè distincta ab ipsa essentia.

DIFFICVLTAS XI.

Quis sit terminus formalis productionis notionalis?

CONueniunt Theologi terminum totalem productionis notionalis in Deo esse personam productam, quòd est manifestum, est ergo difficultas de termino formali, vt à totali distincto, siue re ipsa, siue tantum ratione nostra.

Scotus in 1. dist. 5. quæst. 2. Caie. q. 41. ar. 2. Vazquez disp. 162. Suarez lib. 1. cap. 6. Turrianus dispu. 18. Mœratius disp. 55. & Ruyz. disp. 96. sect. 7. docent terminum formalem productionis diuinæ ad intra esse Essentiã Diuinã, & non personalitatem; quia terminus formalis cuiuscumque productionis est id, quòd est forma termini totalis, etiam si per eam actionem non producatur; quia id debet assignari pro termino formali actionis, vt communis modus concipiendi ostendit, quo terminus totalis formaliter constituitur, id enim, quòd non est forma termini totalis, nequit terminare, tamquã forma, sed Essentia Diuina est forma, vel quasi forma termini totalis producti, & non personalitas; quia ab essentia, quasi à forma, & non à personalitate habet persona, quòd sit Deus: ergo. Et confirmatur; quia aliàs diuina productio non esset vniuoca; quia productio vniuoca terminatur, ad terminum eiusdem rationis cum producente.

Durand, verò in 1. dist. 5. q. 2. & Aureolus etiam dist. 5. quæstione vnica art. 2. prop. 3. & art. 3. column. 3. docent terminum formalem productionis diuinæ, ad intra non esse essentiam, sed personalitatem. Et meritò, quia terminus formalis cuiuscũq; productionis alicuius totius, vel quasi totius est forma, vel quasi forma illius totius, vel illi⁹ termini totalis; qua terminus totalis formaliter cõstituitur, vt dicimus in probatione sentẽtiæ aduersariorũ, sed personalitas Diuina, & non essentia Diuina est forma, vel quasi forma, qua terminus totalis constituitur; quia terminus totalis productionis Diuinæ ad intra est coalescens, seu constitutum ex essentia, & personalitate, in

co

eo autem producto, & ita constituto, Essentia Diuina est quasi subiectum, & materia, & personalitas est quasi forma, seu actus, vt docet Sanctus Thomas quæstione 41. articul. 5. quia essentia est, quæ in eo toto quasi contrahitur, & perficitur, & quæ quasi substat, & subest personalitati, è contra verò personalitas est, quasi contrahens, & perficiens essentiam, & quasi ei adueniens, & cui essentia quasi subest: ergo personalitas in eo termino totali producto est quasi forma, & essentia quasi materia, & quasi subiectum: ergo terminus formalis productionis notionalis est personalitas, & non essentia.

Et confirmatur primo, quia quamuis in priori actione, qua v. g. humanitas Petri generatur, terminus formalis sit anima rationalis; quia est forma humanitatis, quæ est terminus totalis dictæ generationis, nihilominus in posteriori actione, qua postea producitur, aut comproducitur personalitas, & fit, seu producitur persona Petri, tamquam terminus totalis personalitatis est terminus formalis; quia in eo termino totali, personalitas est actus, & quasi forma actuans humanitatem, & humanitas est potentia subiectiua, & quasi subiectum, & materia: ergo in productione Diuina, in qua terminus totalis est quoddam quasi coalescens, & constitutum ex natura Diuina, & ex personalitate, personalitas est terminus formalis, & non natura, sed hæc est terminus materialis; quia terminat eam productionem non quasi forma, sed quasi materia.

Et confirmatur secundo; quia Processiones Diuinæ distinguuntur quasi specie; quia vna est actus intellectus, & altera est actus voluntatis: ergo in eis, assignandi sunt termini formales, quasi specie distinti, & non vnus tantum; quia productiones à terminis formalibus specificãtur, vel quasi specificantur: ergo termini formales sunt personalitates, quæ distinguuntur quasi specie, & non Essentia Diuina, quæ est vna tantum numero.

Et quia in productione notionali, adhuc ratione nostra est vnica tantum actio, quæ est communicatio naturæ, & productio personæ, ideò in ea est tantum vnicus terminus formalis assignandus, & non alius quam personalitas, sicut ob eamdem rationem, Tractatu de Incarnatione disput. 2. diffic. 9. vnicum tantum terminum formalem actionis Incarnationis assignauimus, & non alium quam personalitatem Verbi personantem humanitatem Christi: & ob eamdem rationem difficultate 10. vnicam tantum potentiam ad productionem notionalem in persona producente assignauimus.

Ad rationem ergo, aduersariorum concedimus maiorem, nempè terminum formalem esse id, quod in termino totali est forma, vel quasi forma, negamus tamen minorem, nempè essentiam esse formam, vel quasi formam termini totalis productionis Diuinæ; quia potius personalitas est, quasi forma, ob rationem dictam. Et quamuis verum sit quod terminus totalis, qui est coalescens ex Essentia Diuina, & ex personalitate, sit Deus, & sit persona, dicitur tamen Deus ab eo, quod in eo coalescente est quasi materia, (etiam si quo ad denominandum Deum assimiletur formæ) & dicitur persona ab eo, quòd in eo coalescente, seu constituto est quasi forma.

Et ad confirmationem dicimus, productionem Diuinam partim esse æquiuocam; quia terminus totalis, seu productum per eam est diuersæ rationis personalis a producente, partim verò, sed præcipuè esse vniuocam, quia productum per eam est eiusdem rationis essentialis cum producente; & quia essentia, seu natura, nostro modo intelligendi, est principalior, quam personalitas; quia hæc cõcipitur quasi modus essendi, seu naturæ, ideò præcipuè dicitur vniuoca, quamuis terminus formalis sit diuersæ rationis; quia actionem dicit æquiuocam, vel vniuocam non à termino formali, sed à totali desumitur.

DIFFICVLTAS XII.

Quid significet particula de, *cum Filius dicitur* de substantia Patris?

COnueniunt Theologi primo, propositionem hanc *Filius est de substantia Patris* esse veram, & definita est in Cõcil. Toleta. 3. 4. & 11. in cõfessione fidei, & tradita ab Augus. lib. de fide ad Petrum ca. 2.

Conueniunt secundo, ea propositione significari cõsubstantialitatem Filij cum Patre, ideſt, Filium esse eiusdem substãtię cũ Patre, à quo procedit: & ideſt, quod Patres dicta propositione intẽderũt significare, vt optimè explicuit Ioa. Theologus in Concil. Florent. sess. 18.

Est tamẽ difficultas, quid particula *de* (quæ denotat habitudinem principij) in dicta propositione denotet.

Magister in 1. d. 5. existimat denotare tantum principium originis ita

ita ut sensus sit *Filius est de substantia Patris*, ideſt de Patrè, qui eſt ſua ſubſtantia, explicatio tamē hæc diſplicet S. Thomæ q. 41. art. 3. ad 2. & merito; quia eadem ratione poſſemus dicere de creaturis, quod ſint de ſubſtantia Dei; quia ſunt de Deo, qui eſt ſua ſubſtantia, particula ergo *de*, quamuis relata ad genitiuum Patris, denotat principium originis, relata tamē ad ſubſtantiam, denotat principium cō ſubſtantialē, itaut ea propoſitione ſimul ſignificetur cōſubſtantialitas, & origo, & ex defectu prioris nō poteſt dici creaturas eſſe de ſubſtātia, ſeu eſſentia Dei, & ex defectu poſterioris, nequit dici Pater eſt de ſubſtantia Filij, ratione tamen vtriuſque optimè dicitur Filius eſt de ſubſtantia Patris.

Scotus ergo, & Bonauentura, & Gabriel in 1. d. 5. Vazquez diſput. 162. c. 2. Suarez lib. 6. cap. 6. Turrianus diſp. 28. dubio 1 docent particulam *de*, in dicta propoſitione ſignificare, ſeu denotare principium conſubſtantiale formale; quia ſubſtantia, ſeu Eſſentia Diuina, quam denotat vt principium, ſecundum ipſos eſt quaſi forma, ſeu quaſi principium formale conſtitutiuum Filij, à quo non vidētur abhorrere S. Thomas, dum indicat denotare rationem principij formalis.

Durandus verò in 1. d. 5. q. 2. & ibidem Sanctus Thomas art. 1. & Henricus in ſumma capit. 5. q. 3. docent, & verius, denotare principium quaſi materiale; quia vt conſtat ex dictis, difficultate præcedēti, eſſentia, ſeu ſubſtantia Diuina, quam denotat vt principium, eſt quaſi materia in perſona conſtituta; quia eſſentia in perſona eſt, quæ quaſi contrahitur per relationem, ſeu perſonalitatem ad ipſam perſonam, & quæ quaſi ſubeſt, & ſubſtrat relationi, ſeu perſonalitati, relatio verò, ſeu perſonalitas, eſt quaſi forma contrahens, & quaſi adueniens eſſentiæ, quaſi materiæ, & ſubiecto: ergo particula *de*, in ea propoſitione *Filius eſt de ſubſtantia Patris*, denotans eſſentiam diuinam, vt principium Filij, denotat principiū materiale Filij, ſeu perſonæ Filij, & non formale.

S. Thomas verò ar. 3. ad 2. nomine principij formalis, non tam intelligit principium formaliter conſtituens perſonam Filij, quàm principium formale *quo*, ſeu potentiam, quàm diffic. præcedenti diximus eſſe ipſam eſſentiam.

DIFFICVLTAS XIII.

Quomodo actus voluntatis Dei se habeat circa origines, seu actus notionales?

SVpponimus in Deo re ipsa esse actum voluntatis habentem pro obiectis, actus seu origines notionales, quo eos actus obiectiuè vult.

Est ergo difficultas, an hic actus voluntatis habens eos actus pro obiectis sit prior an posterior ipsis actibus, vel an simul cum illis: & non est difficultas, an sit prior, vel posterior, vel simul realiter; quia nequit esse talis cum ab eis non distinguantur realiter, cum sit actus essentialis, sed an sit talis ratione nostra, procedit autem difficultas de actu volitionis, qui verè, & re ipsa est in Deo, nō de aliquo qui forsam posset à nobis in Deo fingi generaliter enim quoties quærimus, an in Deo sit aliquid distinctum, aut prius alio secūdum rationem, quærimus de his, quę re ipsa sunt in Deo, quamuis in Deo non sint realiter distincta, nec vnum sit realiter prius alio: quamuis enim Deum cōcipiamus, vt corporeum numquam tamē inquirimus, an dicta corporeitas cōcepta sit distincta, aut prior alia ratione Dei; quia dictæ quæstiones, & disputationes tātum examinantur, vt videamus quid eorum, quę re ipsa sunt in Deo, sit prius, quid posterius & quomodo distinguantur.

Circa difficultatem ergo Scotus in 1. dist. 6. quæst. vnica, & Caietan. q. 41. art. 2. docent dictum actum voluntatis, quo Deus vult origines, seu actus notionales, nempe generare, & spirare esse ratione priorem ipsis originibus; quia Pater, verbi gratia, in eo priori rationis, antequam generet est perfectè intelligens, & volens intellectione, & volitione essentiali: ergo in eo priori cognoscit, & vult origines seu actus notionales possibiles, aut quasi futuros in posteriori rationis. Et confirmatur, quia actus voluntatis, quo actus notionales sunt à Deo voliti est essentialis, essentialia autem sunt priora notionalibus.

Henricus verò in summa ar. 58. q. 2. & Quodlibeto 5. q. 4. Gotfredus etiam Quodlibeto 5. q 3. Suarez lib 6. de Trinit. c. 4. Vazq. disp. 160. Turrianus disp. 27 dub 1. & Zuñiga disp. 16. dub. 1. docent dictum actum volitionis nostro modo concipiendi non esse priorem, sed posteriorem actibus notionalibus, & meritò; quia Pater re ipsa non vult generationem, vt futuram, nec vt pu-

purè poſſibilem, ſed tãtum vt actu exiſtentem; quia re ipſa, nec eſt purè poſsibilis nec futura, ſed tantum eſt præſens, ſeu actu exiſtens, & Pater & Filius re ipſa nõ volunt ſpirationem, vt purè poſſibilẽ, nec vt futuram, ſed tantum, vt præſentem ob eandem dictam rationem: ergo prædictus actus volitionis nõ eſt noſtro modo cõcipiẽdi, prior actibus notionalibus generationis, & ſpirationis imò nec illos comitans, ſeu ſimul cum illis, vt Canar. q. 41. ar. 2. & Ferrar. 4. contra gentes c. 11. falſo dixerunt, ſed eis poſterior, vt potę ratione noſtra eos, vt exiſtentes, & prę ſentes ſupponens, ac proinde dictus actus volitionis, qui circa eos verſatur, eſt delectatio, ſeu gaudium, quod ſupponit ſuum obiectum præſens, & eſt de eo, vt prę ſente.

Ad rationem ergo aduerſariorum concedimus perſonam Patris in eo priori rationis eſſe perfectè intelligentem, & perfectè volentem intellectione, & volitione eſſentialibus, ſed non omnia obiecta, ſed tantum illa, quæ ex vna parte re ipſa intelliguntur, & appetuntur ab ipſo, & quæ ex alteraparte in eo priori cõcipiũtur à nobis, in eo autẽ priori rationis non concipiuntur à nobis generatio, & ſpiratio, vt præſentes, qua tantum ratione ab ipſo cognoſcuntur, & appettũtur, ſed tantum concipiuntur à nobis, vt poſsibiles, aut futuræ, qua ratione ab ipſa perſona Patris re ipſa non cognoſcuntur, nec appettuntur.

Ad confirmationem verò, reſpondemus eſſentialia eſſe ratione noſtra priora notionalibus, quando eſſentialia non ſunt, quaſi actiones reflexæ habentes pro obiectis ipſa notionalia, vt cõtingit in dictis actibus notionalibus; quia tunc eſſentialia ſunt noſtro modo concipiẽ di poſteriora ipſis notionalibus, vt pote, quæ noſtro modo concipiendi ſupponunt ipſa notionalia.

Quando verò in Concil. Sardicenſi, dicitur (vt refert Hilar. in lib. de Synodis) Patrem conſilio, & voluntate genuiſſe Filium, intelligitur non vt principio (quòd voluit Aug. quando lib. 83. q. q. 7. dixit Patrem genuiſſe Filium volitione) ſed comittante ſecundum dũ rationem, & ſequente ſecundum rationem noſtram. Vnde quod in Concil. Syrmienſi, dicitur Patrem non naturali neceſsitate ductũ, ſed mox vt voluit, genuiſſe Filium, vbi indicatur patrem voluntate, vt principio genuiſſe Filium, imo & liberè, & non naturaliter, falſum eſt, & non mirum; quia dictum Concilium fuit Arrianum, vt refert Vazquez cap. 4.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Processiones diuinarum personarum sint naturales an liberæ?

SVpponimus in quo Theologi conueniunt, Filium & Spiritum sanctũ, ita procedere, seu produci, vt non potuerint non produci, seu procedere, acproinde necessario procedere, & Filium dici naturaliter procedere, & nõ liberè: est tamen controuersia de processione Spiritus sancti, & potius de nomine, quã de re an scilicet processio Spiritus sancti, sit naturalis, an libera.

Circa quam Henric. in summa ar. 6. q. 1. & Scotus in 1. d. 10. q. 1. & quodlib. 16. ar. 1. docent spirationem, qua Spiritus sanctus producitur esse liberam, quamuis in eo dissentiat, quòd Henr. existimet amorem, quo Pater & Filius se mutuo diligunt, & qui dictam spirationem comitatur esse naturalem, & non liberum, Scotus verò existimat etiam esse liberum, sicut spirationem ipsam, & non esse naturalem.

Id autem in quo conueniunt, nempè spirationem esse liberam, & non naturalem probari potest ex Aug. in Inchirid. c. 105. vbi voluntatem necessariam videtur appellare liberam, & non naturalem, & eodem modo loquitur Anselm lib. de libero arbitrio c. 7. & ratione probatur; quia productio Spiritus sancti est ex intrinsèca determinatione principij se mouentis ex cognitione, & ex forma apprehensa, seu cognita per eam cognitionem.

S. Thom. verò q. 41. ar. 2. & ibidem eius Expositores Vaz. disput. 161. Suar. lib. 1. c. 4. Zuñig. disp. 16. Turrian. disp. 27. Mæratius disp. 55. Ruyz disp. 92. Alarc. disp. 6. in fine, & communiter Theologi docent, & merito productionem Spiritus sancti non esse liberam, sed esse naturalem.

Et in primis non esse liberam probatur; quia liberum in rigore est id, quòd est à voluntate in differente, seu quòd ita est à voluntate vt positis omnibus præ requisitis possit non esse ab illa, vt tradunt Augustin. libr. 3. de libero arbitrio cap. 3. Hieronym. Epistola 146. Damasce. 2. de fide, capit. 24. & 25. & communiter Theologi, sed productio Spiritus sancti, ita procedit à voluntate Patris, & Filij, quod nequeat non procedere ab illa; ergo non est libera. Et am-

ampliatur hæc ratio; quia si productio Spiritus sancti esset libera, ideo esset, vel quia esset à voluntate indifferente, & hoc modo nequit esse libera, vt nunc dicebamus; quia non procedit nisi à voluntate determinata, vel quia est absque coactione, & hoc non sufficit; quia etiam actiones agentium naturalium sunt absque coactione, & tamen non sunt, nec dicuntur liberæ, vel quia procedit ex intrinseca determinatione principij (nempè voluntatis) se mouentis ex cognitione, & ex forma apprehensa per eam cognitionem, & nec hoc sufficit: quia etiam bruta operantur ex determinatione intrinseca appetitus semouentis ex cognitione, & ex forma apprehensa per illam, & tamen eorum operationes non sunt liberæ, quamuis sint spontaneæ: ergo productio Spiritus sancti non est libera, quamuis sit voluntaria, & spontanea, vt verè est; quia est à voluntate Patris, & Filij cum cognitione suorum obiectorum. Ex quo constat ad rationem oppositi modi dicendi aduersariorum.

Quòd verò productio Spiritus sancti sit, & dicatur naturalis probatur. Primò, quia nec est libera, nec artificialis, nec moralis: ergo est naturalis. Secundò probatur; quia verè procedit à voluntate Patris, & Filij ad illam necessario determinata: ergo dicenda est naturalis, & voluntas eorum comparatione illius dicenda est operari, vt natura; quia in eo voluntas assimilatur naturæ, quæ necessario est alligata suæ operationi. Vnde quando aliquando à nonnullis negatur esse naturalis, in eo tantum sensu negatur, nempè, & quia non est immediatè à natura Deitatis, sed à voluntate, & quia non est in similitudinem, seu imaginem naturæ, sicut est productio Filij.

Augustinus verò vbi supra, tantum docet voluntatem, tunc esse magis liberam quando peccare non potest, vt contingit in Beatitudine, non quia tunc sit magis indifferens, sed quia vltra libertatem indifferentię, circa singula opera non peccaminosa, quę sola dicitur simpliciter libertas, est etiam libertas à seruitute peccandi, quòd etiam nonnulli Patres aliquando docent, vnde Augustinus non admittit actionem necessariam esse in rigore liberam, & non naturalem.

DISPVTATIO SEGVNDA.

De relationibus diuinis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Deo sint relationes reales ad intra?

IN præsenti non est difficultas de relationibus Dei ad ea, quæ sunt extra ipsum nempè ad creaturas; quia pro nunc cõtra aliquos supponimus nullam in Deo reperiri relationem realem ad creaturas, ad huc possibiles; quia Deus est magis necessarius, & magis indefectibilis quã creaturæ, adhuc possibiles, vt patet de quo suo loco: nec est diffic de relationibus Dei, quæ sunt ad ea, quæ sunt intra ipsum communibus tribus personis diuinis, nempè de relationibus idẽtitatis, & æqualitatis, & similitudinis inter diuinas personas, quę correspõdẽt relationibus creatis secũdi generis, de quibus disp. 9. dif. 1. dicemus nõ esse reales, sed tantum rationis, nec est diffic. de relationibus intelligibilis, & amabilis quibus Deus dicitur intelligibilis, & amabilis, quæ correspondent relationibus creatis tertij generis, cuius meminit Arist. 5. Metaph c. 15. quia tantum sunt extrinsicæ denominationes, & relationes secũdum dici nõ minus quam in creaturis: sed tantum est diffic. de relationibus originis, nempè de relationibus Paternitatis, & Filiationis, & spirationis actiuę, & passiuæ, quæ sunt intra Deum, an scilicet sint reales.

Ratio difficultatis pro parte negatiua, desumitur ex Boet. lib. de Trinit. circa med. aliàs c. 6. dum ait cætera prędicamẽta cõuenire Deo secundum substantiam, ad aliquid verò de Deo non prædicari.

Nihilominus Catholici cõueniunt relationes originis inter diuinas personas esse reales, ita S. Th. & eius expositores q. 28. & scholastici in 1. d. 33. & definitur in Concil. Tolet. 11. in confessione fidei, c. 1. & in Florent. sess. 18. & tradunt Nazianz. orat. 3. de Theologia, Basilius Ep. 43. Augustinus 5. de Trinitate c. 8. & 11. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi. cap. 3. & lib de Processione Spiritus sancti 2. & 3. & alij Patres, quos refert Ruyz disput. 9. & id significatur in scriptura dum in ea personæ diuinæ absolutè, significantur nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quibus relationes reales denotantur.

Et

Et id ratione probatur. Primò, quia dictæ relationes ſunt aliquid à parte rei in Deo, ſeu intra ipſum Deum: quia Pater intra Deum eſt à parte rei Pater & Filius intra Deum eſt à parte rei Filius; quia Pater à parte rei aliquo intrinſeco Dei, nempè generatione actiua generat filium, & è cõtra filius à parte rei, aliquo intrinſeco Dei, nẽpè generatione paſsiua generatur à Patre, & Pater & Filis à parte rei aliquo intrinſeco Dei, nempè ſpiratione actiua producũt Spiritum ſanctum, & è contra, Spiritus ſanctus à parte rei aliquo intrinſeco Dei, nempè ſpiratione paſſiua producitur à Patre, & à Filio: ergo relationes Paternitatis, & Filiationis, & ſpirantis, & ſpirati, ſunt verè reales: Deus autem, quia nõ creat realiter creaturas aliquo intrinſeco ſui, ſed ſola creatione, quæ eſt aliquid extrinſecum ipſi, ideò nulla in Deo eſt admittẽda relatio realis intrinſeca creatoris, ſed tantum rationis, aut extrinſeca denominatio.

Secundo probatur; quia tres perſonæ diuinæ nõ diſtinguũtur, nec opponũtur eſſentia, nec aliquo abſoluto diuino; quia quodcumq; abſolutum eſt omnibus tribus perſonis commune, ſeu idem, ſed tantũ diſtinguuntur, & opponuntur realiter dictis relationibus, vt dicem⁹ diſp. 4 ergo dictæ relationes verè ſunt reales.

Boet. verò vbi ſupra, non negat Deo relationes reales ad intra; quia eas admittit vbi ſupra ad finem, aliàs c. 12. ſed tantum negat relationes reales ad aliquid extra Deum, v.g. relationem creatoris, vt conſtat ex c. 7. ſequenti.

DIFFICVLTAS II.

Vtràm dictæ relationes diuinæ ſint reales etiam ſecundum eſſe ad?

SVpponimus in omni relatione reali creata, & inſtar huius in diuina noſtro modo cõcipiendi diſtingui duplicem rationem, nempè eſſe *in* ratione cuius reſpicit ſubiectum, aut ſuppoſitum in quo eſt, & eſſe *ad* ratione cuius reſpicit terminum.

Hoc ſuppoſito conueniunt Theologi relationes reales creatas, & diuinas eſſe reales ſecũdum eſſe *in*; quia hæc ratio eſt propria relationis realis, eſt tamen inter eos controuerſia, an etiam ſint reales ſecundum eſſe *ad*.

Palud. in 3. d. 1. q. 2. ar. 3. & 4. Capreo. in 1. d. 17. q. 1. ar. 2. Caiet. & Canar. q. 28. ar. 1. docent relationes reales, etiam diuinas ſecũdũ eſſe *ad* præciſum à ratione *in*, non eſſe reales, ſed eſſe communes, & abſtra-

ſtra tas à rationibus reali,& rationis,quòd videtur docuiſſe. Sanctus Thomas art.1 dum ait ſolum in prędicamento relationis inueniri aliquid ſecundum rationem tantum,hoc autem ſecundum rationē non poteſt eſſe aliud,niſi eſſe *ad*.

Et ratione probatur;quia ratio *ad*, prout præciſa à ratione *in*, tantum eſt reſpectus ad terminum, reſpectus autem ad terminum eſt communis relationi reali,& rationis ; quia etiam relatio rationis reſpicit terminum:ergo ratio *ad* nequit eſſe realis, ſed eſt cōmunis,&abſtracta à reali,& rationis.

Bañez verò q.28.ar.1.Vaz.diſp.114.Suarez lib.5.de Trinitate c.1.Arrubal diſp.99.c.1.Turrianus diſp.3.dub.2. Zuñiga diſp.3. dub.1.Granad.Tractatu 3.diſp.1.Alarcon diſp.3.c.1.& Perez diſp. 5.ſect 1.docent relationes reales Diuinas,etiam ſecundum eſſe, *ad* eſſe reales. Et merito,quia eſſe *ad* in relationibus realibus, tàm creatis,quàm diuinis eſt idem à parte rei,quod eſſe *in*,vt patet, ſed relationes reales ſecūdum eſſe *in*,ſunt reales,vt etiam patet:ergo etiam ſecundum eſſe *ad*.

Et confirmatur,quia in relatione reali, tàm creata, quàm increata eſt habitudo,ſeu reſpectus vnius,ſiue ſubiecti, ſiue ſuppoſiti ad aliud,verbi gratia,in relatione Paternitatis eſt reſpectus ad Filium,ſed vnum ſubiectum, aut ſuppoſitum relatione reali re ipſa reſpicit aliud ſubiectum,aut aliud ſuppoſitum, verbi gratia, Pater tam creatis,quàm increatis re ipſa reſpicit Filium:ergo ratio *ad* relationis realis,tam creatæ,quàm increatæ,etiam prout pręciſſa ab eſſe *in*(ſi pręſcindi poteſt) eſt realis,& nō rationis, nec abſtrahens à reali & rationis.

Accedit primo,quòd ratio *ad* relationis realis,nequit pręſcindi à ratione *in*,ſed eam includit,vt aduertunt Vazquez, & Suarez, & nos diximus in prædicamentis,cap.de relatione difficult. 1.quia ratio *ad*,nequit cōcipi niſi,vt reſpectus vnius ad aliud,eo autem ipſo quod cōcipitur,vt reſpectus vnius (ſiue ſubiecti vt increatis, ſiue ſuppoſiti vt in Diuinis)ad aliud nō ſolum concipitur ,vt ratio *ad*, ſed etiam vt ratio *in*,quamuis expreſsè vt ratio *ad*,& implicite, vt ratio *in*,ſicut ipſa vox *ad* expreſsè,ſignificat ipſam rationem *ad*, & implicite rationem *in*,eo modo,quo *vox rationale* expreſsè ſignificat rationalitatem,& implicite rationem entis identificatam cum rationalitate. Et id tantum voluit Sanctus Thomas quæſt. 28.art. 2.dum ait,propriam rationem relationis accipi ſecūdum comparationem ad terminum,&nō ſecūdum comparationem ad ſubiectum quaſi dicat hāc vocem *ad*,non ita expreſsè ſignificare rationem *in*, ac rationem *ad*.

Acceddit secũdo, vt aduertunt Vaz. vbi supra, & Sua. in Metaphysica disp. 47. & nos diximus vbi supra, quòd nulla ratio *ad* potest concipi, vt communis vniuocè reali, & rationis, & multo minus ratio *ad* propria relationis realis, de qua procedit difficultas; quia per relationem realem, subiectum, aut suppositum re ipsa respicit terminum.

S. Thomas autem art. illo primo pro aduersarijs adductus prædictis verbis tantum voluit significare posse per intellectum fingi, & fieri relationes, quæ absolutè dicuntur relationes absque eo addito *rationis*; quia intellectus eas fingit comparando, seu referendo re ipsa suo actu comparationis ea, quę secundum se non referuntur realiter, nõ vero posse fingi, & fieri substantiã, nec quantitatẽ, nec qualitatem, nec aliud prædicamentum, quæ absolutè dicantur talia, absque addito *rationis*; quia non fingit illa, verbi gratia, substantiam actu aliquo, qui re ipsa sit substantificatio, nec fingit quantitatem actu aliquo qui re ipsa sit quantificatio, nec fingit qualitatem actu aliquo, qui re ipsa sit qualificatio, & sic de reliquis prędicamentis, & ideò substantia, & quantitas, & qualitas, & vbi, & cætera prædicamenta absoluta per intellectum ficta. Non dicuntur absolutè talia, verbi gratia, negatio, quæ fingitur substantia, & dicitur chimera, & priuatio, quæ fingitur qualitas, non dicuntur absolutè substantia, & qualitas, sed addito *rationis*; quia re ipsa non sunt talia, adhuc extrinsicè, res tamen, quæ re ipsa non sunt relatiuæ, sed tantum per intellectum dicuntur absolutè relatæ; quia re ipsa, quamuis tantum extrinsicè, referuntur ab intellectu suo actu realis comparationis, seu relationis.

Et ad rationem aduersariorum constat ex dictis, rationem *ad*, relationis realis non posse præscindi, seu abstrahi à ratione *in*: & quamuis posset, nihilominus esset realis; quia per eam rationem *ad*, subiectum, aut suppositum re ipsa respicit terminum, & non esset communis relationi reali, & relationi rationis; quia est propria relationis realis, imo nulla ratio *ad* potest esse abstracta, & communis vniuocè rationi *ad* reali, & rationi *ad* rationis, quamuis relatio rationis, sit etiam respectus ad terminum; quia vtrique tantum datur vox communis per quam vtraque significatur immediatè, & nõ mediãte aliqua ratione communi immediatè significata, vt late dicimus cap. de relatione dif. 1.

Obseruandum est, quòd quamuis relationes Diuinæ sint distinctissimæ à relationibus creatis, tam transcendentalibus quàm prædicamentalibus, assimilantur tamen non vtrisque, vt falsò existimat Zuniga disp. 3. dub. 2. & 9. nec transcendẽtalibus, vt falsò existimat Pe-

Perez disp.5.sect.4 sed vt optimè Alb.disp.3.sect.1.tantum assimilantur prædicamentalibus, non quia ponantur in prædicamento; quia nihil Diuinum ponitur in prædicamento præsertim accidentis, quale est prædicamentum relationis, sed quia vt formaliter distinctæ ab originibus,& personalitatibus, tantum referunt personas Diuinas ad aliam, vel ad alias, vt purè terminum, nihil exercendo, circa illum, ea proportione, qua Paternitas creata refert suum subiectum ad Filium, vt purè terminum, in quo relationes prædicamẽtales differunt à transcendentalibus: quia hæc referunt res quarum sunt relationes ad suum terminum, non purè exercẽdo aliquod munus circa illas, v.g. actio,& passio,& motus,& vnio,& visio,& intellectio,& reliquæ.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm relationes reales originum in Deo sint tantum quatuor?

CIrca hanc difficultatem, certissimum est, in Deo ad minus esse tres relationes reales originum, nempè paternitatem, & filiationem, & spirationem passiuam (quo nomine etiam significatur ipsa productio passiua Spiritus sancti) quia certum est esse tres Diuinas personas,& eas constitui, & realiter distingui, quamlibet sua propria relatione, primam Personam Paternitate, secundam Filiatione, & tertiam relatione spirationis passiuæ, vt dicemus disput.4. dif.3.

Est tamen difficultàs, an etiam sit alia quarta relatio realis, nempè spirationis actiuæ communis Patri,& Filio producentibus, seu actiuè spirantibus Spiritum sanctum.

Ratio difficultatis pro parte negatiua est; quia multiplicato inferiore necessarium est multiplicari superius in eo inclusum, sed res,&ens sunt superiora inclusa in relatione reali: ergo si præter tres dictas relationes admittimus in Deo, quartam relationem realem spirationis actiuæ, etiam est admittenda quarta res,& quartum ens, ac proinde admittendæ sunt in Deo, quatuor res, & quatuor entia, quæ non admittunt Theologi.

Nihilominus Theologi conueniunt in Deo esse quartam relationem spirationis actiuæ, ac proinde in Deo esse, quatuor relationes reales originum Paternitatem videlicet, Filiationem, spirationem acti-

actiuam, & passiuam. Quòd autem præter eas tres etiam sit admittenda quarta relatio realis spirationis actiuæ communis Patri, & Filio, probatur; quia Pater, & Filius realiter producunt, & spirant actiuè Spiritum Sanctum ergo ad eum realiter referuntur, & non vt Pater, & Filius, quia Pater, vt Pater tãtum refertur ad Filium, & è cõtra, filius, vt filius tantum refertur ad Patrem: ergo referũtur ad illum relatione spirationis actiuæ, & realiter; quia eum realiter spirant, seu producunt.

Præter has autem quatuor relationes reales, nulla alia in Deo reperitur, in quo etiam Theologi conueniunt; quia in Deo tantum sunt duæ processiones, vt diximus disp. 1. diffic. 1. vna per intellectum altera per voluntatem, ex qualibet autem processione actiuè, & passiuè sumpta duæ tantum consurgunt relationes reales, vna producti, & altera producentis: ergo in Deo tantum sunt dictæ quatuor relationes reales, duæ quasi consurgentes ex processione per intellectum; quę sunt, & dicuntur Paternitas, & filiatio, & alię duæ quasi consurgentes ex processione per voluntatem, quæ sunt, & dicuntur spiratio actiua, & spiratio passiua. Relatio autem qua filius refertur, vt imago ad Patrem, vt prototypum, & vt Verbum ad Patrem, vt dicentem, non est distincta à relatione Filij; quia secunda persona, eo quo est imago, & Verbum Patris, eo est Filius illius.

Ad rationem verò difficultatis pro parte negatiua constabit ex dicendis difficultate sequente.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm relatio spirationis actiuæ re ipsa distinguatur à Paternitate, & Filiatione?

DVrand in 1. d. 13. q. 2. docet relationem spirationis actiuę distingui omnino realiter à paternitate, & à filiatione, quod probat octo rationibus, quibus tãtum probatur ab eis ratione distingui, & eis potest satis fieri ex dicendis dif. seq.

Scotus Quodlibeto 5. art. 2. docet relationem spirationis actiuę distingui à Paternitate, & à filiatione ex natura rei non distinctione reali, tamquam rem à rebus, sed distinctione illa media cuius mentem faciemus difficult. 6. Id autem probat, eisdem rationibus quas in ea difficultate adducemus, quibus intendit probare ex na-

natura rei nõ realiter, ſed formaliter diſtingui ab eſſentia, quibus etiam poterit ſatisfieri ex dicendis in ea diſſi.

S. Thom. verò & Caiet. q. 32. ar. 3. Vazq. diſp. 138. Srar. lib. 5. c. 5. Zuñiga diſp. 3. dub. 12. Ruyz diſp. 17. ſect. 2. Granad. diſp. 2. Martin Perez diſp. 6. ſect. vltima, & communiter Scholaſtici docent non diſtingui re ipſa ante intellectum. Et merito, quia quæcumque diſtinctio ante intellectum in qualibet vna perſona, repugnat ſummæ, & infinitæ ſimplicitati Dei, vt dicemus difficultate ſequente, relatio autem ſpirationis actiuæ, & Paternitas ſunt in perſona Patris, & eadem relatio ſpirationis, & filiatio ſunt in perſona filij, cui accedit cõmune illud Theologorum axioma: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obſtet relationis oppoſitio*, relatio autem ſpirationis actiuæ, tãtũ opponitur relationi ſpirationis paſſiuæ, & non Paternitati, nec Filiationi.

Nollumus autem in hoc amplius immorari; quia eodem modo cõfirmãdum eſt, quo diſſi ſequente, probabitur relationes nõ diſtingui ex natura rei ante intellectum ab eſſentia diuina.

Relatio ergo ſpirationis actiuæ, tantum diſtinguitur per rationẽ à relationibus paternitatis, & filiationis. nihilominus in Deo admittendæ ſunt quatuor relationes reales, quamuis in eo nõ admittãtur quatuor res, nec quatuor entia; quia ad numerũ relationum realiũ, non eſt neceſſaria diſtinctio realis, ſeu ex natura rei inter eas, ſed ſufficit inter terminos earum: ad numerum verò rerum, ſeu entium realium requiritur diſtinctio ex natura rei inter ipſas res & entia, & quia termini dictarum relationum ſunt quatuor, quia Pater eſt terminus relationis Filij, & Filius relationis Patris, & Pater, & Filius ſunt vnus terminus relationis realis, ſpirationis paſſiuę Spiritus ſancti, & Spiritus ſanctus eſt terminus relationis ſpirationis actiuæ Patris, & Filij, ideò dicũntur & enumerantur quatuor relationes reales originũ, ratio autem diſparitatis, ob quam ad numerum relationum realiũ, non ſit neceſſaria diſtinctio realis, ſeu ex natura rei inter ipſas, ſed ſufficiat diſtinctio realis terminorum ipſarum, & ad numerum rerum, ſeu entium realium diſtinctorum à relationibus, neceſſaria ſit diſtinctio realis inter ipſas res, ſeu entia, eſt, quia relatio realis eſt formaliter reſpectus ad terminum, & ideò nomine ipſo relationis ſignificatur relatio ipſa in ordine ad terminum, & ſub eo nomine ſignificata, concipitur in ordine ad illum, & ita vbi plures terminos, ibi etiam plures relationes concipimus, & nominamus, & enumeramus, etiam ſi non ſint tot relationes realiter diſtinctæ; quia verò res abſolutè eſt talis in ſe, & ideò nomine rei abſolutè ſignifica-

tur

tur, vt in se est, & sub eo nomine significata, tantum concipitur, vt in se est absolutè, & ita quando inter res absolutas, non est realis distinctio, non concipimus eas, vt plures, nec eas nominamus, nec enumeramus vt plures, & distinctas, ex quo constat, ex multiplicatione relationis, quamuis inferior sit ad rem, & ad ens non bene inferri multiplicationem rei, & entis, quamuis ens, & res sit superior ad relationem; quia variatur appellatio, denotatio, & significatio. Quia ex communi modo concipiendi, & nominandi, pluralitate, & numero relationum non denotatur distinctio, & pluralitas realis earum, sed tantum suorum terminorum, pluralitate verò, & numero entium, & rerum, quæ superiores sunt ad relationes, denotatur ipsarum rerum, & entium realis distinctio, & pluralitas, ex quo constat ad rationem difficultatis, pro parte negatiua adductam, difficult. præcedenti.

Sanctus Thomas, & Scotus vbi supra, & communiter Theologi absolutè negant, & merito has propositiones: *Paternitas est spiratio actiua, & Filiatio est spiratio actiua*, & è contra, id autem omissa ratione Scoti, quam bene impugnat Vazquez disp. 138. capit. 3. probatur ratione Sancti Thomæ, quam Vazquez defendit; quia scilicet sub prædictis nominibus, ratio formalis vnius relationis significatur, prout diuersa à ratione formali alterius; quia sub his nominibus significantur, vt expressè respicientes diuersos terminos: & ob id dictæ propositiones, vt pote acceptæ in sensu formali, & non admittentes sensum identicum sunt falsæ, sicut istæ, *Generatio est spiratio, & voluntas intelligit, & intellectus vult, & attributum sapientiæ est attributum bonitatis*, quamuis hæc sit vera, sapientia est bonitas; quia sapientia, & bonitas sub his nominibus, non significantur, prout formaliter diuersæ, & ita etiam admittunt sensum identicum: sub nomine verò *attributum*, quòd est secundæ intentionis, significantur prout formaliter diuersę; quia nomine *attributum*, denotatur expressè ordo ad rationem, sicut & prædictę relationes sub eis nominibus relatiuis, quamuis sint primæ intentionis significantur, prout formaliter diuersæ, & diuersum ordinem habentes, & respicientes diuersos terminos.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm relationes reales originis in Deo distinguantur realiter ab Essentia Diuina, tanquam res à re?

CIrca hanc rem Gilbertus Porretanus Episcopus Pictauiensis, errauit existimans personas Diuinas distingui realiter ab essentia Diuina, & denotans distingui plenè, tamquam res à re, & ita negabat hanc propositionem, Deus est Deitas sumpto Deo pro persona, admittebat tamen Deum, sic sumptum esse Deum Deitate, existimabat etiam relationes Diuinas, seu proprietates personales cõ distingui realiter ab essentia. Eamdem distinctionem realem inter personas, & personalitates Diuinas, ex vna parte, & inter essentiam diuinam, ex altera ante sexaginta circiter annos, tradiderat quidam clericus in Francia, vt refert Anselmus lib. de Incarnatione Verbi, c. 1. & 3. Fundamentum Gilb. erat, quia si persona, & essentia essent eadem res, essentia generaret, & generaretur, & etiã esset per se primo incarnata; quia persona diuina generat, & generatur, & etiã fuit per se primo incarnata.

Error tamen iste Gilber. damnatus fuit in Concil. Rhemensi sub Eugenio III. præsente vbi contra Gilber. definitur tres diuinas personas esse vnam Diuinam substantiam, & vnam Diuinam substantiam esse tres Diuinas personas: cui definitioni Gilbertus, absque pertinatia aquieuit, vt refert Bernardus Sermone 80. in Cantica.

Et idem error reijci potest ex Conc. Florent. sess. 18. post mediũ, vbi Ioannes Theologus, nomine Ecclesiæ Latinæ dixit. *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secũdum autem modũ intellectionis nostræ differre videntur*, quibus Marcus nomine Ecclesiæ Grecæ coram toto concilio consensit.

Error autem Gilberti (si existimauit, vt credimus distinctionem inter relationem, & essentiam esse, tamquam inter rem, & rem adæquatas) specialiter reijcitur ex capit. *Damnamus* de Summa Trinitate, quòd est Concilij Lateran. sub Innocentio III. vbi definitur in Deo non esse quaternitatem rerum, idest, quaternarium numerum rerum.

Et ratione ex Bernardo vbi supra desumpta impugnari potest; quia

quia dicta distinctio realis pugnat cū summa simplicitate Dei ; quia ex ea distinctione sequitur in Deo, qui constat ex Deitate, & ex relatione, seu personalitate, vel esse compositionem à parte rei, vel aggregationem plurium, ex qua resultat minor vnitas, quā ex compositione; quia si Deitas, & relatio in Deo à parte rei distinguuntur in ipso erunt, vel realiter vnitæ, vel realiter aggregatæ, quorū quodlibet repugnat summę simplicitati reali.

Ad fundamentum autem Gilberti, respondebimus difficultate sequenti, quando ad fundamentum Durandi, & Scoti pro opinione eorum, quos in ea, referemus respondeamus; quia idem est omnium fundamentum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm relationes Diuinæ distinguantur aliquo modo à parte rei ab essentia diuina?

DVrand. in 1. d. 33. q. 1. docet relationes diuinas distingui à parte rei, ab essentia Diuina, non tanquam res a re, sed tanquam modos rei a re, & in primis relationem, & essentia non distingui, tanquā duas res probat; quia aliàs, vel relatio Diuina esset aliquid creatum, vel essent plures essentię Diuinæ, vt nos etiam difficultate antecedente inferebamus cōtra Gilb. quòd verò inter relationem, & essentiam sit distinctio à parte rei ante intellectum, probat; quia essentia Diuina re ipsa est in aliquo, in quo nō est relatio; quia essentia Diuina est in Patre, in quo non est filiatio, nec spiratio passiua, & etiam est in filio, in quo non est paternitas, nec spiratio passiua, & est in Spiritu sancto in quo non est paternitas, nec filiatio: ergo essentia Diuina re ipsa distinguitur à singulis relationibus : ex eo autem quod relatio re ipsa distinguatur ab essentia, hanc distinctionem appellat realem; quia existimat non esse distinctionem mediam, inter distinctionem realem & distinctionem rationis, sicut, nec est ens medium inter ens reale, & ens rationis: quòd verò relatio distinguatur ab essentia, sicut modus à re cuius est modus, sicut in creatis subsistentia à natura, probat ex Damasc. 1. de fide c. 9. & 13. vbi relationē Diuinam, appellat modum existendi naturæ.

Scotus in 1. dist. 2. q. 4. & 7. Cautius loquitur dicens, Relationem Diuinam, & essentiam distingui non realiter, nec sola ratione, seu per intellectum, sed formaliter ex natura rei: & quantum ad dis-

tinctionem ex natura rei ante intellectum, Scoto subscribūt Ocha. in 1.d.2.q.1 & Gab.d.2.q.1.art.1. Probat autem Scotus relationē, & essentiam distingui ex natura rei ante intellectum; quia impossibile est, ea duo esse omnino idem secundum rem, quorum vnum re ipsa communicatur, & alterum re ipsa non communicatur, sed essentia diuina re ipsa communicatur Filio, & Spiritui sancto, relatio verò eis nō communicatur: ergo nō possunt esse omnino idem secūdum rem: & quamuis Scotus existimet dictam distinctionem esse à parte rei, seu ex natura rei, nō vult eam appellare distinctionem realem formalem; quia nō est rei à re, sed realem virtualem; quia medijs relatione & essentia præstantur ea, quæ diuersis rebus creatis præstantur: eam autem appellat distinctionē ex natura rei actualem formalem; quia secūdum ipsum est distinctio nō diuersarū rerū, sed diuersarum rationum formalium, imo eam appellat rationis nō quia fiat per intellectum, sed quia est rationum formalium, & non diuersarum rerum.

Deinde distinctio dicta ex natura rei ante intellectum, quam constituunt Gilbertus, Durandus, & Scotus probatur à Gilberto ex illo principio, & axiomate communi tradito ab Aristotele 7. Æthicorum capit. 1. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Sed relationes Paternitatis, & Filiationis, & spirationis passiuæ, non sunt re ipsa ædem inter se, sed re ipsa distinctæ: ergo nec sunt re ipsa ædem cum essentia Diuina, sed re ipsa distinctę ab illa.

Magister verò in 1.d.8.& 33.& 34. Bonauentura d.33.art.1.q.1. S. Thomas, & eius Expositores 1.p.q.28.art.2. Vazq disp.120,c.4. Turria disp.4. Ruyz disp.11. Marat. disp. 46. Alarc. disp.2 & communiter Theologi docent, & merito relationem Diuinam, & essentiam, seu Deitatem nullo modo distingui actualiter à parte rei, sed tā tum per intellectum.

Quòd autem relatio, seu personalitas, & essentia Diuina nullo modo à parte rei distinguantur contra Duran & Scotum probatur in primis ex Concilijs relatis difficultate præcedente, & primo, ex capit. damnamus de Summa Trinitate, quod est Concilij Lateranensis relato difficultate præcedente, vbi dicitur: *Tres personas esse vnam essentiam, & substantiam.* Quòd in nullo sensu, nec identico, nec formali esset verum si personæ, & personalitates, quibus vltimo constituuntur, non essent idem à parte rei cum essentia Diuina.

Secundò probatur ex Concil. Florent. sess. 25. vbi dicitur, nec ipsam eamdem substantiam re, nō autem sola ratione ab hypostasibus

&

& personis differre credere videamur, quod etiam sæpè repetitū est sess. 17. & 18. Tertiò, probatur ex Conc. Rhemēsi vbi definitur Patrem, non tātum esse deitate Deum sed etiam esse ipsam deitatem, quod nō esset verum, si inter personas, & inter essentiam esset actualis distinctio à parte rei.

Deinde idem probatur ex Patribus, ex quibus Damascenus 10. de Fide capitulo 9. & 10. & 11. ait. Tres personas secundum omnia idem esse excepta oppositione relationum, & subdit personas esse ipsam Diuinitatem. Et Bernardus Sermone 80. in Cantica, & libr. 5. de Consideratione, dum errorem Gilberti impugnat, etiam conuincit falsitatis opiniones Durandi, & Scoti: & in eo lib. 5. capit. 8. eos specialiter reijcit, dum ait: *Personarum proprietates non aliud quam personas, & personas ipsas non aliud, quam vnam essentiam.* Vnamque substantiam, & naturam Diuinam Fides Catholica profitetur, idem tradunt alij Patres, quos referunt Vazq. & Ruyz.

Tandem idem probatur eadem ratione, qua errorem Gilberti reiecimus difficultate præcedente; quia si relatio, & essentia diuina à parte rei actualiter distinguerētur, persona diuina, aut Deus, qui cōstat ex illis nō esset summè simplex; quia cōstaret ex pluribus à parte rei distinctis, vel inter se vnitis, vel aggregatis, quorū quodlibet repugnat summæ simplicitati reali Dei.

Ad hanc rationem respondet Dur. ex essentia, & ex relatione, quamuis realiter distinctis, non fieri compositionē; quia relatio nō distinguitur ab essentia, nisi tāquam modus à re, modus autem non componit cum re cuius est modus, & ideò nō minui simplicitatem Dei, sicut nō minuitur ex eo, quòd in Deo sint tres personæ realiter distinctæ; quia ex eis personis nulla fit compositio.

Contra hanc responsionem est primò, quia falsum est modum nō componere cum re cuius est modus; quia modus rei, ipsi rei vnitur, compositio autē nihil aliud est, quā distinctorum vnio, & id videre est in subsistentia creata, quę quamuis sit modus naturæ creatę cum ea componit suppositum.

Secundò probatur, quia quamuis relatio diuina non componeret cū essentia, si ab ea à parte rei distingueretur, esset in Deo aggregatio plurium à parte rei, quæ est minor vnio, quam compositio, & ita magis repugnaret summæ simplicitati Dei: Exemplum autem trium personarum à Durando adductum non est ad propositum; quia personæ si inter se comparentur, vt sic nullo modo, adhuc per accidens vniuntur ad faciendum vnum, & ideò vt sic, nec componunt, nec in vnum aggregantur, sicut aggregantur lapides

in cumulo: & ob id pluralitas personarum, nō nocet summæ simplicitati Dei: si verò comparentur cum essentia, vt sic cū ea, omnino re ipsa identificantur.

Id autem quod Scotus ad eandem rationem, respondet nullius esse momenti, constat ex dictis de attributis disp. 2 & 12. constat ergo opiniones Duran. & Scoti esse minus consentaneas Concilijs, & Patribus, & rationi.

Ad prius autem fundamentum eorum, & Gilb. nempè de eadē relatione, nō posse à parte rei verificari terminos cōtradictorios, v. g cōmunicari, & nō communicari, & esse in alio, & nō esse in illo, & generari, & nō generari, & similia, & ita essentiā diuinam, de qua verificatur quod re ipsa communicetur, & quòd sit in omnibus tribus personis, & quòd nō generetur, nō posse, nō distingui à parte rei à relatione de qua verificatur, quòd re ipsa nō communicetur, & quòd nō sit formaliter in omnibus personis, & quòd generetur. Adhuc ergo fundamētum respōdent nōnulli, quòd quāuis ad verificationē dictorum terminorum cōtradictoriorum, & aliorū in Deo, non sufficiat distinctio rationis, nec sit necessaria distinctio actualis formalis à parte rei inter essentiā, & relationē, sufficere tamē distinctionē realē virtualem, seu eminētialem, & æquialētem distinctioni reali actuali creaturarū, quam existimant reperiri in eadem entitate diuina realiter formaliter indiuisibili; quia ob sui infinitatē potest præstare intrinsecè, seu in ipsa, quæ à creaturis nequeūt præstari, nisi actualiter distinguātur realiter sicut ob sui infinitatē est realiter absoluta, & relatiua, & est realiter propria, & realiter communis.

Hæc tamen responsio nobis non probatur. Primo, quia impossibile videtur eidem entitati Diuinę re ipsa omnino indiuisibili cōuenire à parte rei absque distinctione rationis, dicta prædicata contradictoria v. g communicari, & nō communicari; quia si re ipsa absq; distinctione rationis communicatur, impossibile est quod re ipsa nō communicetur, & è cōtra, si re ipsa nō cōmunicatur, impossibile est, quòd re ipsa cōmunicetur. Secūdo, quia si entitas diuina concepta, vt essentia, & non vt relatio actu & formaliter est re ipsa omnino indibisibilis, & vna, quamuis sit virtualiter multiplex, non posset actu, & formaliter re ipsa communicari, & non communicari, vt vere communicatur, & non communicatur, sed ad summū posset cōmunicari, & nō communicari virtualiter, ea proportione, qua est multiplex, seu distincta. Tertio, quia si entitas Diuina concepta, vt essentia, & relatio est à parte rei omnino indiuisibilis, & vna, quomodo dopoterit creaturis realiter distinctis æquialere, & quomodo idpotest probari. Imò equialere pluribus rebus creatis realiter distinctis

non

non ſufficit, vt entitati Diuinæ dicta prædicata contradictoria conueniant; quia hæc prædicata, vt pote increata, nequeunt creaturis conuenire: ergo nec poterunt entitati Diuinę, quamuis eis creaturis æquiualeat.

Reſpondendum ergo eſt idiſtinctionem rationis ratiocinatę, qua eamdem entitatem Diuinam pro modulo noſtro concipimus, vt duo nempè, vt eſſentiam, & relationem, & qua in ea entitate concipimus prędicata contradictoria, ſufficere, vt de illa eadem entitate, prout dictis modis diuerſis cōcepta, prædicata illa cōtradictoria verè enūtiemus, addita adhuc illa particula *ex natura rei*, quando addition illius non excludimus ordinē rationis, ad dictos varios cōceptus obiectiuos entitatis Diuinæ, vt *Eſſentiæ*, & vt *Relationis*, & eorum prædicatorum, contradictoriorum; quia tunc per eam particulam *ex natura rei*, tantum ſignificamus, quod id, quod in ea entitate Diuina à parte rei repetitur, eo modo ſit pro modulo noſtro, dum viatores ſumus concipiendum, & explicandum, vt conuenienter, & abſque abſurdo pro modulo noſtro cōcipiatur, & explicetur, quamuis à concipiente, ſeu cognoſcente illud eſſe, prout in ſe eſt (vt concipitur à beato) nequeat concipi, vt duo nempè, vt eſſentia, & vt relatio, ſed vt aliquid omnino vnum, & indiuiſibile, & non terminis contradictorijs, verbi gratia, communicationis, & non communicationis, ſed vno termino omnino indiuiſibili: at quando per particulam *ex natura rei*, excludimus ordinem ad noſtrum intellectum pro modulo noſtro concipientem, id quod in entitate Diuina reperitur, ita vt ſenſus ſit entitas Diuina à parte rei, & prout eſt in ſe habet, verbi gratia, quod communicetur, & non communicetur, tunc dictæ propoſitiones contradictoriæ non ſunt verę; quia entitas Diuina, prout eſt in ſe à parte rei ſeclusa conceptione noſtra, non habet quod communicetur, & quod non communicetur; quia hoc eſt impoſſibile, vt diximus, ſed tantum habet vnum terminum indiuiſibilem, quem dum viatores ſumus non concipimus, nec habet duas rationes, vnam eſſentiæ, & alteram relationis, ſed vnam tantum indiuiſibilem omnino, quam non concipimus dum ſumus viatores, eſt tamen, & habet prout eſt in ſe à parte rei (vt iam diximus) id quod à nobis viatoribus, non poteſt conuenienter concipi, niſi concipiendo illud, vt eſſentiam, & relationem, & vt habens dictos terminos contradictorios: Et hoc eſt in quo profunditas, & ſingularitas Myſterij Trinitatis conſiſtit, ita tamen id quod entitas Diuina, prout in ſe eſt habet per dictos terminos contradictorios concipimus, vt eos non attribuamus entitati Diuinæ, prout eodem modo, ſed prout diuerſo modo conceptę, & ſic pro

modulo noſtro conuenienter, & abſque abſurdo entitatem Diuinam, & id quod in ſe realiter reperitur concipimus, & explicamus.

Ex dictis conſtat relationem, & eſſentiam diuinam, quamuis non à parte rei, ratione tamē noſtra, ſeu intellectu noſtro diſtingui, quòd docent expreſſè Concilium Remenſe, & Florentinum, & Damaſcenus vbi ſupra, cui non aduerſatur ipſe Damaſcenus c. 9. & 13 appellans relationem modum exiſtendi naturæ; quia non exiſtimat eſſe realiter modum, ſed tantum ratione noſtra, de quo legi poteſt Ruyz diſput. 12. quòd etiam ratione manifeſta conſtat; quia relationem, & eſſentiam, vt diuerſas concipimus, & earum diuerſos conceptus obiectiuos formamus, & habemus. diſtinctio autem hæc non obſtat ſummæ ſimplicitati Dei; quia hæc tantū eſt ſumma realiter, hanc autem diſtinctionem rationis habere fundamentum in Deo, & eſſe rationis ratiocinatæ diximus Tractatu de Attributis diſp. 12.

Ad poſterius fundamentum pro opinione Durandi, Scoti, & Gilberti, traditum à Gilberto varijs ſolutionibus omiſsis, quę videri poſſunt apud Vaz diſp. 123. c. vlt. & apud Turria. diſp. 9. dub. 1. & apud Ruyz diſp. 5. ſect 3. reſpondemus dictum axioma, ſeu principium: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſecundum rem* (ſubintellige vni tertio ſingulari) *ſunt eadem inter ſe ſecundum rem*, non eſſe generaliter verum in omni ente; quia quamuis ſit verum in omnibus entibus creatis ob eorum limitationem, & finitatē, vt in eis poteſt inductione conſtare, non tamen in ente increato, & infinito ſecundum eſſentiam, vt fides docet in Myſterio Trinitatis, in quo ob eius eminētiam, & infinitatem, Diuina eſſentia eſt tantum vna, & à relationibus à parte rei indiſtincta, & tamen tres relationes inter ſe realiter diſtinguuntur, quòd Ariſtoteles ſolo lumine naturali inſtructus non potuit cognoſcere, & ideò vbi ſupra inter locos argumentorū, hoc principium abſolutè, & abſque vlla limitatione enumerauit.

Hoc autem poteſt tribus modis intelligi. Primo de identitate reali, & ita intellectum tantum habet locum in entibus creatis. Secundo de identitate ſecundum rationem, & ita intellectum etiam habet locum in Deo. Tertio de identitate ſecundum prædicationem, ideſt, quæ ſunt eadem vni tertio prædicatione, ſunt etiam eadē inter ſe prædicatione, ideſt, extremitates, quę prædicatione conectū tur cū medio iuxta regulas Logicæ, etiā cōnectuntur inter ſe prædicatione, & ita intellectum etiam habet locum in Deo; quia ita intellectum idem eſt, quod principium *dici de omni*, id eſt, quidquid dicitur de ſubiecto, dicitur ę omni cōtento ſub illo, quòd principiū, &

etiam

etiam principium *dici de nullo*, sunt adeo vera, & euidẽtia, vt in omni materia etiam in diuinis, nequeant esse falsa; quia forma syllogistica, quæ in cõclusione infert maiorem extremitatem de minore; quia in prẽmissis de maiore extremitate prædicatur mediũ, de quo maior extremitas prędicatur in maiore propositione, vt patet in hoc syllogismo, omni animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus, est ita certa, & euidens, vt in nulla materia, etiam in diuina deficiat: & ad hanc formam syllogisticam, quæ est vniuersalis, & primæ figuræ reducuntur aliæ formæ vniuersales aliarum duarum figurarum: & ad illam etiam reducitur forma syllogismi Expositorij, in quo medium est singulare; quia si de Petro, verbi gratia, prædicatur animal, & Petrus de aliquo homine, etiam animal prædicabitur de illo aliquo homine, vt in hoc syllogismo Petrus est animal, sed hic homo est Petrus: ergo hic homo est animal, syllogismus autem iste, ita dispositus est in prima figura, quod si fiat in alia, erit eadem ratio; quia reducendus est ad primam.

Quòd si obijcias in hoc syllogismo expositorio, hic Deus est Pater, hic Deus est Filius; ergo Filius est Pater, Filius, & Pater vniuntur prædicatione cum hoc Deo, & tamen nõ vniuntur inter se, quia falsum est quod Filius, sit Pater; ergo dictum principium intellectum, de identitate secundum prædicationem, non habet locum in Diuinis.

Ad hanc obiectionem, respondet Vazquez numero 12. in dicto syllogismo repetiri hunc defectum, quod in eo medium non est omnino singulare, sed aliquo modo commune, & cum sit quodam modo commune, manet in distributum in prẽmissis, & ita nulli syllogismo deseruire posse; quia in primis non syllogismo expositorio; quia in hoc medium debet esse omnino singulare, hic autem Deus, quamuis sit secundum se singularis, nullum sub se continens singulare, est tamen realiter communis tribus personis, quamnis non communitate vniuersalitatis, sed identitatis, & ita habet vim termini communis. Deinde nequit deseruire syllogismo communi, in quo medium debet esse commune, quia medium istud cõmune in syllogismo communi, non debet in vtraq; præmissa manere in distributum, hic autem Deus in dicto syllogismo nullatenùs distribuitur, vnde vt Deus, vel hic Deus possit deseruire syllogismo communi debet ex parte personarum, quibus realiter est communis, quodammodo distribui in præmissis, vt si dicamus hic Deus, vt est in omni persona diuina est Pater, sed hic Deus, vt est in omni persona diuina est filius: ergo Filius est Pater, tũc autẽ præmissæ sũt falsæ

& ita non mirum, quod etiam conclusio sit falsa: vt verò *hic Deus*, possit deseruire syllogismo expositorio, debet aliquo superaddito omnino singularizari, vt si dicamus Deus Filius est æternus, hic homo Christus est Deus Filius: ergo hic homo Christus est æternus.

Nos tamen existimamus hunc terminum hic Deus esse sufficiens medium, & singulare ad syllogismum expositorium, sicut Verbum est sufficiens ad hunc Verbum est Deus, sed Verbum est homo: ergo homo est Deus; quia Verbum ex eo solum est sufficiēs medium; quia in eo vniuntur natura Diuina, & humana eo modo, qui sufficit, vt quælibet in concreto prædicetur de Verbo: ergo si personalitates Diuinæ, ita vniuntur, imo identificantur in essentia, & eo modo quo sufficit, vt quælibet in concreto prędicetur de Deo, etiam erit sufficiens quamuis essentia Diuina sit realiter idem cum personis; quia hoc potius iuuat ad dictam prędicationem, supra dictus, ergo syllogismus est malus non defectu medij; quia est sufficiens, sed fallatia accidentis in eo syllogismo reperta; quia in conclusione, vt Vazquez aduertit, Pater formaliter attribuitur Filio ex communi modo loquendi, dicta autem fallacia excusabitur, si consequens inferatur materialiter, nempè ergo Filius est ille Deus, qui est Pater.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm relatio diuina includat in suo conceptu obiectiuo essentiam Diuinam?

Difficultas hęc non habet locum in opinione dicentium, relationem Diuinam, & essentiam distingui actualiter ex natura rei, seu à parte rei; quia secundum eam opinionem dicendum est; Relationem, non includere in suo concepto obiectiuo essentiam: sed tantum habet locum in nostra sententia secundum quam relatio, & essentia Diuina tantum distinguuntur actu secundum rationem, an videlicet ita distinguantur ratione nostra, vt nihilominus relatio essentialiter, seu in suo cōceptu obiectiuo includat essentiam eo modo quo homo & animal, ita ratione distinguūtur, vt nihilominus homo in suo conceptu obiectiuo includit animal.

Alexand. 1. p. quęst 68. memb. 5. art. 5. Henricus Quodlibet. 5. quæst. 6 Canar. quæst. 28. ar. 2. q. 3. Molina disp. 6. Suarez lib 4. cap. 7. Bellarm. lib. 2. de Christo, cap. 9. Arrubal disp. 101. Granad. Tract.

3. disp. 4. sect. 2. & Ruyz disp 13. sect. 1. Docent Relationem Diuinã includere essentialiter, seu in suo conceptu obiectiuo essentiam Diuinam.

Quòd in primis significare videtur Concilium Rhemense, dum definit in nullo sensu Catholico negari posse hanc propositionem, *Deus* (id est persona Diuina) est Diuinitas, sed si essentia Diuina non includatur in conceptu essentiali relationis, quãuis dicta propositio sit vera in sensu identico, non erit vera, sed falsa in sensu formali.

Et id videtur ratione probari. Primò, quia nulla relatio refert aliquid ad aliud, nisi ratione alicuius absoluti, ratione cuius relatio est in subiecto, quod refert ad aliud: ergo relatio Diuina non refert vnã personam ad aliam, nisi ratione alicuius absoluti, ratione cuius habeat esse *in*, sed in Deo nihil est absolutum præter essentiam: ergo essentia includitur essentialiter in relatione.

Secundò probatur omne ens, vel est ens à se, vel ab alio, sed relatio Diuina in suo conceptu essentiali est ens: ergo vel in suo conceptu est ens à se, seu increatum, vel est ab alio, seu creatum, sed non est ens ab alio, quia non est creatum, seu creatura: ergo est ens à se, seu increatum: ergo in suo conceptu essentiali est Diuinitas, & eam formaliter includit, quia ens increatum, & à se nequit concipi absque inclusione Diuinę essentiæ.

Tertiò probatur aliàs relatio, & essentia ratione nostra componerent in Deo, aliquod vnum tertium, quia ratione nostra conciperentur, tamquam duo extrema, quorum neutrum includit alterum.

Quartò probatur, quòd est essentialiter superius includitur in cõceptu obiectiuo inferioris, sed essentia Diuina est essentialiter superior ad relationes, vt pote communis ad illas: ergo essentialiter includitur in eis.

Gregor. verò in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 2. Molina quæst. 28. art. 2. disp. 6. Vazquez disput. 121. cap. 2. Beccanus cap. 2. q. 5. Turrianus disp. 5. dubio 1. Zuñiga â dubitat. 14. Meratius disp. 47. sect. 2: Alarcon disp 2. cap. 13. & Perez disp. 6. sect. 6. Docent relationem in suo conceptu obiectiuo non includere essentiam Diuinam. Et merito. Primò, quia relatio Diuina, verbi gratia, Paternitas concipitur à nobis, vt modus, aut terminus aduenies essentię instar subsistentiæ creatę, quę tãquã modus, & terminus aduenit naturę, & vt extremum condistinctum ab ipsa: ergo Relatio Diuina, vt à nobis concipitur, non includit essentiam, seu naturam Diuinam ad eum modum, quo subsistentia creata re ipsa est extremũ condistinctum à natura, ei aduenies, & eam non includens.

Se-

Secundo, quia relatio diuina concipitur à nobis, quasi forma determinans essentiam re ipsa communem tribus personis, vt cõstituat hanc, & illam personam instar formarum, aut modorum, qui in creatis determinant id quod est reale commune: ergo relatio diuina, vt à nobis cõcepta, non includit essentiam; quia quod in creatis determinatur, nõ includitur in eo, quòd determinat, vt inductione constare potest.

Quòd si respondeas, quòd quamuis relatio non includat expressè essentiam, eam tamen includit implicitè, hæc responsio reijcienda est vt infra dif. 11.

Ad testimonium ergo Concilij Rhemensis, respondemus, concilium tantum voluisse propositionem illam *Persona est diuinitas*, non posse negari in sensu aliquo, inuoluente distinctionem ex natura rei; quia id fuit definitum contra Gilbertum, qui existimabat illam esse falsam, ob distinctionem realem, quam ipse inter relationem, & inter essentiam admittebat, non tamen voluit, non posse negari in sensu Catholico inuoluente distinctionem rationis.

Ad primam rationem respondemus, falsum esse relationem, non referre aliquid ad aliud, nisi ratione absoluti; quia non refert nisi ratione sui, vt est ab absoluto distincta, vel distincta ex natura rei, vt contingit in relationibus creatis, vel tantum ratione, vt cõtingit in diuinis: & ratione sui habet esse *in*, vel realiter, vt in creatis, vel ratione vt in diuinis.

Et ad secundam, respondemus relationem Diuinam, re ipsa esse ens à se, & in creatum eo modo, quo essentia; quia re ipsa non distinguitur ab essentia, ratione tamen nostra distinctam ab essentia concipi, vt formam, vel vt modum aduenientem essentiæ, & afficientem illam. Et vt formam, vel modum increatum, & à se non eadem ratione à se, qua essentia, vt distincta ab ipsa relatione, sed ratione à se relatiua distincta à ratione à se absoluta essentiæ, ea proportione, qua concipitur, vt ens distinctum ab essentia; quia essentia nostro modo concipiendi est essentia, seu natura absoluta, & quasi subiectum cui aduenit ipsa relatio, & est radix, ex qua relatio ipsa oritur, & relatio est forma, vel modus à se relatiuus aduenies diuinæ essentiæ, vnde quamuis relatio in suo conceptu obiectiuo includat ens, & increatum, & à se, nõ includit essentiã; quia hæc est ens increatum, & à se absolutum, & radicale omnium, quæ sunt in Deo, relatio verò tantum includit ens increatum, & à se relatiuum, & non sic radicale.

Ad

Ad tertiam concedimus ex relatione, & essentia nostro modo concipiendi componi, seu constitui in Deo, quoddam tertiũ, quòd est Deus, persona, sicut etiam nostro modo concipiendi relatio, & essentia distinguuntur, in quo nullũ inuenitur inconueniens, vt aduertit Vazq c. 3.

Ad quartam respondemus, quòd etiam si essentia sit communis tribus personis diuinis, non tamen est essentialiter superior ad relationes, seu personalitates, adhuc nostro modo cõcipiendi, sed hoc modo tantum concipitur, vt extremum condistinctum.

Suarez qui oppositam opinionem sequutus est, addidit non tãtum essentiam includi in relatione ratione nostra, sed etiam re ipsa, quia quælibet relatio re ipsa est diuinitas. Hoc tamen quod addit, nempè essentiam re ipsa includi in relatione, non est minus falsum, quam quod in ea includatur ratione nostra, vt aduertit Vazquez disput. 119. numero 6. quia inclusio realis vnius in altero prærequirit distinctionem à parte rei inter illa; quia idem non dicitur includi in se ipso, essentia autem, & relatio non distinguuntur à parte rei, vt iam vidimus, & fatetur ipse Suarez. Et quamuis essentia, & relatio distinguerentur à parte rei, essentia non includeretur in relatione; quia distingueretur ab ea, non tamquam pars à toto, aut tamquam componens à composito, sed tamquam vnum extremum ab altero, ea proportione, qua secundum nostram sentẽtiam ratione distinguitur ab illa: quòd si relatio, verbi gratia, Paternitas est, & dicitur diuinitas, tantum est identicè non formaliter, nec diuinitas est re ipsa de essentia Patris, sed tantum ratione nostra: Et quamuis re ipsa esset de essentia Patris, sicut dicitur esse in opinione Durandi, & Scoti, non tamen esset de essentia Paternitatis; quia ẽsset extremum condistinctum à paternitate, simul cum ea constituens re ipsa Patrem, ea proportione, qua iuxta nostram sententiã, essentia ratione nostra est de essentia Patris, non tamen Paternitatis; quia concretum etiam in diuinis ratione nostra includit plus quam abstractum; quia includit alterum extremum, quod concernit distinctum ab abstracto.

DIFFICVLTAS VIII

Vtrùm relatio diuina includatur in conceptu obiectiuo Essentiæ?

AVreol.in 1.q.1.art.Bañez quæst.28.art.2.dub 3. Valentia disp. 3.q.4.puncto 1.& alij docent relationem Diuinam includi in conceptu obiectiuo,seu essentiali Diuinæ essentiæ,quibus fauere videtur S. Thom.quæst.27.art.2.ad 3.dum ait in perfectione diuini esse cõtineri Verbum.Et id indicari videntur Athan.Serm.4. contra Arria.dum ait Deitatem,& proprietatem Patris essentiam Filij cõstituere.Et Nazianzen.Oratione 39. in sancta Lumina, & Cyrillus Alex.Dialogo de Trinit.lib.2.& alij Patres quos refert Ruyz disp. 14.sect 1.

Et ratione potest probari.Primò,quia alias relatio, seu personalitas conueniret essentiæ Diuinæ accidentaliter, & extrinsecè, & Essentia Diuina non subsisteret intrinsecè relatione.

Secundò,quia Essentiæ Diuinę conuenit necessario esse Patrem,& Filium,& Spiritum sanctum,sed id non conuenit essentiæ Diuinæ, vt propria passio,nec vt modus: ergo ei conuenit intrinsicè, & essentialiter.

Canar.verò quæst.39. art 6 Moli.quæst. 28.art.2.disp.6.Vazq; disp.121.cap.4 Suarez 4.de Trinitate cap.5.Becca.c.2. Ruyz sect. 2.& Perez disp.sect.5.docent, & merito relationem Diuinam non includi in conceptu obiectiuo,seu essentiali essentię Diuinę. Et id in primis significatur in Concilio Lateranensi in cap. *Firmiter*,& in cap. *Damnamus*,& in Florentino,dum in eis dicitur Patrem communicasse Filio totam essentiam,& non relationem,at si relatio inclusa esset in conceptu essentiæ communicando essentiam, etiam communicasset relationem:& in Concilio Toletano 11. in Confessione fidei, dum dicitur: *Deitatem esse ad se, & non ad aliud.* Quòd etiam docuit Augustinus 7. de Trinitate, capit. 2. at si essentia in suo conceptu includeret relationem, etiam esset ad aliud.

Et ratione probatur: Primò quia essentia Diuina est communis tribus personis,vt manifestum est,& definitur in Concilio Lateranensi vbi supra:ergo etiam quidquid est de conceptu illius, est commune eisdem tribus personis,sed relatio non est communis tribus

per-

perſonis: ergo non eſt de conceptu eſſentiæ. Secundò, quia eſſentia diuina concipitur à nobis, vt natura cui aduenit relatio, tamquam terminus, aut modus illius inſtar naturæ creatæ, cui aduenit ſubſiſtentia, tamquam modus, aut terminus illius: ergo concipitur à nobis, vt præſuppoſita ad relationem, & eam excludens ad eum modum, quo natura creata realiter præſupponitur ad ſubſiſtentiam, & eam excludit. Tertiò, quia eſſentia Diuina, quæ re ipſa eſt communis tribus perſonis. Concipitur à nobis, quaſi determinabilis per relationem inſtar rerum creaturarum re ipſa communium, quę formis, aut modis re ipſa determinantur, verbi gratia, materia prima, quæ formis determinatur, & ſubiectum accidentibus: ergo concipitur, vt excludens relationem; quia quod in creatis determinatur, non continet id à quo determinatur, vt inductione conſtare poteſt.

Sanctus Thomas autem pro aduerſarijs adductus, tantum loquitur de continentia per identitatem, vt patet ex contextu; alij verò Patres nomine eſſentiæ, & naturę aliquando intellexerunt dictam realitatem Dei, & in eo ſenſu dixerunt naturam eſſe ipſas tres perſonas: Athanaſius verò nomine proprietatis, non intellexit perſonalitatem Patris, ſed deitatem, vt in contextu indicatur, itaut ſenſus ſit filium eſſentialiter conſtitui eadem deitate Patris, vt exponit Ruyz ſect. 5.

Ad priorem rationem fatemur, relationem non conuenire, ſeu attribui intrinſecè eſſentiæ, ex eo tamen non ſequitur ei conuenire, ſeu attribui accidentaliter, & extrinſecè; quia in ſenſu formali, nullo modo, adhuc accidentaliter ei conuenit, aut attribuitur; quia falſum eſt in ſenſu formali, & noſtro modo concipiendi, quòd eſſentia ſit relatio: conuenit tamen Deo intrinſecè; quia Deus ex eſſentia, & ex relatione noſtro modo concipiendi coaleſcit intrinſecè: vnde eſſentia diuina, quamuis ſubſiſtat relatione, tāquam ſubſiſtentia propria, non tamē ſibi intrinſeca, ſed extra ſuam eſſentiam.

Et ad poſteriorem negamus eſſentiæ diuinę in ſenſu formali conuenire eſſe Patrem, ſed tantum in ſenſu identico bene tamen Deo, imò & per ſe, vt dicemus diſp. 9 dif. 8.

DIF.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm relatio prout distincta ab essentia sit perfectio?

Difficultas hæc non procedit de perfectione, seu bonitate morali, sed de entitatiua, quam postea diuidemus, & explicabimus.

Circa difficultatem hanc Scotus quodl. 5. ar. 1. & 2. Dur. in 3. d. 1. q. 3. Cai. q 28. ar. 2. Mol q 42 ar. 6. disp. 2. docent relationem diuinam, vt ab essentia distinctam nõ esse perfectionem. Primò, quia relatio, vt relatio nõ dicit *esse in subiecto*, cui possit esse perfectio, sed tãtum dicit *esse ad*: ergo relatio diuina, vt relatio, & vt distincta ab essentia non est perfectio.

Secundò, quia si relatio diuina, v. g. paternitas esset perfectio, esset perfectio infinita intra genus relationis; quia intra istud nõ esset finita, ac proinde includeret filiationem, quod est falsum; quia paternitas, & filiatio sunt oppositæ relationes.

Tertiò, quia si relatio, vt distincta ab essentia esset perfectio, sequeretur. Primò essentiam, vt sic nõ esse simpliciter, & summæ perfectã; quia essentia, vt sic nõ includit relationes: secũdò sequeretur in quælibet persona esse aliquam perfectionem, quæ nõ esset in alijs: quia in qualibet est aliqua relatio, quę nõ est in alijs, ac proinde nulla persona esset summè perfecta; quia cuilibet deficerẽt relationes aliarum duarum personarum: tertiò sequeretur tres personas nõ esse æqualiter perfectas, sed vnam esse alia perfectiorem; quia tres relationes, seu personalitates diuinæ sunt diuersæ rationis, & quasi speciei, ac proinde essent inæquales in perfectione, sicut etiã in creatis species diuersæ sunt inæquales in perfectione, ob quod species dicũtur esse sicut numeri, qui verè sunt inæquales.

Gab. verò in 1. d. 7. q. 3. Canar. q. 28. ar. 2. disp. 3. Suar. 3. de Trin. c. 9. Vaz. disp. 112. Arrub. disp. 105. Turria. disp. 6. Zuñiga disp. 5. dub. 12. memb. 2. Mærat. & disp. 56. Grana tract. 3. disp. 5. Ruyz disp. 29. sect. 2. & Perez disp. 6. sect. 8. docent. Et merito relationem diuinã, vt distinctam ab essentia esse perfectionem, seu bonitatẽ relatiuam, quod etiam docuit Damasc. 1. de fide c. 11. dum in Deo admittit personalem.

Ratione probatur. Primo, quia perfectio, seu bonitas entitatiua, seu transcendentalis, quæ est quasi passio entis, nihil aliud est quam ipsa integritas rei, seu entis, sed relatio Diuina, vt distincta ab essentia

est

est integra in suo genere, seu specie (v. g. Paternitas in ratione Paternitatis) quia in ea ratione, nihil deficit relationi diuinæ: ergo relatio diuina, vt sic est integra, seu perfecta in suo genere, aut specie, & est integritas sui; quia integritas non est distincta à re cuius est integritas.

Secūdò, quia relationes diuinæ sunt personalitates, quibus natura diuina personatur, & termiatur, & quib' personæ diuinæ cōstituūtur: ergo vere sunt perfectiones, quasi intrinsecæ diuinis personis integrā tes diuinas personas, & perfectiones quasi extrinsecæ diuinæ naturæ, vtpote diuinam naturā perficientes, quæ amplius, & clarius cōstabūt ex responsione ad tertiam rationem.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, negamus relationē rea lē, vt relationem non dicere *esse in*, vt iam dixim. dif. 2. quia relatio, aut est accidēs si est creata, & ita nequit præscindi ab esse in subiecto, aut est substantia si est diuina, & ita nequit prescindi abesse in supposito quod refert ad aliud.

Ad secundam respōdemus, quālibet relationem diuinā esse perfectam, & infinitā non simpliciter, sed tātum intra propriam quasi specié, v. g. paternitatem intra speciem paternitatis, & filiationem intra speciem filiationis, & ita paternitas non includit filiationem, nec è contra filiatio paternitatem.

Pro solutione tertiæ rationis obseruandum est, perfectionem, seu bonitatem entitatiuam (quæ est physica in creatis, & quasi physica in diuinis) esse duplicem alteram sumptam pro integritate rei in qua consistit perfectio, seu bonitas transcendentalis rei, quæ est quasi passio entis, & conuenit vnicuique rei, quamuis sit pars, aut quasi pars alterius rei, & hęc prior perfectio dici potest perfectio, seu bonitas absoluta, quamuis ipsa res sit relatio; quia est perfectio, seu bonitas ipsi rei, qua res in se ipsa est perfecta, seu integra, & non est perfectio alij rei. Alteram esse perfectionem sumptam pro eo, quòd perficit aliud, tamquam ei conueniens, siue intrinsecè, qua ratione pars componens aliam rem est ei conueniens, & perfectio, siue extrinsecè, qua ratione passio est perfectio essentiæ, vt risibilitas hominis, & qua ratione accidens connaturale est perfectio sui subiecti: & hæc posterior perfectio dici potest relatiua, quamuis ipsa in se sit absoluta; quia est perfectio alteri, tamquam ei conueniens, siue eam intrinsecè constituens, siue eam extrinsecè perficiens.

Relatio ergo diuina in prim's est perfectio priori modo, seu trāscē dentaliter; quia ipsa in suo genere, aut in sua specie, est integritas

sui

sui, qua ipsa est integra, nihil ei in suo genere, aut specie deficiens. Deinde relatio diuina est perfectior posteriori modo, seu relatiuè Deo, & personę diuinæ; quia quasi cōstituit intrinsecè Deū, & personam diuinam, & etiam est perfectio ipsi deitati; quia eam perficit, quasi extrinsecè, nempè quasi terminus illius eam personans, & reddens subsistentem.

Ita tamen relatio diuina, est Deo perfectio posteriori modo, & personæ, & Deitati, vt non sit eis perfectio realis; quia non constituit realiter Deum, nec personam, nec perficit realiter Deitatem; quia ab eis non distinguitur realiter, idem autem, non constituit realiter se ipsum, nec perficit realiter se ipsum, sed tantum est illis perfectio nostro modo concipiendi; quia Deum, & personam tantum constituit nostro modo concipiendi, & Deitatem tantum perficit nostro modo concipiendi; quia hoc tantummodo distinguitur à Deo, & à persona, & à Deitate. In quo perfectio priori modo sumpta, nempè pro integritate, distinguitur à perfectione posteriori modo sumpta, nempè quod integritas, seu perfectio transcendentalis entis reales est realis; quamuis non distinguatur realiter à re cuius est integritas, vt verè non distinguitur; quia quamuis non sit ab ipsa re realiter distincta, est tamen realiter, seu à parte rei integritas, vnde tres relationis Diuinę, quamuis vt perfectiones priori modo, seu transcendentales, sint perfectiones reales, non tamen vt sunt perfectiones posteriori modo ob rationem dictam, sed tantum sunt perfectiones modo nostro concipiendi, distinctę tamen realiter inter se.

Sed quamuis non sint perfectiones reales, sumpta perfectione posteriori modo: sunt tamen veræ relationes reales; quia per eas personæ, quamuis realiter indistinctę ab ipsis relationibus, se realiter mutuo respiciunt, & ad se mutuo realiter referuntur; quia personę non referuntur per ipsas relationes, tamquam per aliquid extrinsecum ipsis personis superadditum ad eum modum, quo res creatæ per relationes prædicamentales, ipsis rebus superadditis realiter referuntur; sed tamquam per aliquid intrinsecum, vel vt proprius loquamur se ipsis sunt realiter se mutuo respicientes, & ad se ipsas mutuo realiter relatæ ad eum modum, quo relationes transcendentales creaturarum, vt relatio visionis ad colorem visum, sunt relationes reales, quamuis non distinguantur realiter à re cuius sunt relationes; quia per eas, quāuis à re ipsa realiter indistinctas, ea res realiter refertur, vel vt proprius loquamur; quia res illa se ipsa realiter refertur ad aliā, seu eam respicit; quia ipsa essentialiter est realiter respiciens, eu relata ad illam.

Hoc

Hoc ergo ſuppoſito, ad tertiam rationem aduerſariorum reſpondemus admittendo relationem diuinam, vt diſtinctam ab eſſentia eſſe perfectionem, & conſequenter eſſentiam diuinam, vt diſtinctã à relatione nõ includere eam perfectionem relatiuam, ex eo tamẽ nõ ſequitur eſſentiam diuinam, nõ eſſe ſummè, & impliciter perfectã; quia in primis nõ ſequitur, nõ eſſe idẽticè ſummè, & ſimpliciter perfectam, cum ſit realiter eadem cum ipſis relationibus: imo nec ſequitur eam, vt formaliter diſtinctam ã relatione nõ eſſe ſummè, & ſimpliciter perfectam cum in genere eſſentiæ, ſeu in ratione eſſentiç, ſit infinitè perfecta, & habeat omnem perfectionem ſibi nõ repugnantẽ ſicut Deus dicitur, infinitè & ſummè perfectus, quãuis nõ habeat formaliter perfectiones creaturarum ſibi repugnãtes: & admittimus in nulla perſona diuina reperiri omnes tres relationes perſonales, ſed cuilibet deficere duas ex eis tribus, ex eo tamẽ nõ ſequitur nullã perſonam eſſe infinitè, & ſummè perfectã; quia quælibet eſt infinitè perfecta, nõ tantum in ratione Dei; quia habet deitatem duobus prædictis modis, idẽticè videlicet, & formaliter infinite perfectam, ſed etiã in ratione perſonç; quia perſonalitas cuiuſlibet perſonæ eſt in ſua ratione, & quaſi ſpecie infinitè, & ſummè perfecta, nec vt quælibet ſit infinitè & ſummè perfecta obſtat, quòd non habeat aliàs oppoſitas perfectiones relatiuas; quia ad id ſufficit quod habeat infinitam perfectionem propriam, & omnem ſibi nõ repugnantem, vt diximus de eſſentia diuina, nec ex eo, quod relatio diuina ſit perfectio, ſequitur perſonas diuinas nõ eſſe æqualiter perfectas, nec ſequitur relationes ipſas eſſe in inçquales; quia quælibet in ſuo genere, aut in ſua ſpecie, ſeu ratione eſt infinita perfectio, ſeu infinitè perfecta, inæqualitas autẽ, ſeu maioritas, & minoritas ſunt affectiones ſolius rei finitç in quo relationes diuinæ differunt ab ſpeciebus creatis, quæ ſunt inæquales imperfectione; quia quælibet ex eis eſt finitæ perfectionis: ita tamẽ tres relationes diuinæ, ſeu perſonæ diuinæ ſunt tres integritates, ſeu perfectiones reales priori modo ſũptæ, & à parte rei inter ſe diſtinctæ, vt nõ ſit alia realis integritas, ſeu perfectio ab eis tribꝰ à parte rei diſtincta; quia ſi aliqua alia maximè, aliqua totalis ex eis tribꝰ coaleſcẽs, hæc autẽ nõ eſt in Deo; quia in eo nõ eſt aliqua alia, quarta res ex eis coaleſcẽs, cuius poſsit eſſe integritas, ſed tãtum eſt numerus ternarius rerũ realiter diſtinctarum, nempe dictarũ relationũ, ſeu perſonarum, qui numerus nõ eſt res aliqua, quarta diſtincta ab ipſis tribus relationibus, & perſonis vt patet, vnde quælibet integritas, ſeu perfectio ex dictis eſt totalis, nõ complẽs realiter aliam integritatem, ſed quanuis nõ ſint, niſi tres dictç integritates, ſeu perfectiones totales realiter diſtinctæ, ſunt tamẽ tot integritates, ſeu perfe-

ctiones nõ realiter ratione distinctæ, quot sunt essentia, & attributa; quia essentia in ratione essentiæ, etiã est realiter integritas, seu integra, & etiam sapiẽtia in ratione sapiẽtię, &sic reliqua attributa, & nõ distinguũtur à parte rei inter se, nec à dictis integritatibus relationum, seu personarum; quia essentia, & attributa (quæ à suis integritatibus nõ distinguuntur) non distinguuntur à parte rei ab ipsis relationibus, seu personis.

Et eadẽ proportione in Deo, sunt tres infinitates relatiuæ, seu personales realiter inter se distinctæ, & nõ plures, & tres veritates transcẽdẽtales relatiuæ realiter distinctæ, & nõ plures relatiuæ, & tres immẽsitates relatiuæ realiter distinctæ, & nõ plures; & tres æternitates relatiuæ, seu personales realiter distinctę, & nõ plures, & tres rationes increati relatiuæ realiter distinctę, & nõ plures, & tres vnitates personales realiter distinctæ, & nõ plures; sunt tamẽ tot absolutæ infinitates, & incomprehẽsibilitates, & veritates, & ęternitates, & immẽsitates, & rationes increati, & vnitates ratione tantum distinctæ inter se, & à relatiuis, quot sunt essentia, & attributa, de quibus in hoc paragrapho contentis latè dicem dif. 11.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm relatio diuina, prout distincta ab essentia sit perfectio simpliciter simplex?

§ Cot. quodl. 5. ar. 2. Aur. in 1. d. 19. p. 2. ar. 3. Cai. 1. p. q. 28. ar. 1. & 2. Suar. lib. 3 c. 18. Zuñiga disp. 5. dub. 12. memb. 3. Mærat. dispu. 56. & Perez disp. 6. sect. 9 partem negatiuam tuentur; quia perfectio simpliciter simplex, vt definit Anselm. in Monologio cap. 14. & in Prosologio cap. 5. est illa, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa, in Patre autem, v. g. non est melius esse Patrem, quam non esse Patrem, quia Pater non est melior quam Filius, nec quam Spiritus Sanctus ergo.

Greg verò in 1. d. 20. q. 1. ar. 1. Val lib. 2. de Trin. c. 12. Vazq. disp. 122. n. 10. Tur. disp. 6. dub. 3. Gran. disp 5. sect. 3. & Ruiz disp. 30. sect. 9 partem affirmatiuam tradunt, & merito, quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ est melior ipsa, quam non ipsa ei, cui est perfectio quasi extrinseca ei conuenies, & cõsentanea, & nõ cicui est intrinseca alias omne componens, aut constituens esset perfectio simpliciter simplex ipsi constituto, quod est falsum aliàs materia prima esset perfectio simpliciter simplex hominis; quia vt pote ei intrinseca

ca

ca melior est illi materia prima, quam carétia illius, essentię autē di uinæ cui soli, & nō Patri, nec Filio, nec Spiritui sancto relatio diuina est perfectio quasi extrinseca ei cōueniēs, & consentanea est melior quam nō relatio, v g paternitas est melior essentię diuinæ, quā non paternitas, & filiatio quam non filiatio, & spiratio, quam non spiratio: ergo relatio diuina est perfectio simpliciter simplex ipsi essentię cui soli est perfectio nō eam integrans, & quasi intrinseca, sed quasi extrinseca ei consentanea.

Ex quo cōstat ad rationem aduersariorum, quòd scilicet quamuis admittamus quod patri, v.g. nō sit melius esse Patrem, quam nō esse Patrem; quia ei nō sit melius esse Patrem, quam esse Filium, aut Spiritū sanctum, nihilominus paternitas nō definit esse perfectio simpliciter simplex; quia paternitas nō est perfectio perficiēs, quasi extrinsece Patrem, sed essentiā diuinā, ea proportione quā albedo nō perficit albū, sed corpus, & essentiæ diuinę melior est paternitas, quā nō paternitas, & filiatio quam nō filiatio, & spiratio quā nō spiratio.

Et quāuis vt aliqua perfectio sit simpliciter simplex ei cui est perfectio, aliquādo nō sufficiat quod ei sit melior ipsa, quā non ipsa, seu quā carētia ipsius; quia perfectio creata, v g. quātitas est melior corpori quam nō quātitas, seu quam carētia ipsius, & tamē ei nō est perfectio simpliciter simplex, sed aliquādo etiā requiratur, quod sit melior quam positiuum incompossibile cum ipsa perfectione in ipsa re, & ipsi rei repugnās, ob cuius defectum quātitas, v g. nō est perfectio simpliciter simplex corpori; quia nō est melior, quā spiritualitas incompossibilis cū ipsa quātitate, & repugnās ipsi corpori cui quātitas est perfectio; quia verò relatio diuina, v g. paternitas nō habet aliquid positiuum, quod sit incompossibile cum ipsa paternitate in ipsa essentia diuina cui est perfectio, & quod sit repugnans essentiæ diuinæ; quia huic non repugnat filiatio, nec spiratio, nec in ea sunt incōpossibiles cum paternitate, ideò vt relatio sit essentiæ diuinæ perfectio simpliciter simplex, sufficit quod ipsa relatio sit melior essentiæ diuinæ, quam non relatio: vnde nomine illo, *quam non ipsa*, seu *quam carentia ipsius*, posito in definitione perfectionis simpliciter simplicis tradita ab Anselmo, intelligitur carentia ipsius perfectionis, & etiam positiuum incompossibile cum ipsa perfectione in re cui est perfectio, & ipsi rei cui est perfectio oppositum, & repugnans quando est tale positiuum incompossibile cum perfectione, & repugnans ipsi rei cui est perfectio.

Addidimus in solutione rationis aduersariorum, *Quia admittimus quod Patri non sit melius esse Patrem, quā non esse Patrē*: quia absq; dubio Patri melius est esse Patrē, quā nō esse Patrē, & quā esse Filium;

quia paternitas est intrinseca, seu essentialis patri, & nõ carentia paternitatis, nec filiatio, ac proinde patri melius est esse Patrem; quia absque paternitate non est Pater.

Ex dictis cõstat soli perfectioni, nõ sumptę pro integritate, sed sũptæ pro perfectione perficiẽte aliud, & nõ perficiẽte intrinsecè, sed tãtum extrinsecè, cõuenire esse simpliciter simplicem, ac proinde perfectionem simpliciter simplicem in Deo, nõ esse perfectionem realiter, sed tantum nostro modo cõcipiendi; quia nihil perficit extrinsecè realiter Deum, vt diximus dis. 9.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm tres diuinæ relationes, seu personalitates, & personæ sint tres res, & tria entia?

CIrca prius Theologi (excepto Henric. nollente relationes diuinas appellare res) cõueniũt tres relationes personales, seu personalitates, & personas diuinas esse, & dici *tres res*, quod docuit S. T. in 1. d 25. q. vlt. ar. 4. Vaz. disp. 122. Sua. li 3. c. 6. Tur. disp. 6. dub. 5. Zum. disp. 14. sect. 2. Ruiz disp. 26. sect. 1. Alar. disp. 5. c. 5. Per. disp. 12. sect. 3. & alij quos refert Ruiz, & indicat Conc. Rhem. & tradunt Aug. 1. de Doct. Christ. c. 5. dum ait res igitur quibus fruendum est, *Pater & Filius, & Spiritus sanctus est.* Et Ansel. lib. de Incarn. Verbi c. 3. dũ ait: *Nihil prohibet dicere duas personas Patrem, & Filium esse duas res*, ratio autem est; quia quęlibet diuina relatio, & personalitas, & persona est verè res, & realiter distincta ab alia: ergo tres relationes, seu personalitates, & personæ possũt, absq; scrupulo dici tres res; quia hac enumeratione tantũ denotatur distinctio realis inter prędictas res.

Circa posterius supponimus si *ens* sumatur adiectiuè, prout idem est, quod habẽs esse, tres personas esse, & dici tria entia; quia vere sũt tres habẽtes esse (quãuis habeant vnum tantum esse sumptum pro essentia, seu deitate) sicut etiam dicũtur tres sapiẽtes, & tres omnipotentes; quia sunt tres habẽtes sapientiam, quamuis tantum vnam, & tres habentes omnipotẽtiam, quamuis tantum vnam; quia adiectiuum multiplicatur multiplicatis habentibus, licet forma habita sit tantum vna, vt dicem. disp. 8. dis. 2.

Si verò *ens* sumatur substãtiuè (vt sumi potest) prout idẽ est, quod entitas, seu quod est ens subsistãtiuè, & idẽ quod *res* S. Th. vbi supra, ar. 2. ad 4. Bonauentura d. 23. ar. 2. q. 2. Henr. in summa ar. 34. q. 2. ad 6. Per. vbi supra docẽt tres personas, non esse tria entia, quod indicari

cari videtur, Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*. Et 1. Ioann. 5. *Si tres vnum sunt*. Et ratione videtur probari, quia in tribus personis est vnum tantum esse, quia in eis est vna tantum essentia, & vna tantum existentia.

Canasiensis verò q. 23. Suarez, Turrianus, Zuñiga, Alarcon, & Perez vbi supra, Vazquez c. 7. Ruyz sect. 4. docent Diuinas personas esse, & posse dici tria entia substantiuè, seu tres entitates, quod indicat Sanct. Thom. q. 39. ar. 3. ad tertium, vbi retractasse videtur, quod dixerat in eo art. 2 ad 4. & merito; quia *ens* substantiuè nõ est minus transcendens, quam res, imo est indistinctum à re: ergo sicut tres relationes, seu personalitates, & tres personæ diuinæ sunt, & dicũtur tres res, ita etiam sunt, & dicũtur tria entia substantiuè, seu tres entes quasi masculine, & tres entitates.

Quòd autem ens dicatur ab esse non obstat; quia esse non tantum conuenit essentiæ, seu naturæ, quæ in Deo est tantum vna, & ratione cuius tres personæ diuinæ dicuntur esse vnum, sed etiam conuenit cuicunq; entitati, & rei quamuis relatiuę, & ideò tres relationes, seu personalitates, & personæ dicuntur tres entitates, & tria entia: addendo autem tria entia *relatiua*, & tres entitates *relatiuæ* auffertur omnis occasio æquiuocationis, & erroris, in Deo autem esse tres existentias relatiuas dicem. disp. 3. dif. 8.

Et eadem proportione, qua in Deo sunt tres res, & tria entia, etiam admittendum est in Deo esse aliqua, & aliquos; quia aliquis, & aliqua, & aliquid æquialet enti: ergo sicut in Deo sunt tres res, & tria entia, admittendum est in Deo esse aliquos, nempè aliquas personas, & esse aliquas, nempè aliquas relationes, & personalitates.

Quo modo autem, quamuis in Deo admittantur quatuor relationes reales, non sint admittendæ quatuor res, nec quatuor entia diximus dif. 4.

Sed an tres diuinæ personæ, & dictæ relationes, & personalitates dicendæ sint tria individua dicemus disp. 3. dif. 1.

DISPVTATIO TERTIA.

De persona diuina in communi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm persona rectè definiatur à Boetio?

BOet. lib. de duabus naturis definit personam, *quod sit rationalis naturæ individua*, substantia est ergo difficultas, an hæc definitio personæ sit recta.

Scot. in 1 d. 23. q. vlt. dictam definitionem reprobat; quia natura diuina est individua substantia naturę rationalis, & anima rationalis etiam est individua substantia naturæ rationalis, & tamen non sunt personæ.

Magist. verò in 3. d. 5. S. Th. & omnes eius discipuli 1. p. q. 29. art. 1. & communiter scholast. in 1. d. 25. Sua. lib. 1. de Trin. c. 1. Ruiz disp. 32. sect. 2. & communiter Theologi dictam definitionem personæ à Boetio traditam admittunt, & approbant, & etiam Rich. de Sancto Vict. 4. de Trinit. c. 23. (etiam si c. 21. eam reprobare videatur) & merito, quia nomine *substantiæ*, Boet. intelligit *substistentiam*, vel potius *substistens*, & nomine *individuæ*, intelligit *incōmunicabilem*, & additur rationalis naturę; quia substistens incommunicabile naturæ irrationales nō dicitur persona, sed hypostasis, aut suppositū, ex quibus cōstat dictam definitionem personę, nō conuenire naturę diuinæ, nec animę rationali; quia neutra est substistentia, nec substistens, & neutra est incommunicabilis, sed communicabilis.

Richar. verò in dicto c. 23. aliam tradit definitionem personæ, nempè quod sit *intellectiua naturæ incommunicabilis existentia*, quæ si rectè explicetur in idem incidit quod definitio Boet. & ea vsus est Ioānes Ecclesiæ Latinæ Theologus in Concil. Floren. sess. 19. post medium: eam autem præfert Scotus definitioni Boetij; quia per vocē incommunicabilis excluditur anima rationalis, & quælibet pars, & quælibet natura singularis, vt sit persona.

Ex quibus constat personam significare substātiam, & nō qualitatem, in quo grauiter errauit Laur. Valla lib. 6. elegantiarum c. 34. vbi contra Boet. cōtendit nomen personę, non significare substantiam, sed qualitatem, quia vna & eadem persona dicitur gerere plures personas, fallitur tamē Lauren. Valla; quia id est cōtra vsum Scripturæ, & Conciliorum, & Patrum Latinorum, & Iuris ciuilis (vt expēdit Suar.) à quibus persona nunquam vsurpatur, vt significet qualitatem, sed semper, vt significet substātiam: & sane si qualitatem significaret, alia diceretur esse persona hominis iuuenis, à persona

eius

eiuſdem iam ſenis,& perſona hominis medici, à perſona hominis Theologi,quod eſt falſum:quòd ſi vnus homo aliquãdo dicitur plures gerere perſonas,eſt quia eſt vna ſubſtãtialiter&alia,vel aliæ repræſentatiuè,nec verũ eſt nos aliquãdo vti nomine perſonæ ad ſignificãdam qualitatem,ſed alijs nominibus,nomini perſonæ adiunctis, vt quando interrogati qualis perſona ſit Petrus,&reſpõdemus,eſt medicus,aut Theologus,nõ eſt quia nomine *perſonæ* interrogemur de qualitate,ſed quia de perſona interrogamur nomine *qualis*, aut alio æquiualente.

Obſeruandum autem eſt nomẽ *perſona*,non differre à nomine *ſuppoſitum*,nec à nomine *hypoſtaſis* ex parte directi ſignificati; quia hæc tria nomina directè ſignificant ſubſiſtẽtiam,ſed tãtum differunt ex parte indirecti,&cõnotati;quia nomina ſuppoſitum,& hypoſtaſis ſignificant ſubſiſtentiam in quacunq;natura ſubſtantiali,nomen verò perſona,nõ niſi in natura intellectuali,& ita perſona ſignificata, eſt quid inferius ſuppoſito,& hypoſtaſi ratione indirecti, ſeu connotati;quia valet eſt perſona:ergo eſt ſupppoſitum,& hypoſtaſis,non tamen è contra:indiuiduum verò,vt ſumitur à Boetio pro incommunicabili idem eſt,quòd ſuppoſitum,& hypoſtaſis, & ita in hoc ſenſu poſſunt in Deo cõcedi tria indiuidua,ſicut conceduntur tria ſuppoſita,& tres hypoſtaſes:nihilominus,quia indiuiduum iam communiter ſumitur,non pro incommunicabili, ſed pro ſingulari naturę, imò tam naturæ accidentalis,quàm ſubſtantialis,ideo iam abſolutè non ſunt concedenda in Deo tria indiuidua, etiam ſi concedantur tres res ſingulares,& tria entia ſingularia,vt aduertit Vaz.in explicatione dicti ar.1.indiuiduũ ergo,vt iam ſumitur,&ſuppoſitũ,ſeu hypoſtaſis,& perſona ſe habent,tanquam ſuperius,& inferius;quia indiuiduum eſt ſuperius ad ſuppoſitum,ſeu hypoſtaſim,&ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſis ad perſonam;quia valet eſt perſona, ergo eſt ſuppoſitum,ſeu hypoſtaſis,eſt ſuppoſitum,ſeu hypoſtaſis,ergo eſt indiuiduũ & non è contra.

Quòd autem perſona addat ſupra naturam,quid poſitium, quod eſt modus ſubſtantialis naturę,& appellatur ſubſiſtentia: & quòd partibus,adhuc integrantibus exiſtentibus in compoſito, non conueniat diximus tract.de Incarnatione diſp. 4.diffi.11

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ratio personæ conueniat Deo?

ABsque controuersia est rationem personæ conuenire Deo: & id est de fide: exprimitur enim in Symb. Athan. quia in eo dicitur: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*, & idem dicitur in Concil. Lateran. sub Innocentio III. & in Conc. Tolet. 11. in confessione fidei: Patres quoque rationē, & nomen personæ Deo frequenter tribuunt.

Et id constat ex definitione personę, qua definitur, quod sit *rationalis naturæ in diuidua substantia*, vt retulimus ex Boetio, *aut* quod sit *intellectiuæ naturæ in communicabilis existentia*, vt retulimus ex Richardo, in Deo autem est intellectiuæ naturæ indiuidua subsistantia, & est incommunicabilis existentia naturæ intellectiuæ; quia in Deo est intellectualis natura, & incommunicabiliter existēs; quia in eo est natura omnino perfecta, & nostro modo concipiendi vltimo terminata: ergo in Deo verè reperitur ratio personæ, & cōsequēter nomen *Persona* Deo optimè quadrat.

Ex quo etiam constat in Deo verè reperiri rationem suppositi, seu hypostasi (& cōsequenter nomē *Persona*, & nomē *hypostasis* ei optimè quadrare) quia vt dixim. diffic. precedente persona inferior est ad suppositum, seu hipostasim.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm nomen Persona *in diuinis significet relationem an substantiam?*

SVpponimus contra Scotum in 1. d. 23. q. vltima, & contra Gabr. in 3. d. 2. & contra alios, personam, seu nomen *Persona*, præsertim in diuinis directè, & formaliter non significare negationem, etiā si aliquando negatione explicetur, sed positiuum quid, vt cōtra eos dixim. tract. de Incar. disp. 4. dif. 2. & quidem de persona diuina negari non potest; quia personæ diuinæ relationibus positiuis cōstituū tur, vt dicemus disp. 4. dif. 3. ergo persona diuina eas significat, & dicit, & ita in proprietatibus personalibus positiuis Ecclesia numerū personarum agnoscit.

Hoc

Hoc ergo ſuppoſito prima opinio eſt Scoti in 1. d 25. & 27. q. 1. qui quamuis exiſtimet perſonam, ſeu nomen *Perſona* formaliter, & directè ſignificare negationem communicabilitatis, admittens tamen, vt probabile quod formaliter, & directè dicat quid poſitiuũ, affirmat perſonam in diuinis non ſignificare relationem, nec ſubſtantiam, ſed quid commune relationi, & ſubſtantiæ: opinio tamen hæc præterquam quod ex dicendis in hac difficultate poterit reijci, etiam reijcitur à Durando in 1. diſt. 23. quæſt. 1. oſtendendo abſoluto, & relatiuo nihil poſſe dari commune, ac proinde, nec nomine *perſona* ſignificari.

Secunda opinio eſt Durandi vbi ſupra, aſſerentis nomen *perſona* in diuinis directè, & formaliter non ſignificare relationem, nec ſubſtantiam, ſed denominationem, & intentionem nõ rationis, ſed realem, opinio tamẽ hæc quatenus ait perſonam in diuinis nõ ſignificare directè relationem, nec ſubſtantiam, falſa eſt, vt cõſtabit ex ſtatim dicendis: quatenus verò ait ſignificare denominationem, explicabitur diſſequente.

Tertia opinio eſt Caietani q. 29. ar. 4. aſſerentis perſonam in Diuinis directè, & formaliter ſignificare relationem, materialiter verò, & indirectè ſubſtantiam, & eam ſequitur Perez diſput. 9. ſect. 2. probari autem poteſt, quia perſona in communi directè, & formaliter ſignificat perſonalitatem, connotat autem, ſeu indirectè, & materialiter ſignificat naturam, quę perſonatur, perſonalitas autẽ in diuinis eſt relatio, natura verò eſt ſubſtantia.

Quarta opinio nobis probatur aſſerentium, perſonam Diuinã ſignificare formaliter ſubſtantiam & materialiter relationem, ita Vaz. diſp. 127. & docuiſſe videntur S. Thom q. 29 ar. 4. Alex. 1. p. q. 56. memb. 2. Suar. 7. de Trinit. cap. 8. Granad tract. 4. diſp. 3 & Ruyz diſp. 32. ſect. 9.

Pro huius noſtræ opinionis explicatione, & confirmatione obſeruandum eſt duplex eſſe ſignificatum nominis concreti (quale eſt nomen *perſona*) aliud adæquatum, ſeu totale, quale eſt coaleſcẽs ex conſtituentibus ipſum, alterum eſt in adæquatum, ſeu partiale, quale eſt quodlibet conſtituens eam rem. Deinde ſignificatum in adæquatum eſſe duplex, alterum directum illud ſcilicet quod primario ſignificat, & quaſi in recto qualiter nomine *perſona*, ſignificatur perſonalitas, & nomine *album* ſignificatur ſubiectum, alterum eſſe in directum, ſeu connotatum, illud ſcilicet quod ſecundario, & quaſi in obliquo ſignificatur, qualiter nomine *Deus*, ſignificatur perſonalitas, & nomine *perſona*, ſignificatur Deitas, & nomine *album*, ſignificatur albedo.

Hoc

Hoc ergo supposito, opinio nostra explicatur, & cõfirmatur; quia nomẽ *persona* in diuinis adæquatè, & inadæquatè significat substantiã, & in primis adæquatè, seu totaliter; quia significat cõstitutum ex deitate, & ex personalitate, seu subsistentia diuina; quia nomen *persona* significat id, quòd verè est persona, persona autem est dictum constitutum, & hoc verè est substantia, seu subsistens, sicut nomen *Deus*, significat adæquatè constitutum ex eisdem. Deinde quod nomẽ *persona* in diuinis inadæquatè, seu partialiter significet substantiam, probatur, quia nomen *persona*, significando adæquatè personam, eo ipso etiam significat in adæquatè, seu partialiter ipsa constitutiua personam ipsam, quodlibet seorsim, quæ sunt quasi partes ipsius personæ constitutæ per illa.

Eo autem ipso quod significatum, adæquatum nominis *persona diuina*, est totum ipsum constitutum nostro modo cõcipiẽdi, ex personalitate, & ex deitate, personalitas, & deitas ex quibus nostro modo concipiendi coalescit, seu constituitur persona diuina, eo nomine *persona*, significantur in adæquatè quælibet seorsim; quia quælibet ex eis est constitutiuum in adæquatum personæ diuinæ, significatę adæquatè nomine *persona*; quia verò personalitas primario, significatur nomine *persona*, & eo ipso quasi in recto, ideò personalitas eo nomine dicitur, significari directè; & quia deitas, seu natura diuina, eo nomine *persona*, tantum significatur secundario, id eò dicitur significari indirectè: & quia personalitas diuina directè significatur, & relatio diuina adæquatè, seu cõuertibiliter identificatur cum personalitate, ideò etiam relatio significatur nomine *persona*, directè sicut ipsa personalitas, sed non formaliter, sed materialiter, & quasi identicè (& id voluit S. Thomas quando in dicto art. 4. addit relationem, vt relationem cadere in ratione personæ in obliquo, id est materialiter, seu identicè non formaliter, & ob id, quamuis Pater dicatur alicuius Pater, persona tamẽ Patris non dicitur alicuius persona, quia scilicet persona Patris, nomine *persona*, non significatur relatiuè, sed absolutè; quia nomine *persona* non exprimitur relatio, & id voluit Aug. 7. de Trin. c. 6. quando dixit personam, non significare relationem, subintellige expressè, & formaliter; quia eam tantum significat identicè.

Ex dictis constat falsitas opinionis Scoti, & Dur. & quid habeat veritatis opinio Cai. & quid respondendum sit ad fundamentum ipsius quatenus nobis aduersatur.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm nomen persona in diuinis dicat rationem aliquam communem tribus personis?

QVòd in titulo difficultatis quærimus, idē est ac quærere, an persona ipsa diuina significata nomine *persona*, sit communis tribus diuinis personis.

Resolutio huius difficultatis, maximè pendet ex resolutione difficultatis præcedentis de significato nominis *persona*, & ideò iuxta varias opiniones, quas circa eam difficultatem enumerauimus, variæ etiam sunt circa præsentem.

Supponimus autem nomen *persona*, non dicere rationem aliquam negatiuam communem tribus personis, quia vt difficultate præcedente diximus contra Scotum nomen *persona*, non dicit negationem.

Inter eos ergo, qui contra Scotum conueniunt nomen *persona*, non significare negationem, sed positiuum opinio est nomē *persona*, significare rationem positiuam communem tribus personis nō realem, sed rationis, & quasi secundæ intentionis, ita insinuant Duran. in 1. d. 23. & 25. q. 1. & Henr. quodl. 5. q. 6.

Prior pars, nempe non significare rationem aliquam realem communem tribus personis probari potest.

Primo, quia personalitates Diuinæ sunt conceptus obiectiui vltimo constituentes Diuinas personas: ergo ab eis nequit abstrahi ratio vna communis in qua conueniant, consequentia patet; quia conceptus vltimo constituens, & determinans est indiuisibilis, seu irresolubilis in alios conceptus, seu rationes; quia aliàs non esset vltimus, & esset processus in infinitum in resolutione illius.

Secundò, quia personalitas est incommunicabilis: ergo nequit esse communicabilis, seu communis tribus personalitatibus: ac proinde, nec tribus personis dabitur aliqua ratio realis communis nomine *persona* significata; quia in diuinis personis præter ipsas personalitates, non datur nisi essentia diuina, quæ est singularissima, & ab ea nequit aliquid abstrahi, quod sit commune, & quasi vniuersale ipsis personis. Tertiò, quia si esset aliqua ratio realis per rationem cōmunis tribus personis, nomine *persona* significata,

esset

esset vniuersalis, quod nō videtur habere locum in diuinis, imò nec in personis creatis, vt docet S. Th. ar. 4.

Posterior pars, nempè nomen *personæ*, significare rationem communem rationis, & quasi intentionis. Probatur; quia persona est rationalis naturæ individua substantia, individuum autem est nomen secundæ intentionis, & rationis, sicut nomen *genus*, & nomen *speciei*.

Oppositā tamen opinio, verior est significatum nomine *personæ*, in Diuinis esse rationem positiuam communem tribus personis Diuinis non rationis, sed realem, ita S. Thomas q. 30. art. 4. & ibidem Caieta. & communiter Thomistę, Vazquez disp. 130. Suarez 1. de Trinitate cap. 3. Arrubal disp. 103. Turrianus disp. 12. dubio 3. Mæratius disput 48. Zuñiga disput. 5. dub. 5. & 6. Ruyz disp. 35. sect. 1. & Per. disp. 10. sect. 3. & supponit Alar. disp. 4. c. 2. Probatur autē; quia tres diuinę verè personæ sunt entia, & realiter cōueniūt in esse personarum; quia quælibet diuina persona verè, & realiter est persona nō fictione intellectus: ergo ratio communis personæ significata nomine persona, est verè realis, quamuis sit per rationem communis.

Ad primam ergo rationem, pro priori parte oppositæ opinionis, respondemus concedendo personalitates Diuinas esse cōceptus obiectiuos, vltimo constituentes Diuinas personas, constitutione quasi Physica (quamuis non reali) & ita Physicè esse indiuisibiles, seu irresolubiles in plures conceptus, Metaphysicè tamen qua ratione, non constituunt personas esse diuisibiles, & resolubiles in plures rationes, & conceptus obiectiuos generis, & differentiæ, vel quasi generis, & differentię, sicut rationale; quia tantum est vltimo constituens Metaphysicè hominem, & non Physicè, non est amplius resolubile Metaphysicè, Physicè tamen est resolubile, & diuisibile in materiam primam, & animam; quia his constituitur physicè.

Ad secundam rationem, respōdemus personalitatem esse incommunicabilem Physicè alteri personæ, id tamen nō tollit esse Metaphysicè communicabilem, communicabilitate superioris ad inferiora.

Ad tertiam rationem constabit ex dicendis statim.

Superest tamē cōtrouersia inter Auctores nostrę opinionis, an dicta ratio realis ratione nostra communis personę significata nomine *personæ*, sit communis quidditatiuę, seu quasi essentialiter, an tātum denominatiuè, & accidentaliter.

Circa quam in eo conueniunt, quòd sit communis quidditatiuè

tice, & quasi essentialiter tribus Diuinis personis, vt significatis his nominibus; quia ratio personæ est abstracta ab ipsis tribus personis, tamquam ab inferioribus, vt inclusa in eis, eo modo, quo ratio animalis est abstracta ab homine, & equo, & ratio coloris ab albedine, & nigredine; quia tres Diuinæ personæ, non minus realiter conueniunt in eo, quòd est esse personas, quam homo, & equus in eo, quòd est esse animalia, & albedo, & nigredo in eo, quòd est esse colores: ergo ratio communis personæ est illis cõmunis quidditatiue, seu quasi essentialiter; quia in conceptu obiectiuo cuiuslibet triũpersonarũ, aut personalitatum est inclusa; quia à conceptibus obiectiuis carũ est, & intellectum abstracta.

Punctum ergo controuersiæ in eo est, an ratio personæ in Diuinis, sit communis quidditatiuè tribus Diuinis personis, vt significatis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti (sumpta illa particula *vt* specificatiuè, nõ reduplicatiuè) itavt hæc propositio, v.g. *Pater est persona*, sit quidditatiua, & quasi essentialis sicut hæc propositio, hęc persona Patris est persona, an tantũ sit communis denominatiue, seu accidentaliter.

Vazquez, Suarez, Turrianus, Mæratius, & Zuñiga vbi supra docent rationem personæ, seu personam significatam nomine *persona*, non esse quidditatiuè, seu quasi essentialiter communem tribus Diuinis Personis, vt significatis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed tantum denominatiuè, & accidentaliter.

Probari autem potest; quia vt dicemus disp. 4. dif. 4. ratio personæ in Diuinis formaliter est absoluta, & non relatiua, nec abstrahens ab absoluto, & relatiuo; quia personalitates, quibus ratio communis personę contrahitur ad tres personas sunt absolutæ, quia relatio, vt relatio nõ est personalitas, sed relatio absolutè concepta, vt subsistentia: ergo personalitas Diuina in communi, non prędicatur quidditatiuè; verbi gratia, de Paternitate, vt isto nomine significatur, sed denominatiuè, & accidentaliter: ergo etiam persona Diuina in concreto in communi, non dicitur quidditatiuè de Patre in concreto, sed tantum denominatiuè, quòd autem relatio, vt relatio non sit personalitas, sed vt absolutè concepta, significat Augustinus 7. de Trinitate c. 6. dum ait; *Personam non ad aliud, sed ad se significari.* Quòd intelligit formaliter, quòd nos latius dicemus vbi supra.

Caietanus vero, Arrubal, Alarcon, & Perez vbi supra, docent rationem personæ Diuinæ esse quidditatiue, seu quasi essentialiter communem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, vt significatis his nominibus relatiuis, & non denominatiuè, seu accidentaliter, & meri

to,

to: quia persona diuina, seu ratio personæ diuinæ est intrinseca, & cõmunis Patri & Filio, & Spiritui sancto sic significatis: ergo persona diuina, seu ratio personæ diuinæ incommuni est intrinsecè, seu quidditatiuè communis Patri, & Filio, & Spiritui sancto sic significatis, cõsequẽtia patet, antecedẽs autem, nempè quod persona diuina sit eis intrinseca, & communis probatur. & in primis quod sit eis intrinseca; quia persona, seu ratio personę est intrinsecè inclusa in Patre, & Filio, & Spiritui sancto sic significatis, quia Pater v.g. nostro modo cõcipiẽdi intrinsecè coalescit ex sua persona, quãuis nostro modo cõcipiẽdi formaliter absoluta, quę vt sic genuit Filiũ, & ex paternitate nostro modo cõcipiẽdi superaddita, & superueniẽte ipsi personæ absolutæ Patris posi generationẽ posterioritate rationis: deinde quod persona diuina sit cõmunis Patri, Filio, & Spiritui sancto sic significatis: probatur, quia vt iamvidim⁹ persona diuina est cõmunis trib⁹ personis diuinis in particulari, Pater autẽ, v.g. intrinsecè coalescit nostro modo cõcipiẽdi ex sua persona absoluta, quæ vt sic generat, & ex paternitate nostro modo cõcipiẽdi orta ex ipsa persona, vt generãte ea proportione, qua hic Pater creat⁹ intrinsecè coalescit re ipsa physicè ex sua persona si hęc generat, aut ex natura si hæc sola generat, & ex paternitate creata ipsi personę, aut naturæ generãti superueniẽte: ergo persona diuina est cõmunis Patri incõcreto, quamuis non Patri adæquatè; quia tãtum est communis personæ particulari, & nõ toti coalescenti ex persona, & ex paternitate; quia nõ est cõmunis paternitati, imò nec toti personæ particulari; quia nõ est cõmunis deitati, si ergo persona diuina est intrinseca tribus diuinis personis significatis nominibus Patris & Filij, & Spiritus sancti, & eis cõmunis, quamuis nõ adæquatè, vt explicatum est, erit quidditatiuè, seu intrinsecè communis Patri, & Filio, & Spiritui sancto sic significatis, ea proportione qua corpus in communi est intrinsecũ, & commune intrinsecè huic albo, & huic nigro significatis his nominib⁹; quia hoc albũ v.g. intrinsecè includit corpus particulare, & albedinem, & corpus in communi est commune corpori incluso in albo, & corpori incluso in nigro, & quia persona Patris diuini, est materiale ipsius Patris, & paternitas est formale, ideò hæc propositio, Pater est persona est formaliter indirecta, identicè verò & materialiter est directa; quia personalitas idẽticè identitate adæquata est paternitas, sicut hęc est directa formaliter persona Patris est persona.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus concedẽdo personalitates diuinas non esse formaliter relatiuas, nisi tantũ idẽticè idẽtitate adæquata, sed esse absolutas, id tamen nõ tollit personalitates & personas diuinas v.g personalitatẽ Patris, & personam Patris esse in-

intrinſecas Patri, vt potè intrinſecè coalescenti, quaſi phyſicè noſtro modo concipiendi ex ſua perſona, tāquam ex materiali, & ex relatione paternitatis, tāquam ex formali, vt ſuppoſuim⁹ in probatione noſtræ ſententiæ; nec tollit per onam diuinam in communi eſſe Patri & Filio, & Spiritui ſancto noſtro modo concipiendi quidditatiuè communē, nō adæquatè, ſed in adæquatè modo ſupra dicto ea proportione, qua huic Patri creato ſua ſingularis perſona eſt intrinſeca ſi ea generat, & perſona creata in communi ſit ei intrinſeca, & intriſecè, ſeu quidditatiuè noſtro modo concipiendi communis ipſi, & ſuo Filio, & alij Patri non adęquatè, ſed inadæquatè.

Ex dictis cōſtat rationem perſonę in diuinis eſſe cōmunē quidditatiuè tribus perſonis, & nō ſolū ſignificatis nominibus perſonalibus, ſed etiā nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus Sācti, ac proinde non ſolū hanc propoſitionē, *hæc perſona Patris eſt perſona*, quæ eſt directa, ſed etiam hāc *Pater eſt perſona*, quāuis formaliter ſit indirecta; quia prædicatum, nempè perſona nō ſignificatur directè nomine Patris. Et ob eandem rationem, hæc propoſitio Deus eſt perſona, quamuis ſit indirecta; quia perſonalitas non ſignificatur directè nomine Dei, eſt tamen intrinſeca; quia Deus intrinſecè conſtat perſonalitate, ſicut hæc propoſitio homo eſt perſona, quamuis ſit indirecta; quia perſonalitas non ſignificatur directè nomine *homo*, eſt tamē intrinſeca; quia perſonalitas eſt intrinſeca homini, hæc verò propoſitio Pater eſt Deus, & hæc perſona Patris eſt Deus, quamuis etiam ſint indirectæ ob rationem repetitam, ſunt tamen intrinſecę; quia Pater, & perſona Patris, quamuis indirectè, ſeu connotatiuè intrinſecè tamen conſtat ex Deitate, & ob eamdem rationem, hæc propoſitio perſona Patris eſt homo, quamuis ſit indirecta eſt tamen intrinſeca.

Ad rationem verò pro poſteriori parte opinionis, quam inſinuant Durand. & Henricus. Reſpondemus in definitione perſonæ particulam *indiuidua*, idem eſſe quod particula *incommunicabilis*, & non idem quod ſingularis, ratio autem incommunicabilis, non eſt ſecunda intentio, ſeu ens rationis, ſed eſt realis: imò etiam indiuiduatio, & ſingularitas in entibus realibus, eſt verè realis.

Addimus vt optimè Suar. Zuñig. & alij contra Ruiz, Alarc. & alios dictam rationem perſonæ quidditatiuè communem tribus diuinis perſonis, nomine perſonarum ſignificatis, eſſe vniuocè, & non analogicè communem illis; quia eſt vna in illis, & ab eis abſtracta, & non incluſa in vltimis differentijs earum. Et ob eamdem rationem exiſtimamus rationem communem relationis increatæ eſſe com-

communem quidditatiuè, vniuocè tribus relationibus increatis, & rationem communem personalitatis increatæ tribus personalitatibus increatis: quia eadem currit ratio ac in ratione communi personæ increatæ respectu trium personarum increatarum.

Eo autem ipso quod ratio personæ est communis, & vniuocè tribus personis Diuinis est verè vniuersalis ipsis non in toto rigore; quia non est communis complete ad inferiora complete; quia ratio illa tantum est communis ratione personalitatis, & non ratione Deitatis, seu essentiæ, nec ipsæ personæ sunt inferiores complete; quia non sunt inferiores, quoad deitatem, seu essentiam; quia in tribus Diuinis personis tantum est vna Deitas, seu natura, est tamen quasi vniuersalis; quia ei non deficit vnitas ipsius rationis communis, & sufficiens communitas, & abstractio à suis inferioribus, ratio verò personalitatis, & etiam relationis est in rigore vniuersalis; quia tâm vna, quàm altera est completè vniuersalis ad sua inferiora, & sua proportione ratio personæ Diuinę est communis vniuocè Patri, & Filio, & Spiritui Sancto sic significatis, & eis vniuersalis; quia si eis sic significatis est communis, & vniuersalis est; quia est communis, & vniuersalis ipsis personis nominibus personarum significatis in Patre, Filio, & Spiritu Sancto inclusis: est tamen eis magis inadæquatè communis, & vniuersalis, quam eisdem personis nominibus personarū significatis; quia desinit esse communis, & vniuersalis adæquatè Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ratione, non solùm Deitatis, ratione cuius etiam non est communis, & vniuersalis ipsis nomine personarum significatis, sed etiam desinit esse illis communis ratione relationum, vt patet.

Est autem ratio personę Diuinę vniuersalis tribus personis diuinis sic significatis, & etiam nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non vniuersalitate speciei ad indiuidua, sed generis ad species; quia personalitates diuinæ differunt specie, vel quasi specie; quia sunt diuersæ rationis, non minus, quam albedo, & nigredo, & quam homo, & equus, est tamē vniuersalis vniuersalitate ad species nō prædicabiles, sed subijcibiles; quia personæ diuinę non habēt in diuidua de quibus prædicentur, sed rationem communem cui subijciantur. Ratio verò personæ in communi comparatione personarum diuinarum, & personarum creatarum, & etiam ratio relationis in communi comparatione relationum Diuinarum, & relationum creatarum, non est æquiuoca, neq; vniuoca, sed est analoga analogia attributionis ea proportione, qua ens est tale comparatione entis

tis creati, vt dixim. tract. de Analog. dif. 3. de quo videri potest Ruiz sect. 3.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in Deo sint tres personæ realiter distinctæ?

NON solum gentiles, & Pagani, & recentiores Iudæi, pluralitatẽ personarum in Deo negarunt, sed etiã innumeri hæretici, quos referunt Vaz. disp. 108. Suar. lib. 1. de Trinit. c. 2. Ruiz disp. 19. & Alarcon disp. 1.

Veritas tamen Catholica est, in Deo esse tres personas realiter distinctas, nempè Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ita habetur in Symbolo Niceno, & in Symbolo Athanasij, & in Symbolis generalibus post Nicenum, & id est à Sanctis Patribus frequenter traditum, & in veteri testamento insinuatum, & in nouo expressum.

Quia verò gentiles, & pagani contra quos etiam procedendũ est, nullo ex adductis fundamentis conuinci possunt; quia nulli eorum fidem adhibent, nec ratione naturali; quia veritas hæc est omnino supernaturalis, ideò contra eos procedendum est, prius generaliter ostendendo Fidem Christianam esse euidenter credibilem vt credendam, secundum prudentem rationem, vt nos diximus tract. de fide disp. 3. dif. 4. & postea ostendendo dictam veritatem in doctrina Fidei Christianæ contineri.

Contra Iudæos verò, qui nullum fundamentum ex prædictis admittunt, nisi scripturam veterem, ex ea procedendum est, & dicta veritas probanda.

Et in primis cõtra eos ostẽdenda est pluralitas personarum, hæc autem efficaciter probatur ex illo Ps. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti iustitiã, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, in quibus verbis manifestè dicitur esse *Deum vnctum à Deo suo*, quòd nequit esse absq; pluralitate personarum, eis autem verbis vtitur Paulus ad Hæbreos 1. Ad probandum Christum esse Deum. Et id non leuiter deducitur ex illo Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: Quibus verbis vsus est Christus, Matthæi 22. Ad probandum ipsum esse Deum; Quòd fuit ita efficax contra eos Iudæos, quibus loquebatur Christus, vt non potuerint Verbum respondere, in quibus verbis non leuiter ostenditur

pluralitas personarum; quia dicitur: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*: Quòd intelligi nequit absque pluralitate personarum. Deinde eadem veritas deducitur ex illo Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*; quia vbi est Deus Filius, etiã est Deus Pater, quo Paulus etiam vtitur ad probandum Christum esse Filiũ Dei, & Deum.

Trinitas verò personarum, nequit ex scriptura veteri efficaciter probari; quia ex illo Gen. 1. *In principio creauit Deus*, vsq; ad illud: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, ex quo Aug. de Genesi ad literam c. 1. Origin. & Ruper. in eum locum deducunt mysterium Trinitatis; quia per Deum intelligunt Patrem, & per principium intelligunt Verbum, seu Filium, & per spiritum intelligunt Spiritum Sãctum, non deducitur efficaciter; quia plures ex patribus, per principium intelligunt initium temporis, & per spiritum intelligunt aërem, sed quamuis ex scriptura veteri non deducatur efficaciter Trinitas personarum, insinuatur tamen in illo Deuthe. 6. *Audi Israel Dominus Deus nõster, Deus vnus est*, vbi in Hæbreo pro voce illa *Dominus* ponitur nomen ineffabile: & etiam insinuatur in illo Psalm. 67. *Benedicat nos Deus Deus noster benedicat nos Deus*; quia ea trina repetitione vocis *Deus* insinuatur Trinitas, & ex ea nõnulli Rabini Trinitatem deduxerunt; vt refert Galatinus lib 2. de Arcanis c. 9. in nomine etiam Iehoua posito Genes. 1. Trinitatem insinuari ostendit Vazq. c. 3.

Contra hæreticos verò, quia scripturæ veteri, & nouæ fidem adhibent ex vtraq; efficatius, quàm contra Iudæus, pluralitas personarum ostenditur, tum ex testimonijs Psalmorum 44. & 109. & 2. supra adductis; quia contra hæreticos specialem habent vim; quia in nouo testamento, cui ipsi etiam credunt ad id probandũ adducũtur, vt iam diximus tum etiam ex nouo testamento, in quo manifestè cõtinetur in Deo esse Patrem & Filium; quia Ioan. 5. dicitur in Deo esse Patrem, & Filium; quia ibi dicitur: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & Filio vitam habere in semetipso*, & Ioa. 1. *vnigenitus qui est in sinu Patris ipse enarrauit.*

Et non solum pluralitas, sed etiam Trinitas personarum ex nouo testamento contra hæreticos manifestè deducitur ex illo Matth. vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ex illo 1. Ioan. 5: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*, Et ex illo Ioan. 5. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis; qui a Patre procedit.* Vbi non tantum nominantur tres, sed etiam eorum distinctio ostenditur; quia quando Spiritus Sanctus dicitur mi-

mittendus à Patre, & à Filio oſtēditur diſtinctio Filij à Patre; quia ibi denotatur filium accepiſſe virtutē mittendi à Patre, ſicut & Spiritū di, quam per generationem accepit.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ſit diſcrimen aliquod inter voces hypoſtaſis, & vſia?

VOx *vſia* abſq; controuerſia ſemper ſignicauit ſubſtantiam, ſeu eſſentiam ſubſtantialem.

Circa vocem verò *hypoſtaſis* olim à tempore Cōſtantini, orta fuit controuerſia, an idem omnino ſignificaret quod vox *vſia*.

Circa quam Patres Latini antiquitus exiſtimarunt dictam vocem *hypoſtaſis*, idem omnino ſignificare quod vox *vſia*, nempè ſubſtantiā, ſeu eſſentiam ſubſtantialem, ita Hier Ep. 57. & Aug. 1. de Trin. c. 8. & ex Græcis Paulus Epiſ. Theſalonicen. & Athan. Epiſt. ad Epiſcop. in Africa, vt refert Vaz. diſp. 124. c. 3.

Poſtea verò non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos conſtitutum eſt diſcrimen inter duas dictas voces, quod *hydoſtaſis* ſignificet ſuppoſitum, *vſia* verò naturam, & eſſentiam vti ſemper ſignificauit, vt conſtat ex patribus, & concilijs relatis à Vazq. c. 4. quo circa dictum diſcrimen, ita vſu Eccleſiaſtico receptum eſt, vt iam nullus aliter vſurpet dictas duas voces.

Vox etiam *ſubſtantia*, quę antiquitus â nonnullis pro eſſentia, & ab alijs pro ſubſiſtentia vſurpabatur, iam vſu Eccleſiaſtico accommodata eſt ad ſignificandam eſſentiam, ſeu naturam ſubſtantialem, vt conſtat ex Concilio Toletano 11. in confeſsione fidei: & hanc conſuetudinem in Eccleſia invaluiſſe, teſtatur Auguſtinus 5. de Trinitate capit. 9. & lib. 6. capit. 4. ex quibus conſtat hypoſtaſim in natura intellectuali, ſicut ſuppoſitum in eadem, idem eſſe quod perſonam, vt docet S. Thomas q 29 ar. 2. in quo etiam conueniunt reliqui Theologi.

DIFFICVLTAS VII.

Quot sint in Deo subsistentiæ?

NOmine subsistentiæ intelligunt Scholastici, non suppositum, quòd subsistit, & dicitur subsistens (vt intellexerunt Concilia & Patres non distinguentes inter concretum, & abstractum) sed rationem subsistendi, per quam suppositum formaliter constituitur, & substantia fit incommunicabilis, & de subsistentia, vt sic procedit hæc difficultas, quid autem sit subsistentia, seu suppositalitas, & quid addat supra naturam substantialem dixim. Tract. de Incarn. disp. 4.

Circa difficultatem ergo Sco. & Dur. in 3. d. 1. q. 2. & Capr q. 1. ar. 3. Argen in 1. d. 1. 26. q. 1. & alij docent in Deo tantum esse vnam subsistentiam absolutam re ipsa communem tribus personis, & præter eam nō esse aliquam relatiuam; quia relationes appellant personalitates, vel modos incommunicabilitatis, quibus natura diuina contrahitur ad esse personæ.

Opinio hæc deduci videtur ex Aug. 7. de Trin. c. 4. dum ait, Deum ad se subsistere non ad aliud, sentit ergo subsistere in Deo esse absolutum, & non relatiuum Et ratione probatur; quia subsistere est perfectio simpliciter simplex; quia melius est naturæ diuinæ subsistere, quam non subsistere; nulla autem relatio est perfectio simpliciter simplex; tum quia quælibet perfectio simpliciter simplex est de cō ceptu essentiæ; quia hæc est infinitè perfecta, relatio autem non est de conceptu essentiæ, tum etiam, quia alias cuilibet personæ Diuinæ deficeret aliqua perfectio simpliciter simplex; quia cuilibet deficit aliqua ratio imo Patri, & Filio deficit duplex, & Spiritui Sancto triplex: ergo subsistere in Deo non est relatio, sed quid absolutum.

Caiet. q. 29. ar. 4. Miranda in summa conciliorum in annotation. ad 6. Synodum ar. 11. Suarez lib. 4. de Trinitate cap. 11. Bellarminus libr. 2. de Christo, capitulo 11. Granadus disputa. 5. docent in Deo esse tres subsistentias relatiuas, quibus tres diuinæ personæ cōstituuntur & distinguuntur, & aliam quartam absolutam conuenientem tribus personis.

Et in primis in Deo esse tres subsistentias relatiuas, quas nos etiam admittimus, statim probabitur cum nostram sententiam probemus.

Et

Et præter èàs etiam eſſe aliam abſolutam tribus perſonis conuenientem, ſignificare videntur Agatho Papa in Epiſt. 2. quæ habetur in 6. Synodo, actione 4. dum ait confitemur trium ſubſiſtentiarum, ſeu perſonarum vnam eſſe ſubſiſtentiam, & Hilarius 7. de Trinitate in fine dum ait, vt ſubſiſtentiæ naturæ habeant perfectam vnitatem, & Hieronymus Epiſtola 67. dum ait vna eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt, id enim quod ſubſiſtit non habet aliunde, ſed ſuum eſt.

Et id ratione probatur; quia neceſſarium eſt fateri vnum Deũ in concreto præintellectum tribus perſonis, & eis commun. m, quĩ dicitur creans, & prædeſtinans, ſed Deus in concreto connotat ſubſiſtentiam: ergo neceſſarium eſt concedere vnam ſubſiſtentiam præintellectam tribus perſonis, & eis re ipſa communem, & abſolutam.

Recentiores, qui hanc ſententiam Caietani ſequuntur, ita eam explicant, vt dicta ſubſiſtentia abſoluta, & præintellecta tribus Diuinis Perſonis, nihil aliud ſit quam exiſtentia Diuinæ naturę, vel quatenus ita perfecta eſt, vt per eam natura Diuina exiſtat per ſe, id eſt, non exigens alio diſtincto à ſe, vt perfectè exiſtat, vt quibuſdam eorum placet: vel quatenus ita perfecta eſt, vt natura Diuina per eam exiſtens, nequit vniri alieno ſuppoſito, vt alijs eorum placet: Omnes tamen iſti recentiores conueniunt eam ſubſiſtentiam non eſſe perſonalitatem; quia non reddit naturam Diuinam incommunicabilem, ſed eam relinquit communicabilem tribus perſonis.

Alexander verò 1. par. q. 57. Memb. 1. Bonau. in 1. d 23. ar. 2. q. 1. & 2. Vazquez diſpu. 125. cap. 3. Arrubal diſput. 109. Lorca 3. parte, diſp. 14. Beccanus cap. 3. q. 9. Mæratius diſp. 54. Turrian. diſpu. 10. dub. 3. Ruiz diſp. 34. Zuniga diſp. 5. dub. 9. & 10. & Alarcon diſp. 4. cap. 4. docent & merito in Deo eſſe tres ſubſiſtentias relatiuas, & nullam abſolutam.

Et in primis in Deo eſſe tres ſubſiſtentias relatiuas tradunt Cõci. Florent. in litteris vnionis poſt medium, Agatho Papa vbi ſupra, & alia cõcilia, & Patres quos refert Ruiz, dum abſolute admittunt in Deo eſſe tres ſubſiſtentias.

Et ratione probatur primò, quia apud Concilia, & Patres ſubſiſtentia (quam concretè vſurpant, nempe pro ſubſiſtente) idem eſt apud Latinos quod ſuppoſitum, & apud Græcos idẽ quod hypoſtaſis, ſed in Deo ſunt tria ſuppoſita, & tres hypoſtaſes relationibus cõſtitutæ: ergo iuxta phraſim Conciliorum, & Patrum debent in Deo, admitti tres ſubſiſtentiæ.

Secundò probatur, quia si in Deo non essent tres subsistentiæ relatiuę, sed vna tantum absoluta re ipsa communis tribus personis humanitas Christi vnita fuisset tribus Diuinis personis; quia humanitas Christi subsistit non propria subsistētia sed diuina: ergo si hęc est absoluta, & communis tribus diuinis personis, ratione illius, vt potè termini communis tribus personis, humanitas Christi esset vnita tribus personis.

Deinde quod in Deo prętер dictas tres subsistentias relatiuas, nulla alia absoluta reperiatur, probatur primo, quia admittere vnā subsistētiam absolutam in Deo aduersatur modo loquendi Cōcilio rum & Patrum: ergo non est admittenda, antecedens probatur; quia postquam cōtrouersia de voce *hypostasis*, fuit definita in Ecclesia, vt significaret suppositum coalescēs ex subsantia, & ex subsistentia, & hæc vera eius significatio fuit explicata & manifesta, Cōcilia & Patres, ita docuerūt in Deo esse tres hypostases, vt absq; dubio notaretur, qui prætер tres hypostases relatiuas, etiam admitteret vnam absolutam, sed Latinis idem est subsistentia (subintellige in concreto sumpta videlicet pro subsistente) quòd Græcis hypostasis, vt constat ex Concilio Lateranensi consultatione 5. Canone 1. & ex Maxentio in sua confessione Fidei, quæ habetur quinto tomo Bibliothecę Patrum, vbi fatetur idem esse Personam, & subsistentiā (subintellige in concreto, & in natura rationali intellectuali) & etiam ex vsu Ecclesiæ, â qua vox subsistentia est ad id significandum accōmodata post definitionem dictę controuersiæ. Et sanè postquam hęc controuersia composita fuit, nullus ex Patribus, tàm Latinis, quàm Græcis concesit absolutam aliquam subsistentiam, seu hypostasim; quia Hieronymus, & Augustinus, qui eam concesserunt id fecerunt ante dictæ controuersiæ compositionem, & antequam significatio vocis hypostasis esset satis nota; quia existimabant hypostasim, & subsistentiam idem esse, ac substantiam, & ideo ita admittebant vnam, vt non auderent admittere tres, quod si iam iuxta phrasim Conciliorum, & Patrum, non est admittenda vna hypostasis absoluta, nec vna subsistentia concretè, sumpta pro subsistente, qua ratione sumitur à Concilijs, & Patribus, nec admittenda est vna subsistentia absoluta abstractè sumpta pro forma videlicet cōstitutiua ipsius subsistentis, seu suppositi, vt sumitur ab scholasticis; quia si ea admitteretur, etiam esset admittendum vnū subsistens, seu suppositum.

Secundò probatur, quia existentia diuina prout ratione distincta à relatione, nō facit essentiam, seu naturam diuinā *esse per se*, quate-

tenus esse per se opponitur, nō tantum existētiæ in alio, vt in subiecto, sed etiam vt in suppositō; quia existētia vt sic nō determinat essentiam, vt sit in suppositō; quia adhuc relinquit illam aptam, vt sit in suppositis diuinis, & ipsis communicetur: ergo nō est subsistētia; quia subsistentia vt sumitur ab Scholasticis, aut est existentia per se, aut potius perfectas in existendo quatenus per se, aut perfectas opponuntur modo existentiæ in alio, aut potius modo existendi in alio, non tantum vt in subiecto, sed etiam vt in suppositō, aliàs existentia substantiæ creatæ, verbi gratia, humanitatis esset subsistentia, quod est falsum; quia quamuis humanitas in Christo habuerit existentiam propriam, dici tamen non potest habuisse propriam subsistentiam. Quòd autem Essentia Diuina, prout præcisa à relatione sit incommunicabilis alieno suppositō creato, non sufficit vt dicatur subsistere; quia Essentia Diuina in abstracto, qua ratione præcisa est ab eo, quòd potest dici subsistentia cum qua secundū aduersarios constituit concretum, nempè subsistens, eo ipso quod est infinita verè est incommunicabilis suppositō creato, & ab eo independens.

Ad testimonium ergo Aug. pro opinione Scoti adductum respondemus, vt optimè Vaz. c. 5. Aug ibi non sumpsisse subsistere pro actu subsistentiæ, vt sumitur ab scholasticis, sed pro actu substantiç, (quem possumus existentiam substantialem appellare) vt cōstat ex cōtextu, & nūquam vsum fuisse voce subsistentia, sed semper vocē hypostasis interpretatum fuisse non subsistentiam, sed substantiam sicut Hieronym. Ep. illa 57. vnde Augustinus vbi supra, tantum voluit substantiam Dei, seu eius existentiam esse absolutam, & non relatiuam.

Ad rationem verò pro eadem opinione Scoti, respondemus subsistere, seu subsistentiam esse perfectionem simpliciter simplicem, negamus tamen relationem non esse perfectionem simpliciter simplicem Essentiæ Diuinæ, quia verè est talis, vt dixim. disp. 2. diffi. 11. quia essentiç melior est relatio, quam non relatio. Et ad priorem probationem concedimus relationem, non esse de conceptu essentiæ, id tamen non est necessarium relationi, vt sit perfectio simpliciter simplex; quia ei sufficit quod ei nostro modo concipiendi adueniat; quia essentia Diuina, vt præcisa ab attributis, & à relationibus non est formaliter simpliciter infinita, sed tantum radicaliter, est tamen formaliter infinita, non simpliciter, sed tantum in esse essentiæ, seu naturæ. Et ad posteriorem probationem fatemur cuilibet Diuinç personæ deficere aliquas perfectiones simpliciter simplices, sed quæ non sunt re ipsa perfectiones, sed tantum nostro

modo concipiendi; & non sunt absolutæ, sed relatiuæ, in quo nullũ est inconueniens, vt dixim. disp. 2. dif. 11.

Ad testimonium verò Agathonis pro opinione Caie. adductum respondent Vaz. & Ruiz, & bene non esse legendum trium subsistentiarum seu personarum vnam subsistentiam, sed vnam substantiam, vt in pluribus exemplaribus legitur: & sane incredibile est Agathonem, in tam breui oratione vsum fuisse, eadem voce subsistentia, in tam diuerso significato, seu sensu.

Ad Hilarium etiam respondent, & bene eum tantum dixisse naturam Diuinam subsistere, quòd negari non potest, sed non subsistit subsistentia absoluta, quæ non sit eadem adequatè cum relatione; quia nihil est in Deo absolutum, nonidentificatum adæquatè cũ relatione, quo posit omnino per se, & incommunicabiliter existere; quia quodcunq; absolutum non sic identificatum cum relatione communicatur tribus Diuinis personis.

Ad Hieronymum verò respondemus prædictis verbis tantum significare naturam Diuinam subsistere à se (in quo differt à natura creata) sed non subsistentia absoluta communi tribus personis Diuinis, sed tantum subsistentijs relatiuis, seu adæquatè identificatis cum relationibus.

Et ad rationem respondemus concedendo, admittendum esse Deum in concreto, præintellectum tribus Diuinis personis, qui dicitur Deus, & hic Deus. Hoc tamen concretum Deitatis, non connotat subsistentiam absolutam re ipsa communem tribus personis, sed ratione nostra illis communem, vt abstrahit ratione nostra à tribus subsistentijs dicto modo relatiuis, & ita Deus, & hic Deus præintelligitur tribus Diuinis personis ea prioritate, qua vniuersale præintelligitur inferioribus à quibus abstrahitur, vt dicemus disp. 11. diffic. 3.

DIFFICVLTAS VIII

Quot sint in Deo existentiæ?

SVpponimus existentiam rei, esse essentiam ipsam actu in rerum natura re ipsa indistinctam ab ipsa essentia, vt dixim. tract. de Incarnat. disp. 12. dif. 1.

Hoc supposito negari non potest in Deo, esse vnam existentiam absolutam communem tribus personis, qua Diuinitas absolutè existit; quia Diuinitas, vt præcisa à relationibus est ens absolutum actu

in

in rerum natura: ergo exiſtens exiſtentia abſoluta ratione diſtincta à relationibus.

Eſt tamen difficultas, an præter dictam exiſtentiam abſolutam, etiam ſint in Deo admittendæ tres exiſtentiæ relatiuę.

Caietan. 1. par. q. 28. art. 2. Vazquez diſp. 126. Beccanus cap. 3. ſect 8. Turrian. diſp. 10. dub 4. Mærat. diſp. 54. ſect. 2. Ruiz diſpu. 25. ſect 3. Granad. Tract. 5. diſp. 1. ſect. 3. docent in Deo præter exiſtentiam abſolutam re ipſa communem tribus perſonis, non eſſe admittendas tres exiſtentias relatiuas, quibus fauere videntur Auguſtin. 7. de Trinitate cap. 4. dum docuit ſubſiſtere in Deo eſſe abſolutum, ſubſiſtere autem apud Auguſtin. nihil aliud videtur eſſe quam exiſtere ſubſtantiale, & maximè videtur fauere Damaſcen. lib. 1. de fide cap. 11. & lib. 3. c. 5. dum perſonalitatem Diuinam appellat exiſtentiæ modum.

Et ratione probatur; quia ſubſiſtentia in rebus creatis non eſt exiſtentia, ſed modus exiſtentiæ; quia eſt terminus, ſeu modus ſubſtantiæ ſicut in hæſio eſt modus exiſtentię accidentis, vt diximus tractatu de Incarnatione diſp. 4. difficul. 5. eſt enim ſubſiſtentia creata, perfectas à qua ſubſtantia, quæ ex ſua entitate exiſtit dicitur per ſe exiſtere, exiſtentia autem non terminatur alia exiſtentia, ſed modo quodam ipſi exiſtentiæ ſuperaddito: ergo etiam relatio diuina, quæ in Deo eſt ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas, quamuis ſit entitas actualis nõ eſt exiſtentia, ſed modus exiſtentiæ; quia etiam eſt terminus, ſeu quaſi modus exiſtentiæ Diuinæ.

Medi. verò 3. p. q. 17. ar. 2. Zum. 1. p. q. 28. q. 4. lib. 3. c. 5. Arrubal diſp. 104. c. 3. & Perez diſp. 12. ſect. 2. docent & merito in Deo præter dictam exiſtentiam abſolutam re ipſa communem tribus perſonis, etiam eſſe admittendas alias tres exiſtentias relatiuas, cui fauere videntur Scot. in 1. d. 11. q. 2. & Richard. de Mediavilla in 3. d. 1. art. 1. q. 2. ad 1.

Et ratione probatur; quia exiſtentia nihil aliud eſt, quam entitas actualis, & ſiquid amplius eſt, ad ſummum eſt entitas actualis, talis, quæ non adueniat exiſtentiæ eam modificans, ſed in Deo re ipſa non tantum eſt vna entitas actualis abſoluta, ſed etiam ſunt aliæ tres entitates actuales relatiuę re ipſa inter ſe diſtinctæ, quamuis ſola ratione ab entitate actuali abſoluta, & tales quę re ipſa non adueniunt exiſtentiæ abſolutæ, nec eam re ipſa modificantur, quia ab ea non diſtinguuntur re ipſa, etiam ſi noſtro modo concipiendi apprehendantur ei aduenire, & eam modificari: ergo in Deo re ipſa non tantum eſt vna exiſtentia abſoluta, ſed etiam ſunt aliæ tres relatiuę; quia ex eo, quod à nobis apprehendantur modificari exiſtentiam ab ſo-

ſolutam, & ei aduenire nō fiunt re ipſa modi illius, nec re ipſa deſinunt eſſe res perfectiſsimæ actuales.

Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum, quòd ſcilicet, quāuis ſubſiſtētia creata nō ſit exiſtentia; quia re ipſa eſt terminus, & modus exiſtentiæ creatę, ſubſiſtentia tamē diuina; quia re ipſa nō eſt terminus exiſtentię diuinę, nec eam modificatur, & aliàs eſt entitas actualis, ideo eſt vera exiſtentia realis.

Ita tamen in Deo ſunt tres exiſtentiæ, vt ſimpliciter, & abſolutè non ſint dicendæ *tres*, niſi cum addito *relatiuæ*, vt aduertit Suarez; quia ex communi modo, & vſu loquendi eſſe, ſeu exiſtentia ſimpliciter ſumitur pro eſſe, ſeu exiſtentia naturæ, ſeu eſſentię; & quia iſtud in Deo tantum eſt vnum, ideò in Deo abſolutè, & ſimpliciter tantum eſt vna exiſtentia, ſeu vnum eſſe, & ita loquitur Aug. dum ait in Deo vnum tantum *eſſe*, & abſolutum, tria verò non ſunt concedenda, niſi cum addito *relatiua*; præcipuè; quia in Deo relationes, prout à nobis concipiuntur diſtingui ab eſſentia; apprehendūtur à nobis, non vt exiſtentiæ, ſed vt modi Eſſentiæ, ſeu naturæ, & vt ſic conceptę, & diſtinctæ dicuntur à Damaſceno modi exiſtentiæ, quamuis re ipſa non ſint modi, ſed tantum noſtro modo concipiendi.

DIFFICVLTAS IX.

Quot ſint in Deo durationes?

NEgari non poteſt in Deo eſſe vnam durationem abſolutam, quia eſſentia diuina durat, eſt tamen difficultas, an etiam ſint tres durationes relatiuæ.

Vaz. diſp. 126. c. 3. Turr. diſp. 10. dub. 5. Beccan. c. 3. q. 8. Mcratius diſp. 54. Gran. tract. 5. diſp. 1. Ruiz diſp. 27. ſect. 2. docent præter eā durationem abſolutam non eſſe tres durationes relatiuas, probari autem poteſt, primo ab abſurdo; quia ſi in Deo eſſent tres durationes relatiuæ, etiam eſſent in Deo tres æternitates; quia quælibet earum durationum eſſet abſq; principio, & fine, & ab intrinſeco indefectibilis, in quibus conſiſtit tota ratio æternitatis, conſequens autem eſt contra illud Symboli Athanaſij: *Non tres æterni, ſed vnus æternus*: Non adiectiuè, ſed ſubſtantiuè, iuxta communem ſenſum Eccleſię, id eſt, non tribus æternitatibus, ſed vna tantum æternitate.

Secundò probatur à priori; quia duratio eſt exiſtentia rei perſeuerans

rans, ſed in Deo tantum eſt vna exiſtẽtia, & hæc abſoluta, & nõ tres, relatiuæ: ergo in Deo eſt vna tantum duratio, & hæc abſoluta, & non tres relatiuæ.

Suarez verò lib 3. de Trinitate c. 11. Arrubal diſp. 104. c. 4. Zuſniga diſp. 511. & Per. diſp. 11. ſect. vlt. docent in Deo eſſe etiam tres durationes relatiuas, & merito, quia duratio rei nihil aliud eſt, quam exiſtentia rei perſeuerans, ſeu cõtinuata, ſed vt dixim difficult. præcedente in Deo præter exiſtentiam eſſentię abſolutã, quę verè perſeuerat, ſunt etiam aliæ tres relatiuæ, quæ etiam verè perſeuerant: ergo præter durationem abſolutam eſſentiæ, ſunt etiam aliæ tres relationum Diuinarum, ex quo conſtat ad rationem poſteriorem aduerſariorum; quia quod in minore illius aſſumitur conſtat eſſe falſum.

Ad priorem verò rationem deſumptam ab abſurdo reſpondemus eas tres durationes relatiuas potuiſſe optimè dici tres æternitates relatiuas, & ſic dici ab aliquibus recentioribus, vt referunt Turrianus, & Ruiz: nos tamen nollumus à communi vſu Theologorum diſcedere, qui ſolum durationem abſolutam eſſentiæ appellant æternitatem, & non durationes relatiuas; quia ea ſola eſt omni modo infinita, nempè ratione ſui, & ratione identitatis cum tribus durationibus relatiuis, quòd nulli durationi relatiuæ conuenit; quia nulla earum eſt eadem cum alijs duabus relatiuis; Quamuis ergo in Deo admittantur, & ſint tres durationes Diuinæ relatiuæ, quarum quælibet eſt abſque principio, & fine, & ab intrinſeco indefectibilis, non tamen dicuntur æternitates; quia Theologi vſi non ſunt nomine æternitatis, niſi ad ſignificandam durationem abſolutam eſſentiæ; quia ea ſola eſt infinita formaliter, ſeu ratione ſui, & identicè, & in eo ſenſu ſumitur ab Athanaſio in ſuo Symbolo, vbi vnam tantum admittit æternitatem, & forſam ob id Theologi, non extenderunt nomen *æternitas*, niſi ad durationem abſolutam Eſſentiæ Diuinę.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA.

De proprietatibus personalibus diuinarum personarum.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Diuinis personis sint proprietates personales, quibus constituantur, & mutuo distinguantur?

PRæpositiuus vt refert Sanctus Thomas q. 32. art. 2. & q. 40. ar. 1. Assereuat in Diuinis personis nullas esse proprietates personales, quibus constituantur, & distinguantur, sed se ipsis distingui, & nullo modo constitui, præpositiuum postea sequutus est Gregor. in 1. d. 26. & 27. q vltima art. 2. id autem probat Greg. 1. ex cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, vbi dicitur: *Patrem totam suam substantiam dedisse Filio*, si autem in Patre esset proprietas aliqua, quæ non esset in Filio, Pater non dedisset Filio totam suam substantiam; quia proprietas illa esset de substantia Patris.

Secundò id probat ratione; quia diuinæ personæ sunt omnino simplicis: ergo nullo possunt constitui, & nullo ab ipsis distincto distingui. Et cõfirmatur, quia personæ nõ sunt minus simplices quam essentia, sed essentia nullo constituitur, ergo nec personæ.

Magister verò, & communiter Scholastici in 1. d. 26. Vaz. disp. 158. Suar. lib. 7. Turr. disp. 26. Zuñiga disp. 15. Gran. Tract. 12. disp. 1. Ruiz disput. 86. Perez disput. 9. & communiter Theologi docent, (quòd necessario tenendum est) in Diuinis personis esse veras, & reales proprietates personales, quibus constituuntur, & distinguuntur, quòd plures Patres significant quos Ruiz refert, & id constat ex eo, quòd canit Ecclesia in præfatione Sanctissimæ Trinitatis. *In essentia vnitas, & in personis proprietas*, & ex dicto cap. *Firmiter*, vbi dicitur Sancta Trinitas: *Secundum communem essentiam indiuidua, & secundum proprietates personales discreta.* Et ex Sophronio in 6. Synodo act. 11. vbi expresse in Diuinis personis admittuntur personales proprietates, & ex Ioanne Ecclesiæ Latinæ Theologo, qui

in

in Concilio Florentino ſeſ. 18. ait: *Perſona Diuina ex ſubſtantia proprietatibuſque ſubſiſtit.* Et ſeſſione 19. ait. *Perſonam Diuinam ex ſubſtantia, proprietateque conſtare.* Et ex Marco qui in eadem ſeſſione 19. nomine Græcorum ait: *Per ſuas proprietates re ipſa differunt perſonæ.*

Et ratione Theologica probatur; quia vbi ſunt perſonæ, aut res realiter diſtinctæ, neceſſarium eſt, quod in vnaquaq; earum ſit aliqua ratio propria, quæ aliis aut alij nō cōueniat, ſed perſonæ diuinæ sūt realiter diſtinctæ: ergo in qualibet earum eſt ratio aliqua ipſi propria, quæ dicenda eſt proprietas perſonalis. Et quidem Patres per diſtinctionem aliquam inter id, quòd perſonis eſt commune, & inter id, quod cuilibet eſt proprium, explicarunt Trinitatis myſterium.

Ad priorem ergo rationem Gregorij, deſumptam ex capitulo *Firmiter*, reſpondemus in eo cap. nomine totius ſubſtātię Patris, nō intelligi totam entitatem, ſeu realitatē Patris ſub omni ratione, ſed ſub ea quæ non repugnat filiationi, acproinde Patrem Filio cōmunicaſſe eſſentiam, non ſuam proprietatem perſonalem; quia hæc repugnat filiationi.

Ad poſteriorem verò reſpondemus, concedendo diuinam perſonam eſſe re ipſa ſimpliciſsimam, ſuæ tamen ſimplicitati nō obſtare diſtinctionem, & pluralitatem rationum realium, ratione noſtra in ipſa perſona, nec conſtitutionem perſonæ noſtro modo concipiēdi ex ipſis rationibus realibus, de quo dicem dif. 4.

Et ad confirmationem, reſpondemus perſonam re ipſa non eſſe minus ſimplicem quam eſſentiam: noſtro tamen modo concipiendi eſſentiam imo, & perſonalitatem ſimpliciorem eſſe quam perſonam; quia perſona noſtro modo concipiendi eſt compoſita, ſeu conſtituta, non verò eſſentia, nec perſonalitas; quia iſtæ ſunt rationes quas intellectus non diuidit; quia in conſtitutione per rationem etiam intellectus deuenit ad principia, quæ conſtitui non poſſunt.

DIF.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm proprietates personales, quibus personæ constituuntur, & distinguuntur sint absolutæ?

OPinio est personas Diuinas constitui, & distingui proprietatibus absolutis ex natura rei distinctis à relationibus, & non ipsis relationibus, sed eis solum referri, ita Guillermus Parisiensis apud Carthusianum in 1.d.26.quæst.2.& Ioannes de Ripa, apud Scotum in eadem distinctione quæst. vnica, & in id Scotus ipse inclinare videtur.

Probari autem potest primo ex illo Prouer.30.vbi Salomon de Deo loquens interrogat: *Quòd est nomen eius (subintellige Patris) & nomen Filij eius si nosti?* vbi supponitur Patrem,& Filium habere alia nomina magis occulta latentia sub nominibus Patris,& Filij, de sumpta ex proprietatibus constitutiuis, & distinctiuis eorum, distinctis à Paternitate, & Filiatione: ergo non constituuntur relationibus, sed absolutis; quia si aliquibus relationibus maximè paternitate,& filiatione.

Secundò probatur, quia id quod refertur prius est relatione ipsa; quia prius est, quod res sit quam quod referatur: ergo in Deo prior est persona quam relatio, cõsequentia patet; quia persona est, quæ relatione refertur: ergo persona prius est cõstituta proprietate aliqua absoluta. Et cõfirmatur, quia omnis relatio realis supponit extrema cõstituta,& realiter distincta: ergo relatio diuina supponit personas constitutas,& realiter distinctas; ergo aliqua proprietate absoluta, & non relatione.

Tertiò probatur, quia relatum terminatur formaliter ad absolutum: ergo Pater in diuinis terminatur ad Filium, secũdum esse absolutum quod præhabet: ergo prius est quod persona filij sit aliquo absoluto constituta, quam quod sit filius.

Quartò, quia prius producitur terminus absolutus, quam quod consurgat relatio; quia vt Aristotel. ait 5. Physic. Textu 10. ad relationem non est per se motus: ergo persona quæ producitur prius est absoluta quam relata: ergo constituitur aliquo absoluto, & non relatione.

Quintò probatur, quia à paternitate, & à filiatione, & à relatione spirationis passiuæ potest abstrahi conceptus communis relationis; quia relatio est superior ad paternitatem,& ad filiationem,& ad

spi-

ſpirationem: ergo paternitas,& filiatio, & ſpiratio nequeũt vltimo cõſtituere perſonas diuinas, conſequentia patet; quia vltimum cõſtitutiuum debet eſſe ſimplex,& indiuiſibile, dictæ autem relationes non ſunt tales, quia in qualibet earum eſt ratio inferior,& etiam ſuperior, quę abſtrahitur ab inferiore.

Oppoſita tamen opinio veriſsima eſt,& neceſſario tenenda, perſonas diuinas non conſtitui,& diſtingui proprietatibus abſolutis ex natura rei diſtinctis à relationibus, ſed relationibus ipſis, ita S. Th. q.40 & communiter Theologi, ex quibus Carth.in 1.d.26.q.2. Canar.& Zum.q.40.oppoſitam opinionem exiſtimant erroneam, & Bañez hęreticam, Ruiz adminus eſſe errori proximam, & Martin. Perez ad minus eſſe temerariã, Suar.verò exiſtimat ſufficere quod notetur improbabilis.

Et in primis opinio noſtra probatur; quia in Conc. Florentino ſeſ.18.dicitur: *Relatio apud omnes tàm Græcos, quàm Latinos perſonas multiplicat.* Et infra additur: *Relationes perſonas multiplicant, & non alia ratione, quàm vi relationis.* Et ſeſ.19.dicitur Patrem,& Filiũ in eo ſolo differre, quòd Pater eſt Pater,& Filius eſt Filius,& in Cõcilio Toletano 1.in confeſsione fidei dicitur in relatione perſonarũ numerus cernitur, & idem ſignificant plures patres tàm Græci, quàm Latini, quos referunt Granadus Tractat.12.diſput.3.& Ruiz diſp.87.

Et quamuis Concilia,& patres, tantum expreſſè affirment diſtinctionem, & pluralitatem perſonarum ex relationibus prouenire, & non exprimant earum conſtitutionem ex relationibus prouenire, (niſi Florentin. ſeſ.19.dum ait: *Perſonas ex proprietatibus, quæ ſunt ad aliud, & ex eſſentia conſtare.*) Nihilominus ex eorum teſtimonijs deducitur cõſtitutionem perſonarum ex eiſdem prouenire; quia cõcilia,& patres, nihil agnoſcunt proprium in perſonis, & in eis nihil numerari niſi relationem: ex his autem duobus deducitur relationes conſtituere perſonas,& ex eiſdem duobus duplex ratio Theologica formatur ad id probandum. Prima eſt, quia quęlibet perſona diuina conſtituitur in eſſe talis perſonæ, eo quòd eſt ſibi proprium, ſed ſola relatio eſt propria cuilibet perſonę, vt docent cõcilia,& patres: ergo quælibet perſona in eſſe talis perſonæ conſtituitur relatione, & non abſoluto.

Secunda ratio eſt; quia conſtitutiua peculiaria perſonarum debent eſſe plura, ſicut & perſonæ quarũ ſunt conſtitutiua peculiaria ſunt plures, ſed in Deo nihil eſt multiplex, nec numerabile, niſi relatio, vt tradunt concilia,& patres: ergo ſola relatio peculiariter conſtituit perſonam.

Ad

Ad primum ergo fundamentum oppositę opinionis desumptum ex testimonio illo Proverb. 30. Facile respondemus in eo supponi esse alia nomina Patris, & Filij non magis propria, seu peculiaria quam nomina Patris & Filij, sed talia quæ adæquatè, & exactè significant essentiam, & proprietates eorum, prout sunt in se quæ sūt viatoribus ineffabilia, & occulta; quia sicut personæ diuinæ à viatoribus nō concipiūtur prout in se sunt, ita etiam non possunt à viatoribus, prout in se sunt nominari.

Ad secundum respondemus maiorem illius, nempè id quod refertur esse prius relatione, si in ea sermo sit de priorit̃ate reali tantū esse veram in relationibus creatis, non verò in Diuinis, quia creatæ verè sunt accidentia realia, & ita realiter supponunt subiectum substantialiter constitutum, relationes verò Diuinæ non sunt accidentia, sed sunt substantiales, & subsistentes, & ita per eas possunt personæ diuinæ substantialiter constitui, & simul substantialiter referri.

Et eodem modo respondemus ad confirmationem, maiorem illius, nempè omnis relatio realis supponit extrema cōstituta, & realiter distincta, si sermo sit de suppositione reali tantum esse verum in relationibus creatis, non verò in Diuinis; quia istæ vt potè substātiales, non adueniunt realiter extremis constitutis, sed ea constituunt, & distinguunt.

Ad tertium respondemus, maiorem illius, nempè relatum terminatur formaliter ad absolutum, si sermo sit de terminatione reali esse veram in relatis creatis, vt diximus in prædicamenti cap. de relatione, non verò in Diuinis; quia illa re ipsa terminantur ad relatiuum formaliter, seu vt relatiuum est; quia extremum, seu terminus ad quem relatum in Diuinis re ipsa refertur, constituitur substantialiter relatione, sicut & productio re ipsa terminatur ad terminum formaliter relatiuum, & relatione substantialiter constitutum, & ita Pater in Deo terminatur re ipsa ad Filium, vt Filium, sicut & generatio Patris est re ipsa productio Filij, vt Filij (in creatis verò non ita contingit; quia sicut generatio non terminatur per se, & primario, nisi ad substantiam Filij, ita etiam Pater per se, & primario non terminatur, nisi ad substantiam Filij) ac proinde qui Patrem in Diuinis, prout in se est, cognosceret illum vt relatum cognosceret, in illius tamen cognitione, prout in se est nullus est circulus, quia qui videt Deum, vt in se est non videt, seu cognoscit vnam personam per aliam, sed omnes simul, & vt sunt in se ipsis; viatores verò qui Diuina instar rerum creatarum cognoscimus, seu concipimus quamuis verè dicamus, & affirmemus Patrem in Deo est Filij Pater, & ę contra, nihilominus terminum Patris, & Filij, & Spiritus San-

ti, vt absolutum apprehendimus, & concipimus.

Ad quartum negamus in Diuinis, prius re ipsa produci terminum aliquem absolutum, quàm consurgat relatio, quamuis in creatis ita contingat: Et ad probationem desumptam ex Aristotel. 5. Physic. dicente, *Ad relationem non esse per se motum*, respondemus id ad summum esse verũ de relationibus creatis, quæ sunt accidentales, nõ vero de diuinis, quæ sunt subsãtiales cõstituentes personas, quæ producuntur.

Ad quintum concedimus antecedens, nempè à relationibus Diuinis in particulari posse abstrahi rationem quamdam communem, vt diximus disput. 3. difficultate 4. negamus tamen illas non posse vltimo constituere personas, & ad probationem dicimus, quod quamuis vltimum constituens in aliquo genere nequeat in eo genere diuidi in alia, ex quibus ipsum possit in eo genere constitui sicut rationale, quamuis Metaphysicè sit omnino simplex, & indiuisibile, & in eo genere nequeat constitui, nihilominus Physicè constat ex materia prima, & ex anima rationali, & ex eis Physicè constituitur ita quamuis paternitas, verbi gratia, in Diuinis sit Metaphysicè diuisibilis in conceptus inferiorem, & superiorem, & in eo genere possit ex eis constitui, nihilominus potest esse vltimo constituens constitutione personali, & quasi Physica, (quamuis non reali) quia in eo genere est omnino simplex, & indiuisibilis, seu irresolubilis.

DIFFICVLTAS III.

Verùm proprietates constituentes personas Diuinas, sint origines an relationes?

EX Dictis constat personas Diuinas non constitui, nec distingui proprietatibus absolutis ex natura rei distinctis à relationibus, sed proprietatibus, quæ re ipsa sunt relationes, imò & eis, vt aliquo modo distinctis ab essentia, seu substantia, superest videamus, an constituantur, & distinguantur relationibus, prout aliquo modo distinctis ab originibus, siue ex natura rei, siue sola ratione distinctis.

Bonauentura in 1. distinct. 26. quæst. 2. & 3. & dist. 27. docet personas Diuinas constitui, & distingui originibus, vt distinctis à relationibus, & non relationibus ipsis, Patrem, verbi gratia, constitui, &

distingui generatione actiua, & non paternitate, & Filium generatione passiua, & non filiatione, & Spiritum sanctum spiratione passiua, & non relatione spirati, & in id inclinat Aur.d.26.ar.2. Probari autem potest; quia quamuis in qualibet persona non tantum origo, vel actiua, vel passiua sit illi propria, sed etiam relatio, nihilominus origo est prior quàm relatio; quia origo est fundamentum relationis; quia ideò prima persona est Pater; quia generat, & ideò secunda est Filius; quia generatur, & ideò Spiritus Sanctus est procedens, quia spiratus: ergo origo est, quæ substantialiter constituit personam, & eam distinguit, & non relatio: consequentia patet; quia quoties in re sunt duo, vnum prius, & alterum posterius, nequit eo quod est posterius constitui substantialiter, & distingui, sed eo quod est prius.

Sanctus Thomas verò Caietan. Canarienſis, & recentiores Thomistę quæst.10.ar.2. Vazquez disp.158.c.4. Suarez lib.7. c.6. Turrianus disp.26. Mæratius disp.53. & Ruyz disp.26. docent personas Diuinas constitui, & distingui relationibus, vt distinctis ab originibus, & non originibus ipsis.

Et meritò, quia ratio, seu forma constituens substantialiter personam, debet esse, aut concipi, vt forma permanēs, habens iam esse fixum: & in facto esse, sed origo non concipitur, vt forma permanens, & fixa, & in facto esse: sed veluti via, & productio, vel actiua, vel passiua: ergo nequit esse ratio, seu forma constituens personam Diuinam, & eam ab alijs personis in facto esse distinguens: & declaratur hæc ratio, & in primis de origine passiua; quia hæc re ipsa est, aut à nobis concipitur, quasi via ad personam productam, & quasi fieri illius, & quasi passio media, qua persona producitur: ergo persona producta non constituitur per illam formaliter in suo esse; quia esse personæ, vt in se est, vel vt à nobis concipitur non est produci, sed est fixum, & in facto esse: ergo nequit formaliter constitui origine passiua, quæ est, aut concipitur, tamquam produci, & fieri.

Deinde declaratur de origine actiua; quia hæc est, aut concipitur à nobis, tamquam actus secundus, & productio actiua: ratio autem, seu forma constituens personam producentem, debet esse, aut concipi vt actus primus, vt pote constituens personam, quæ est, aut concipitur vt potens producere, & id à quo quasi exit productio actiua.

Ad fundamentum autem oppositæ opinionis Bonauenturæ respondemus, quòd quamuis prius sit, aut concipiatur origo passiua Filij, & origo passiua Spiritus Sancti, ideſt, generatio passiua Filij,

& ſpiratio paſsiua Spiritus Sancti quàm relatio Filij, & Spiritus ſancti, nihilominus origines prædictæ nō conſtituunt perſonas Filij, & Spiritus Sancti, ſed relationes; quia origines ſunt viæ ad perſonas, ac proinde non ſunt aptæ, ſeu proportionatę ad conſtituendas perſonas permanentes, & in facto eſſe, & ad probationem negamus, quoties in re aliqua ſunt duo, quorum vnum eſt prius, & alterum poſterius, rem illam ſemper conſtitui eo quod eſt prius, niſi quando id quod eſt prius eſt forma proportionata conſtitutioni rei, quòd non habet origo reſpectu perſonæ, v.g. in igne prior eſt productio, & conſeruatio formæ ignis in materia illius exiſtens, quàm forma ipſa, & tamen forma conſtituit, & diſtinguit ignem, non verò productio, nec conſeruatio formæ: in prima verò perſona prior eſt noſtro modo concipiendi forma eam conſtituens quàm origo actiua, ſeu actus ſecundus.

Obſeruandum tamen eſt, quòd quamuis ex oppoſitis originibus actiua videlicet, & paſsiua, colligatur diſtinctio realis perſonarum Diuinarum; quia ex eis re ipſa, aut noſtro modo concipiē di oriuntur oppoſitæ relationes, & ob id Patres aliquādo diſtinctionem, & pluralitatem perſonarum in diſcriminatim reducunt in origines, & in relationes, nihilominus eſſe formam, ſeu rationem formaliter conſtituentem, & diſtinguentem perſonas (de quo non Patres, ſed tantum ſcholaſtici tractant) ſolum tribuimus relationibus, & non originibus; quia ſolum relationes ſunt re ipſa, aut noſtro modo concipiendi, quaſi formæ permanentes, quòd neceſſarium eſt ad rationem, ſeu formam cōſtituentem, & diſtinguentem perſonas permanentes, & in facto eſſe.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo Relationes diuinæ poſsint eſſe proprietates conſtituentes, & diſtinguentes perſonas?

DIfficultas hæc præcipuè procedit de paternitate, qua perſona Patris conſtituitur; quia de ea eſt ferè tota difficultas.

Ratio difficultatis eſt; quia perſona Patris eſt, aut concipitur ante generationem actiuam; quia eſt principium, vt quòd illius ſaltem noſtro modo concipiendi: ergo etiam eſt ante relatio-

nem paternitatis; quia hæc consequitur ad generationem actiuam, quomodo ergo constitui potest paternitate?

Difficultas hæc tantùm procedit inter eos, qui dicunt relationes Diuinas non distingui ex natura rei ab Essentia Diuina, & constitutionem personę ex essentia, & ex relatione non esse ex natura rei, sed tantum nostro modo concipiendi. Quia in opinione asserentium relationes distingui ex natura rei ab essentia, & constitutiones personarum esse ex natura rei, facilè dicunt personam Patris ex natura rei constitui paternitate formaliter, vt est paternitas, seu vt est hæc relatio, & respectus ad suum terminum; quia paternitas secundùm ipsos constituit vt est à parte rei, & paternitas à parte rei est vera, & formaliter relatio.

Imò indistincta à generatione actiua, ac proinde paternitas, seu generatio actiua, secundùm ipsos constituit formaliter personam Patris, & paternitas nequit pro fundamento habere generationem actiuam, sed hæc, & paternitas re ipsa indistinctæ fundantur in Essentia Diuina fœcunda, ex qua re ipsa pullulabant.

Ita docent Durandus in 1. distinctione 26. quæstione 1. Gab. in quæstione 1. artic. 3. dubio 4. & Scotus distinctione 28. quæstione 3 distinctionem autem à parte rei inter Essentiam Diuinam, & relationes cui dicti Doctores innituntur, reiecimus disput. 2. difficul. 3.

Ex his ergo, qui inter Essentiam, & Relationes Diuinas, nullam agnoscunt distinctionem à parte rei; sed tantùm distinctionem rationis, & dicunt constitutionem personarum non esse à parte rei; sed tantum ratione nostra. In primis Beccanus capite 3. quęstione 12. Ruyz disputatione 89. Alarcon disputatione 4. capite 6. Perez disp. 9. sect. 3. Et alij etiam docent personas Diuinas constitui relationibus formaliter, vt relationes sunt; seu vt sunt respectus etiam ad suos terminos: Quòd significare videntur Concilia, & Patres, dum distinctionem personarum attribuunt ipsis relationibus, & eo ipso eisdem attribuunt ipsarum constitutionem, vt diximus disp 2. difficul 6. imò Concilium Florentinum sessione 19. eisdem expresse attribuit constitutionem personarum.

Et ratione videtur probari in Deo ob eius summã simplicitatẽ, nequit admitti distinctio, & pluralitas à parte rei, qualis est personarũ, nisi proueniens ex relationibus; quia in Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, distinctio; ergo & constitutio per-

Personarum, prouenit ex relationibus formaliter, vt relationibus.

Hic tamen modus dicendi nobis non probatur, ob rationem in principio difficultatis à nobis adductam; quia si persona, v.g. Patris concipitur à nobis ante generationem actiuam; quia est principium, vt quod illius saltem nostro modo concipiendi, & non Essentia Diuina Quia hæc non est generans, vt quod: ergo Persona Patris, etiã concipitur à nobis ante relationem Paternitatis formaliter, vt Paternitas est. Quia hæc formaliter, vt sic nostro modo concipiendi, consequitur ad generationem actiuam ergo persona Patris nequit nostro modo cõcipiendi constitui paternitate, vt paternitas est; quia hęc vt sic est posterior, quàm ipsa persona.

Persona etiam Filij est nostro modo concipiendi ante relationem filiationis, vt filiatio est, seu vt relatio est; quia prius est ratione nostra, quod persona Filij sit passiuè genita, quam quod sit Filius; quia ad generationem passiuam nostro modo concipiẽdi, consequitur relatio filiationis; quia à priori, ideò persona filij est filius; quia est passiuè genita: ergo ante relationem filiationis, vt filiatio est persona filij, præsupponitur constituta.

Et eadem proportionali ratione probatur, personam Spiritus Sancti nostro modo concipiendi præsupponi cõstituram ante relationem spirati, vt relatio est, acproinde hac relatione formaliter, vt relatio est non constitui.

Secundò Molina q. 40. ar. 2. disp. 2. ita admittit personam Patris constitui Paternitate formaliter, seu vt relatio est, vt addat hãc relationem nullatenus, adhuc ratione nostra distingui à generatione actiua, sed esse omnino eamdem cum ipsa, ac proinde Paternitatem, vt talem non præsupponere generationem actiuam, sed Paternitatem, seu generationem actiuam tantum presupponere essentiã diuinam, vt intelligentem se, & omnes creaturas possibiles intellectione essentiali, & ex hac intellectione immediatè oriri nostro modo intelligendi.

Modus tamen iste dicendi Molinæ, nobis & non paucis displicet; quia in primis falsum est Paternitatem, & generationem actiuã, non distingui inter se, adhuc nostro modo concipiendi, quia negari non potest, quin nos viatores generationem actiuam concipiamus, vt viam, seu actum secundum, & Paternitatem, vt formam permanentem, seu in facto esse; quia illas concipimus instar generationis, & Paternitatis creatarum, ex quibus generatio re ipsa est via, & actus secundus, & Paternitas re ipsa est forma permanens, seu in facto esse: ergo in Deo generatio actiua, & Paternitas ratione nostra

distinguuntur, & ratione ratiocinata; quia in entitate Diuina est re ipsa fundamentum, ad sic concipiendam eam entitatem; quia hæc re ipsa est æquiualens prædictis entitatibus creatis re ipsa distinctis, ob quod generatio actiua, & Paternitas Diuina, dici possunt re ipsa distingui, non formaliter, sed virtualiter, seu æquiualenter.

Ex quo contra Molinam, etiam constat ad Paternitatem ratione nostra præsupponi generationem actiuam, tamquam fundamentum, & ex ea immediatè pullulare, & non ex cognitione essentiali; quia Paternitas, & generatio actiua, nequeunt à nobis viatoribus aliter concipi; quia vt iam diximus, eas concipimus instar creaturarum, generatio autem actiua creata ex natura rei, præsupponitur ad paternitatem, & paternitas, vt paternitas ex illa immediatè pullulat.

Tertio Caietan. q. 40. art. 4. Ita admittit personas Diuinas constitui relationibus sub expresso conceptu relationum, vt id limitet ad eas relationes prout conceptas, & non prout exercitas: ait enim personam patris, v. g. constitui paternitate, vt concepta, & non vt referente, seu exercente munus relationis, id est, concepta vt præcisse afficiente essentiam, cui cõuenit, & in qua est, & nõ vt afficiente illã, nec aliud in ordine ad terminum.

Modus etiam hic dicendi nobis displicet, quatenus asserit relationes expresse conceptas, vt relationes, seu sub expresso conceptu relationum constituere Diuinas personas, verbi gratia, paternitatem concepram, vt paternitatem, seu sub expresso conceptu paternitatis constituere personam Patris, hoc ergo nobis displiceat; quia paternitas, verbi gratia, expresse concepta, vt paternitas, quamuis non vt referens ad terminum, sed tantum vt afficiens subiectum (si hoc admitti potest) absq; dubio præsupponit ratione nostra generationem actiuam; quia cõcipitur vt paternitas, vt supponim⁹, paternitas autem, vt paternitas generationem actiuam supponit, & ex ea pullulat; quia nullus potest esse, nec concipi pater, nisi præsupponatur generasse.

Dicendum ergo est personam Patris in eo priori rationis ante generationem actiuam constitui paternitate, seu ea entitate, quę identicè adæquatè est paternitas non concepta, vt Paternitate, seu vt relatione, sed concepta, vt prima personalitate, seu vt prima subsistentia, seu vt prima forma hypostatica instar absoluto.

Et in primis personam patris in eo priori rationis ante generationem actiuam constitui paternitate, vt distincta ab essentia conue-

niunt

niunt communiter Theologi, & negari non poteſt; quia perſonæ diuinæ cõſtituũtur proprietatibus ſibi proprijs, paternitas autẽ, vt diſtincta ab eſſentia eſt ibi propria, & nõ ipſa eſſentia, quę eſt communis, & conueniens omnibus tribus perſonis.

Secundò, perſonam patris in eo priori rationis non conſtitui paternitate concepta, vt paternitate, ſeu vt relatione, docent Sanctus Thomas quæſt. 40. articulo 4. Vazquez diſput. 159. capit. 5. & communiter Thomiſtæ. Et ratione conſtat; quia in eo priori ante generationem actiuam in quo concipitur perſona patris cõſtituta, vt ſit potens generare, non concipitur generare, nec generaſſe: ergo in eo priori nequit concipi, vt Pater, ac proinde nec conſtituta per paternitatẽ, vt paternitatem; quia vt ſic tantum poteſt concipi poſt generationem.

Tertiò, perſonam Patris in eo priori conſtitui paternitate, ſeu ea entitate, quæ identicè adæquatè eſt paternitas) concepta, vt prima perſonalitate, ſeu prima ſubſiſtentia docent Sanctus Thomas artic. 4. Vazquez vbi ſupra, Suarez 7. de Trinitate capitul. 7. Granadus Tractat. 12. diſput. 3. ſectione 1. Zuñiga diſput. 15. membro 4. & 5. & communiter Thomiſtæ. Et ratione conſtat; quia perſona patris in eo priori concipitur, vt perſona ſingularis, ſeu in particulari cum concipiatur, vt potens generare: ergo concipitur cõſtituta per paternitatem conceptam, vt hanc perſonalitatem ſingularem primam, ex quo conſtat ad rationem difficultatis in principio poſitam.

Ex dictis conſtat in Patre, quamuis re ipſa ſimplici quatuor rationes, ſeu conceptus obiectiuos, ſeu quatuor prædicata reperiri noſtro modo concipiendi diſtincta, & ſe inuicem excludentia, nempè eſſentiam Diuinam tribus perſonis communem, deinde dictam numero perſonalitatem, quæ eſt prima ratio trium quæ ſunt propriæ Patris, Rurſus generationem actiuam, & tandem paternitatem: perſona ergo Patris ante actiuam generationem, & ante paternitatem, vt paternitatem conſtituitur illa ſingulari perſonalitate, ſeu ſubſiſtentia, & ſic conſtituta, eſt potens generare, & generat, & ad generationem pullulat paternitas formaliter, imò integra paternitas formaliter, nempè ſecundum eſſe *in*, & ſecundum eſſe *ad*: Dicitur tamen perſona Patris conſtitui relatione, ſeu Paternitate non formaliter; quia formaliter abſoluto conſtituitur, ſed materialiter, & identicè identitate adæquata, ſeu conuertibili; quia hæc numero perſonalitas Patris identificatur adæquatè, & conuertibiliter cum paternitate; quia identificatur cum omnibus, cum quibus ipſa paternitas identifica

tur, & distinguitur ab omnibus à quibus Paternitas distinguitur.

Et ob hanc identitatem adæquatam dictæ tres rationes, seu dicti tres conceptus obiectiui posteriores proprij personæ Patris, nēpe personalitas, generatio actiua, & paternitas nomine paternitatis, vt potè magis notę significantur comparatione ad essentiam, seu prout ab essentia distinguuntur: quia isti tres conceptus obiectiui, ob dictam identitatem comparantur, vt vnum extremum ad essentiam, & ita quando à Concilijs, & à Patribus multiplicatio, seu pluralitas personarum tribuitur relationibus, eis tribuitur identicè idētitate adequata, & non formaliter, vt relationibus.

Ex quo constat ad prius fundamentum primi modi dicendi, desumptum ex Concilijs, & ex Patribus. Et eo constat ad posterius desumptum ex ratione.

Respondemus enim distinctionem, seu pluralitatem personarum sumi ex relationibus identicè sumptis modo dicto; non formaliter, vt relationes sunt. Et hanc oppositionem identicè relatiuam sufficere ad dictam distinctionem, & pluralitatem personarum.

Et eadem proportione, qua diximus, personam Patris constitui hac numero personalitate, vt distincta ab essentia, & in priori rationis ante paternitatem vt distinctam ab ipsa personalitate, dicendum est personas Filij, & Spiritus Sancti constitui suis personalitatibus singularibus, vt distinctis ab essentia, & in priori rationis ante relationes filiationis, & spirationis passiuæ, vt distinctas ab ipsis personalitatibus. Vnde tres diuinæ personæ prius sunt, seu concipiuntur constitutæ personę, quàm relatæ instar personarum creatarum, quæ prius sunt re ipsa personæ, quàm relatæ ad eum à quo producuntur. Et sicut in personis creatis priores sunt re ipsa productiones passiuæ earum, quàm ipsæ personæ productę.

Quia ipsę productiones passiuę sunt, quasi via passiua ad ipsas personas productas. Ita etiam in personis Filij, & Spiritus Sancti priores sunt nostro modo concipiendi origines passiuę, quibus per se ipsæ producuntur, quàm ipsæ personæ, seu quàm personalitates, quibus constituuntur. Vnde nostro modo concipiendi priores sunt origines passiuæ Filij, & Spiritus Sancti.

Deinde personalitates Filij, & Spiritus Sancti, & tandem relationes filiationis, & spirationis passiuę: in Patre vero prior est personalitas. Deinde generatio actiua, & tandem relatio paternitatis, vt formaliter distincta à personalitate, & à generatione actiua.

Ex

Ex dictis constat, relationes Diuinas, prout formaliter distinctas à personalitatibus aduenire nostro modo concipiendi personis iam constitutis, Vnde propositiones istæ: *Persona Patris est Pater, & persona Filij est Filius, & persona Spiritus sancti est Spiritus sanctus,* Sunt nostro modo concipiendi, quasi accidentales, & denominatiuæ.

Obseruandum est hanc nostram sententiam, qua existimamus personas Diuinas, constitui proprietatibus formaliter absolutis, & non formaliter relatiuis, valde distare à sententia Guillermi Parisiensis, & Ioan de Ripa, quàm retulimus, & reprobauimus disc. 2. quia isti absque dubio eam constitutionem tribuebant proprietatibus absolutis, non identificatis re ipsa adæquatè cum relationibus, sed re ipsa distinctis ab eis; quia id tribuebant proprietatibus absolutis nulla facta mentione identificationis, & id non leuiter indicat, quòd Scoto, qui distinctionem à parte rei admittit inter relationes & inter ea, interque nos distinctionem tantum rationis statuimus, non videatur improbabilis illorum sententia.

DISPVTATIO QVINTA.

De cognoscibilitate Mysterij Trinitatis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Philosophi Gentiles habuerint notitiam aliquam Mysterij Trinitatis?

QVamuis Sanctus Thomas q. 32. artic. 1. vt defendat Mysterium Trinitatis, non posse ratione naturali ostendi, affirmet nullum Philosophum Gentilem illud cognouisse: plures tamen sunt Doctores, qui censent aliquos Philosophos Gentiles, nempè Platonem, Porphyrium, Trimegistrum, Appolinem, Delphicum, Numenium, Orphæum, Caldæos, & alios quos referunt Augustinus, Eugubinus lib. 1. de Peremni Philosophia, Vazquez disp. 132. c. 1. & Ruiz disp. 45. sect. 1. aliquam habuisse notitiam Mysterij Trinitatis, quamuis non perfectam, qualem eis negauit S. Thom. sed imperfectam, plurium videlicet personarum, diminutam tamen, & erroribus adulteratam.

Phy-

Philosophi tamen, qui dictam notitiam mysterij Trinitatis adepti sunt, non sunt eam ratione naturali adepti; quia hac non potuerunt, vt dicemus difficultate 4. sed aliquid illius acceperunt, aut ex libris Sacris, aut ab ipsis Hæbræis, aut ab alijs, qui libros Sacros legerunt, vt tradunt Patres, quos referunt Vazquez, & Ruiz.

Et non solum Philosophi Gentiles, sed etiam Sybillę notitiam Trinitatis habuerunt, imò perfectam, & clariorem, quàm prædicti Philosophi, vt constat ex testimonijs ipsarum, quæ referunt Lactantius lib. 1. Diuinarum institutionum capite 6. & lib. 4. capite 6. & 7. & Augustinus 18. de Ciuitate capite 23. quæ in vnum collegerunt Iulius Sirenius in Opusculo de Prouidentia circa finem. Et Augustinus Eugubinus lib. 1. de Peremni Philosophia cap. 25.

Has autem fœminas aliter, quàm Philosophos in notitiam Mysterij Trinitatis deueniisse, nempè ex immediata reuelatione Dei, ipsis facta concors est Gentilium, & Christianorum sententia, de quo videri possunt Lactantius vbi supra. Ludouicus Viues in lib. 18. de Ciuitate c. 24. & Eugubinus vbi supra.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm in statu viæ possit absque peculiari notitia à Deo infussa Trinitas Personarum euidenter cognosci, quoad quæstionem an sit?

SVpponimus in quo Theologi conueniunt, adhuc suppositа fide Misterij Trinitatis, non posse lumine naturali, absque peculiari notitia à Deo infussa, Trinitatem à viatore euidenter cognosci, quoad quæstionem *an sit*, seu Trinitatem existere notitia non discursiua; quia Trinitas non est per se nota viatori, seu non videnti ipsam, vt patet.

Solùm est difficultas, an possit à viatore lumine naturali euidenter cognosci ipsam existere demonstratione, seu cognitione euidente discursiua.

Circa quam etiam conueniunt Theologi Trinitatem Personarum, nulla naturali demonstratione, ex principijs tantum naturæ posse a viatore euidenter demonstrari, quando nulla præcessit Diuina reuelatio.

Pun-

Punctum ergo difficultatis in eo eſt, an ſuppoſita reuelatione Dei, & fide Diuina ei innitente Myſterij Trinitatis, poſsit à viatore lumine naturali abſque peculiari notitia à Deo infuſſa euidenter cognoſci demonſtratiuè, ſeu notitia euidente diſcurſiua, quoad quæſtionem *an ſit*.

Ricardus Victorinus, & Hugo Victorinus, & Aureolus, & Raimundus Lullius, & alij, quos referunt Vazquez diſputatione 133. capite 1. & Ruyz diſputat. 41. & 43. ſectione 2. partem affirmatiuam tradunt.

Id autem probat Raymundus rationibus, quas demonſtrationes appellat, & æquiparantiæ; quia ſunt ab æqualibus, & non à cauſa, nec ab effectu. Summa autem rationum illius eſt; quia in Deo eſt actus bonificandi, ſeu bonificare; quia in eo eſt bonitas: ergo etiam in eo eſt bonificans, ſeu bonificatiuum, & etiam bonificatum, ſeu bonificabile: ergo in Deo eſt concordia inter bonificatiuum, & bonificabile in actu bonificandi: ergo inter iſta tria eſt diſtinctio; quia concordia non eſt niſi inter diſtincta: ergo ſunt tres perſonæ Diuinæ, & ex eo quod Diuina bonitas ſit perfectiſsima, deducit non eſſe in Deo, niſi vnum tantum bonificatiuum, & vnum tantum bonificabile, & vnum tantum bonificare, & conſequenter in Deo non eſſe niſi tres perſonas: & ex eadem ſumma perfectione bonitatis deducit iſtas tres perſonas, eſſe Patrem Filium, & Spiritumſanctum, vt videri poteſt apud Vaz. diſp. 133.

Reliqui verò Theologi conſtanter affirmant, adhuc ſuppoſita fide Myſterij Trinitatis ipſum non poſſe lumine naturali demonſtrari, nec quoad quæſtionem *quid ſit*, nec quoad quæſtionem *an ſit*, ita Vazquez vbi ſupra, Suarez lib. 1. capite 12. Zuniga diſputatione 7. dubio 1. Ruyz diſp. 43. ſectione 2. Alarcon diſp. 1. cap. 4. & Perez diſp. 1. ſectione 2. & meritò; quia adhuc ſuppoſita fide Diuina in viatore nullum eſt medium, quo ſeu per quod in euidentem notitiam Trinitatis lumine naturali dirigatur; quia non per cauſam, quia nulla eſt cauſa Trinitatis, nec per effectum; quia nullus eſt effectus, adhuc ſupernaturalis, qui ſit effectus Dei, vt Trini; ſed tantum vt vnius; quia omnipotentia à qua ſola omnis creatura, adhuc ſupernaturalis per ſe efficitur eſt vna, & ipſi Omnipotentiæ eſt peraccidens, quòd ſit in omnibus perſonis, vt efficiat creaturas; quia quãuis Deus non eſſet Trinus; ſed tantum vnus, creaturæ eodem modo fierent à Deo; ex effectibus autem tantum deducitur notitia euidens cauſæ per ſe, & non cauſæ per accidens: ergo quamuis in viatore adſit fides Diuina Trinitatis, nequit ab ipſo euidenter demonſtrari Trinitas, conſequentia patet; quia quãuis fides diuina perficiat

in

intellectum viatoris, vt facilius, & curiosius quærat medium ad demonstrationem rei à Deo reuelatæ, & à viatore creditæ, non tamen sufficit, vt lumine naturali inueniat medium, ad id sufficiens quando verè non est.

Ratio verò prædicta Raymundi non est demonstratiua, imò nullius momenti; quia vel per actum bonificandi (quem in Deo ex ipsius bonitate deducit, & supponit ad rationem quam adducit) intelligit actum productionis personæ, cui bonitas communicatur, qui sit medius inter producens, & productum, vel intelligit actum non medium, sed actum procedentem à bonificatiuo, & à bonificabili, tamquam à principio, vt discipuli Raimundi asserunt, & quem dicunt esse Spiritū Sanctum, vel intelligit actum bonificandi, quasi formalem, quem Diuina bonitas, quasi forma Deo tribuit. Si per actum bonificandi intelligat actum productionis, aut actum procedentem à bonificatiuo, & à bonificabili Ratio Raimundi siue vni, si uè alteri innitatur, nequit esse demonstratiua; quia vterque actus est obscurus, & sola fide cognitus à viatore, quia ex eo, quod Deus sit bonus neuter actus deducitur vt patet. Si verò per actum bonificandi intelligat actum, quasi formalem prouenientem à Diuina bonitate, quasi a forma Deum bonificante (qui actus ex Diuina bonitate deducitur) ratio illius nihil concludit; quia ex hoc actu quasi formali, non deducitur in Deo esse realem concordiam, & distinctionem realem inter prædicta tria, sed tantum distinctionem rationis, seu nostro modo cōcipiendi; quia hoc tantum modo Diuina bonitas bonificat Deum; quia à Deo sola ratione distinguitur.

Quomodo verò ex eo, quòd Diuina bonitas sit summa, & perfectissima non deducatur, adhuc probabiliter nō esse in Deo plures, quam tres personas, nec eas tres esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ostendit Vazq. vbi supra.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm viatori possit à Deo communicari notitia euidens propria, & quidditatiua Trinitatis non intuitiua, sed abstractiua distincta à visione beatifica?

SCotus in 4. d. 49. q. 11. Maior in 2. d. 3. Basolis q. 1. prologi art. 2. Aliacensis in 1. q. 1. prologi ar. 2. Ocham q. 1. prolog. ar. 5. Gab. q. 1.

1.prologi ar.3.& Molin.1.p q.1. ar.2.disp.vlt.docent posse viatori, seu non videnti Deum communicari à Deo notitiam euidentem Trinitatis propriam, seu prout in se est quidditatiuam, seu quoad quæstionem *quid sit*, non in uitiuam, sed abstractiuam nō attingentem Trinitatem vt existentem, sed tantum quidditatem ipsius.

Probari autem potest primo; quia notitia hæc euidēs propria Trinitatis abstractiua est prior quam in uitiua: ergo potest à Deo communicari viatori nō communicata intuitiua, seu beatificante; quia quod est prius potest esse absque posteriori.

Secundo, quia Deus potest notitiam intuitiuam obiecti cōseruare in absentia obiecti, ergo potest efficere vt cognitio propria obiecti, quæ erat intuitiua, sit tantum abstractiua.

Duran verò q.3.prolo.Medi.3.p.q.11 ar.1.Vaz disp.134.Suarez lib.1.c.11.Turria.disp.14.dub.3.Zuñig.disp.7.dub.2 Mer.ar. disp.6.Alar.disp.1.c.5.& Per disp.1.sect.3.docent nō posse viatori communicari à Deo notitiam euidentem Trinitatis propriā, seu prout in se est distinctam à visione beatifica, & merito, quia eo ipso quod est notitia euidēs, & propria, qua Trinitas proprio cōceptu, seu prout in se est cognoscitur, & non per species alienas, seu instar aliarum rerum, nequit non esse notitia, seu cognitio intuitiua Trinitatis; quia eō ipso quòd est cognitio Trinitatis euidēs, & propria, seu prout in se est, nequit non esse Trinitatis, vt existentis, imo vt actu existentis; quia existentia Dei vnius, & trini, nō solum est re ipsa indistincta ab essentia Dei, nō minus quam existentia rei creatæ à sua essentia, sed etiam est inamissibilis, in quo distinguitur ab existentia rei creatæ; quia hæc est amissibilis, sicut ipsa essentia, vt diximus Tract. de Incarn. disp.12.dif.2.

Imo, si ad notitiam intuitiuam etiam requiritur, quòd sit obiecti loco præsentis, id non potest dictæ notitiæ deficere; quia Trinitas ratione suæ immensitatis nō minus est necessariò præsens omnibus, etiam intellectui creato, quā existens in rerū natura: prædicta ergo notitia, sicut eo ipso quòd est propria Trinitatis, seu Trinitatis prout in se est, nequit nō esse Trinitatis, vt actu existentis, ita etiam nequit nō esse Trinitatis, vt loco præsentis, & cōsequenter intuitiua, & beatificans.

Addimus, quòd quamuis Trinitas esset loco absens respectu cognoscētis ipsam, nihilominus notitia Trinitatis, prout in se est actu existentis, nō posset non beatificare eū, qui illam haberet; quod obiectum cuius visione, prout in se est beatum sit loco absens, nihil variat in visione, vt patet: ergo absentia, vel præsentia loci obiecti parum refert, vt cognitio propria Trinitatis sit, vel non sit beā-

beatitudo, quia visione ipsa beamur: imò etiam parum refert, vt sit vel nō sit intuitiua, quia eo ipso quòd cognoscimus rem ipsam existentem immediatè, & prout in se est, vel fuit, vel erit, eo ipso dicimur eam videre, seu intueri (aliàs Deus non diceretur videre, seu intueri res præteritas, nec futuras) quia tunc nō minus clarè intellectu attingimus absentem, quàm visu corporeo rem præsentem, imo magis: ergo nō est admittēda cognitio euidēs, & propria Trinitatis, quæ sit media inter eam, qua beamur, & dicitur intuitiua, & inter eā quam habemus de Trinitate, per alienas species, & dicitur abstractiua: & ob eādem rationem est impossibilis species impressa abstractiuè repræsentās Trinitatem immediatè, & proximè, quia eo ipso repræsentabit illam prout est in se.

Vnde ad priorem rationem aduersariorū cōstat in ea falsò supponi cognitionem Trinitatis propriam, seu prout est in se esse priorē visione beatifica; quia ab hac non est distincta.

Et ad posteriorem respōdemus, quòd quamuis Deus possit conseruare cognitionem intuitiuam obiecti distincti ab ipso Deo in absentia ipsius obiecti; quia quodlibet aliud obiectum potest esse loco absens, imò & tempore, sed nō cognitionem Trinitatis in absentia ipsius Trinitatis, quia Trinitas nequit esse absens: & ideò eo ipso, quòd cōseruet cognitionem euidentem Trinitatis, prout in se est, nequit nō cōseruare cognitionem intuitiuam Trinitatis, etiā si ad intuitiuā requiratur præsentia obiecti, & ideò nequit prædicto modo eam efficere abstractiuam: & addimus cognitionem euidentem propriam cuiuscūq; alterius obiecti, etiam in absentia ipsius obiecti à Deo conseruatam manere intuitiuam ob rationem supra adductam.

In Paulo autem si in via vidit Deum, postea nō potuit in eo manere alia cognitio euidēs, & propria ipsius Dei, & prout in se est ob rationem dictam; potuit tamē recordari se habuisse visionē intuitiuā Dei, hæc tamen recordatio nō fuisset cognitio euidens, & propria Dei prout in se est: imò nec ipsius visionis, sicut recordatio in eo, qui recordatur se habuisse demōstrationem, non eo ipso est notitia euidens, & propria ipsius demonstrationis, sed cognitio quædam demonstrationis, & non propria, imò nec euidens iuxta ea, quæ dicem. dif. sequente.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm viatori possit à Deo communicari notitia euidens Trinitatis abstractiua, quoad quæstionem an sit?

NOmine notitiæ euidentis abstractiuę intelligitur illa cognitio, quæ versatur circa rem per alienas species, qua eo ipso tantum cognoscitur res euidenter, quoad quæstionem *an sit*, & non quoad quęstionem *quid sit*; quia res solum per proprias species, siue acquisitas, siue per se infusas, & non per alienas potest euidenter cognosci *quid sit*, etiam si per alienas possit cognosci existere, seu quoad quæstionem *an sit*.

Circa præsentem difficultatem Richard. Raymun. & alij quos retulimus dif. 2.

Et Durandus in 3. d. 23. q. 9. Caietanus q. 171 ar. 5. Bassolis q. 1. Prologi ar. 2 Zuñiga dub. 3. & Marcon disp. 1. c. 5. docent viatori posse à Deo comunicari cognitionem euidem abstractiuam Trinitatis, quoad quæstionem *an sit*.

Probari autem potest primò; quia quęcumq; creatura etiam naturalis est effectus Dei, vt vnius, & Trini; quia re ipsa procedit à Deo, vt vno, & Trino: ergo viator cui Deus communicauerit notitiam intuitiuam creaturarum (vt verè potest) ex ea abstrahet, seu deducet euidēter esse, seu existere Deum vnum, & trinum; quia ex effectu intuitiuè cognito optimè deduci potest notitia euidens abstractiua causæ.

Secundò probari potest; quia saltem visio beatifica est effectus in genere causæ efficiētis proueniens à Deo etiam, vt trino; quia quę libet diuina personalitas secūdū peculiarē rationem, vt potè secūdū eā obiectum illius visionis cōcurrit efficiēter ad illā; quia quod libet obiectū cōcurrit efficiēter ad visionē sui: ergo ex visione potest euidēter abstrahi, seu deduci esse Trinitatem, sicut ex alijs effectib⁹ à Deo, vt vno proueniētibus deducitur euidēter esse vnū Deū.

Tertiò, quia actus fidei diuinę Dei vnius, & trini, & etiam actus visionis beatificæ, quamuis neuter esset effectus Dei, vt est trinus, & vnio hypostatica, aut vniones hypostaticæ, si essent cū trib⁹ diuinis personis, & gratia, quæ est cōiūctio cū Deo vno & trino, & charitas, quę est principiū dilectionis Dei vni⁹ & trini, & ipsa dilectio, omnia hęc sua natura respiciūt essentialiter Deum vt vnum, & trinum: ergo viator, cui Deus communicaret notitiam intuitiuam illorū,

vt

(vt potest) posset euidenter deducere esse Trinitatem personarum.

Quartò, quia ità potest fieri reuelatio Trinitatis viatori, vt euidens sit ei cui fit, fieri à Deo, ex ea autem potest euidenter deduci esse Trinitatem hoc sequenter discursu. *Quidquid Deus reuelat est verum sed Deus reuelat esse Trinitatem: ergo verum est esse Trinitatē*, cō sequentia est euidēs, & etiam vtraq; præmissa est euidens, maior propositio omnibus, minor verò ei cui facta est reuelatio supra dicto modo: ergo etiam conclusio est euidens.

Quintò si Deus alicui pro aliquo tempore cōcedat claram visionem sui, postea ea visione transacta poterit recordari se vidisse Trinitatem: ergo euidenter cognosceret esse Trinitatem.

S. Th. verò q. 32. ar. 1. Ban. 2 dub. 2. Zum q. 2. Vazq. di. p. 135. Suar. tom. 1 in 3 §. disp. 27. sect. 5. & Turria. disp. 14. dub. 4. docent viatori non posse communicari à Deo notitiam euidentem Trinitatis abstractiuam, quoad quæstionem *an sit*, ex creaturis desumptam.

Et merito, quia nec potest cognosci euidenter Trinitatem esse ex creaturis, quatenus sunt effectus Dei, quā ratione re ipsa dicūt ordinem ad Deum, vt ad causam, nec ex creaturis secluſa ratione effectus, quatenus respiciūt essentialiter Trinitatem, vel vt obiectū, vel vt terminum vel aliter quam vt causam.

Et in primis non ex creaturis, quatenus sunt effectus Dei; quia nulla creatura quātūuis supernaturalis efficitur à Deo, vt trino sed tantum vt vno: quia omnipotentia, à qua omnis creaturae etiam supernaturalis efficitur, est tantum vna; omnis enim creatura, quamtumuis supernaturalis, ita per se fit à Deo, vt omnipotente, vt Trinitas personarum per accidens se habeat ad earum productiones; quia quamuis Deus non esset Trinus eodem modo fierent à Deo.

Deus enim non producit creaturas eis rationibus, quibus est prima, & secunda, & tertia persona sed eo quo est omnipotens est autem omnipotens eo quo est Deus, sicut etiam eo quo est Deus est sapiens, creaturæ ergo vt effectus Dei tantum respiciunt Deū, vt omnipotentem, vel vt vnum, & non vt Trinum; quia tantum dicunt ordinem essentialem ad causam per se, seu ad id quod est causa per se.

Et quidem si aliqua creatura esset effectus Dei, etiam vt Trini maximè visio beatifica, quasi efficienter procederet à tribus personalitatibus Diuinis, secundum suas peculiares rationes concurrentibus; tamquam obiectis ad ipsam visionem, sed nec hæc efficienter procedit à personalitatibus Diuinis, sed tantum à Deo omnipo-

tēn-

tente; quia quamuis cognitiones obiectorum creatorũ ab ipsis obiectis efficienter proueniant mediate medijs scilicet speciebus impressis, seu productis ab ipsis obiectis, nõ tamen cognitio personalitatum diuinarum ab ipsis personalitatibus; quia nullo fundamento dici potest speciem, qua Trinitas cognoscitur esse ab ipsis personalitatibus cum ad productionem illius sufficiat Deus, vt omnipotens, imò ab eis, vt ab obiectis nequit produci, vt diximus in præcedentibus, ob quòd Augustinus in Enchirid cap. 38 & Theologi ex ipso docent opera Trinitatis ad extra esse indiuisa, id est, tantum procedentia à principio omnibus communi, & ob id etiam in cap. *Firmiter* de Summ. Trinitat. quòd est Concilij Lateranensis sub Innocentio III. tres personæ dicuntur vnum principium vniuersorum.

Deinde quod à viatore, nequeat euidenter demonstrari, seu euidenter deduci esse Trinitatem ex creaturis, quatenus essentialiter respiciunt Trinitatem, vel tamquam obiectum, vel tamquam terminum, vel tamquam finem, vt visio beatifica, & actus fidei diuinæ, & species intelligibilis Trinitatis, & gratia, & charitas, & charitatis dilectio, & vnio hypostatica cum ipsis tribus Diuinis personis, & quæcunque relatio creata effectus, quæ sit, aut esset ad Trinitatẽ causam alicuius effectus, tamquam ad terminum ipsius relationis creatæ, ex eo probatur; quia prædictæ creaturæ, vt sic nõ sunt medium, ita attinens ad Trinitatem, sicut proprius effectus ad suam causam, & sicut causa necessaria attinet ad suum effectum; quia effectus est aliquid causæ, & quasi proles, & fructus illius, & causa est principium, & quasi semen effectus, inter effectum enim proprium, & inter causam, non solùm est connexio, sicut etiam est inter prædictas creaturas, & inter Trinitatem, sed etiam est affinitas quædam, nõ verò inter supradictas creaturas, & inter Trinitatem: quia visio Trinitatis nõ est aliquid Trinitatis, sicut effectus propriusest suæ causę, & sic de reliquis supra dictis, ob quòd hæc omnia supradicta possunt dici medium extrinsecum: effectus verò proprius medium intrinsecum suæ causę, & causa sui effectus, non quia effectus sit intrinsecus suæ causæ, nec causa sit intrinseca suo effectui (ob quod, nec causa generat notitiam euidentem sui effectus, prout est in se, seu intuitiuam, nec è contra, sed abstractiuam) sed quia habent inter se dictam affinitatem, quàm nõ habent creaturæ, vt essentialiter respicientes Trinitatem prędictis modis, & Trinitas ipsa, & ideò notitia Trinitatis deducta, seu abstracta ex dictis creaturis, adhuc intuitiuè cognitis, quamuis ad eam conuincatur intellectus, ob necessariam connexionem inter dictas creaturas, & inter Trinitatem, non mi-

nus ac quando credit esse Romam, imò magis, & certo, non tamen est euidens; quia est ex medio minus attinente ad Trinitatem, quã causã ad suum effectum proprium, & è contra: euidentia autem causæ ex suo proprio effectu habita, videtur esse in infimo gradu euidentiæ, ac proinde notitia Trinitatis deducta ex dictis creaturis, non attingit euidentiam, adhuc abstractiuam, aut si in ea notitia est aliqua euidentia, est multo minor, quàm euidentia cognitionis causæ deducta ex proprio effectu, & talis vt non mereatur simpliciter nomen euidentiæ, & cuius nec Aristoteles meminit, qui nullum alium syllogismum appellauit demonstrationem nisi procedentem à causa ad effectum, quem appellauit demonstrationem *propterquid*, aut procedentem ab effectu ad causam, quem appellauit demonstrationem *quia*, & ad has duas demonstrationes reducitur syllogismus ducens ad impossibile, qui tãtum est demõstratio, quãdo per eum tẽditur ad impossibile, seu repugnans subiecto cõclusionis aut ratione causę, vel quasi causæ, aut ratione effectus, vel quasi effectus.

Syllogismus autem ille in quo ex vniuersali deducimus singulare, vel particulare, vt quando dicimus omnia, quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se, sed hæc sunt æqualia vni tertio: ergo sunt æqualia inter se; & quando dicimus omnis homo est animal, Petrus, vel hic homo est homo: ergo Petrus, vel hic homo est animal, non est propriè demonstratio faciens scire, quamuis sit cuidẽs; quia in dictis conclusionibus nihil noui colligitur, quòd non fuerit inclusum in maiore propositione, quia qui dicit omnia æqualia vni tertio sunt æqualia inter se, eo ipso dicit hæc, & illa æqualia vni tertio sunt æqualia inter se, & qui dicit omnis homo est animal, eo ipso dicit hunc, & illum hominem esse animal.

Et ob prędictam rationem ex testimonio Dei euidenter noto dicentis se esse trinum, nequit abstrahi, seu deduci cognitio euidens Trinitatis; quia testimonium Dei, nec est causa, nec effectus Trinitatis: imò multo minus attinet, & magis extrinsecum est ad Trinitatem, quàm visio Trinitatis ad ipsam Trinitatem visam: Vnde quamuis hæc consequentia, seu illatio sit euidens, & conuincens intellectum, Deus dicit se esse trinum: ergo est trinus, & antecedens etiam ut euidens, consequens tamen non est euidens intrinsecè, seu in se ipso, ideſt, ipsa connexio prędicati cum subiecto ipsius cõsequẽtis, seu conclusionis non est euidens, sed tantum est euidens extrinsecè, seu in attestante, ideſt, tantum est euidens connexio totius propositionis consequentis cum testimonio Dei cum quo necessario

(quam-

quamuis extrinsecè) connectuntur; quia necessarium est, quòd fiat, quòd Deus dicit esse: vnde in bona cõsequentia, & euidente, quamuis ex vero inferatur verum, sed non ex euidente euidens, plura ex his quæ hactenus dicta sunt a nobis tract. de Incarnat. disp. 8. diffi. 12. ea nunc repetimus; quia necessaria sunt ad præsentes diffic.

Et ob eandem dictam rationem ex memoria visionis Trinitatis, nequit deduci, seu abstrahi cognitio euidẽs Trinitatis (quamuis ad id cõuincat intellectum) quia scilicet memoria Trinitatis, nec est causa, nec effectus Trinitatis, imò minus attinet ad Trinitatem, quàm visio ipsa Trinitatis.

Et ob eamdem rationem ex vnionibus hypostaticis cum tribus personis, non posset euidenter cognosci esse Trinitatem; quia scilicet prædicti modi vnionis, non essent causa, nec effectus Trinitatis.

Addimus autem primò, quod quamuis ex dictis tribus vnionibus, seu modis intuitiuè cognitis posset euidenter cognosci esse Trinitatem (quòd non admittimus) sed non mysterium Trinitatis; quia istud cõsistit in eo, quòd in eadem deitate sint tres personę, & non plures, nec pauciores, & eis tribus vnionibus, quamuis cognoscerẽtur esse tres personas, non tamen non esse aliam.

Addimus secundò, quòd quamuis ex eis tribus modis vnionis, & ex actu fidei Trinitatis, & ex visione beatifica intuitiuè cognitis, euidenter cognosceretur esse Trinitatem, viator tamen qui sic Trinitatem euidenter cognosceret, non desineret esse viator, & fieret beatus; quia tres dicti modi, & actus fidei Trinitatis, & visio beatifica, possunt intuitiuè, seu per proprios species infusas cognosci absque eo, quod Trinitas intuitiuè videatur (in quo sita est nostra Beatitudo) vt dicimus Tractat. de Incarnatione disp. 8. difficul. 12. quia intuitio earum creaturarum, nec est formaliter intuitio Trinitatis; quia Trinitas est extra essentiam earum creaturarum, nec ad earum intuitionem est necessaria comitanter intuitio Trinitatis; quia absque dubio omnia intrinseca earum creaturarum possunt videri Trinitate tantum quoad existentiam euidenter cognita.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in Deo sint notiones?

NOmine notionis ab Scholasticis intelligitur, ratio aliqua, seu nota conueniens, aut vni personæ Diuinę per quam intellectu nostro, seu ratione nostra dignoscitur, seu discernitur ab alijs duabus, aut conueniens duabus per quam hæ duæ personæ dignoscuntur, seu discernũtur ab alia tertia persona. Ratio verò, quæ omnibus tribus personis conuenit, non dicitur ab Scholasticis notionalis sed essentialis; quia per eam vt pote communem tribus personis, nequit vna persona cognosci distincta ab alia. Vnde quamuis ab Aug. 5. de Trinitate c. 6. *notio* sumatur pro cognitione, seu conceptu formali prædictæ rationis, nihilominus exinde ab scholasticis sumpta est pro ratione ipsa obiectiua, & cognita propria vnius, aut duarum personarum, & in abstracto significata; quia significãda est, vt forma, qua vna persona dignoscatur distincta ab alijs duab⁹, vel qua duæ personæ dignoscantur distinctę ab alia tertia, & pro forma, seu ratione pertinente ad originem, quia per eam fit dictadiscretio, personæ autem discernuntur per origines, aut per rationem pertinentem ad origines.

Circa difficultatem ergo, contra Præpositiuum, & Gregorium conueniunt reliqui Scholastici in Deo, concedendas esse notiones. Et meritò, quia eas admittunt Iustinus, Basilius, Nissenus, Epiphanius, Cyrillus, & alij Patres, quos refert Ruyz disp. 46. sect. 1. & 2. Et ratione manifesta constat; quia Personæ Diuinę re ipsa distinguuntur inter se, & vt tales cognoscuntur, & dignoscuntur per rationes aliquas conuenientes, non omnibus, sed aut vni, & non alijs duabus, aut duabus, & non alij tertiæ, rationes autem istæ quibus dignoscuntur, sunt, & dicuntur notiones: ergo notiones non sunt Deo denegandæ.

DIFFICVLTAS VI.

Quot sint notiones in Deo?

COnueniunt Theologi ad minus esse quatuor notiones in Deo; nempè paternitatem conuenientem soli Patri per quam dignoscitur, seu discernitur distinctus à Filio, & ab Spiritu Sancto, & filiationem conuenientem soli Filio, per quam dignoscitur distinctus à Patre, & ab Spiritu Sancto, & spirationem actiuam conuenientem Patri, & Filio per quam dignoscuntur distincti ab Spiritu Sancto, & processionem, seu spirationem passiuam conuenientem soli Spiritui Sancto, per quam discernitur à Patre, & à Filio, quæ amplius ex dicendis constabunt.

Ratio autem, quæ vniuersalitate est communis alicui ex prædictis notionibus, vt relatio, quę est communis, v.g. paternitati nō est notio distincta â notione ipsa in particulari in qua includitur; quia est quidam gradus notionis in particulari in ea inclusus, vniuersale autem non auget numerum cum particulari, imò per rationem cōmunem relationis, Pater non dignoscitur a Filio, nec ab Spiritu Sācto; quia etiam ipsi sunt relati sicut Pater. Origines etiam prout distinctæ à relationibus, aut non sunt notiones; quia nostro modo concipiendi sunt quasi viæ, & non sunt rationes in facto esse, aut si sunt notiones, nō sunt distinctæ ab ipsis relationibus, aut saltem ad relationes reducuntur, & quia sunt quasi viæ ad ipsas relationes; & quia eodem modo personæ dignoscuntur per origines ac per relationes, & ob hanc posteriorem rationem personalitates nō sunt notiones distinctę à relationibus, & ab originibus, excepta personalitate Patris, vt statim dicemus; quia est prima, & constituens primū principium, & fontem totius diuinitatis.

Hoc ergo supposito, controuersia est (& non parum de nomine) an sint plures notiones quam quatuor.

Scot. in 1. d. 28 q. 1. existimat esse sex, superaddens innascibilitatem (quæ est omni moda improducibilitas) conuenientem soli Patri, & inspirabilitatem (quæ est negatio spirationis passiuæ (conuenientem Filio; quia per innascibilitatem Pater dignoscitur à Filio, & ab Spiritu Sancto, & per inspirabilitatem Filius dignoscitur ab Spiritu Sancto.

Gab. in 1 d. 28. q. vltima, ar. 2. & 3. existimat tántum esse quatuor supra dictas notiones, non admittens innascibilitatem Patris,

& inſpirabilitatẽ Filij eſſe notiones; quia ſunt negationès, ac proinde nullam dicentes dignitatem, ſeu perfectionem.

S. Th. verò q. 32. ar 3. & ibidem Cai. Canar. & recentiores Thomiſtę, Vazq. diſp. 137. Suar. lib. 5. c. 10. Zuñiga diſp. 7. dub. 4. Gran. Tract. 7. diſp. 2. Ruyz diſp. 47. ſect. 1. Alarcon diſp. 5. c. 7. Perez diſp. 7. ſectione vltima, & communiter Theologi, docent & merito notiones in Deo eſſe quinq; & non plures, nec pauciores, nempè innaſcibilitatem, paternitatem, filiationem, ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſsiuam.

Pro cuius intelligẽtia, & probatione obſeruandum eſt ad rationẽ notionis, vt ſumitur ab ſcholaſticis, nõ ſufficere quod per eam perſona diuina nobis innoteſcat, aut dignoſcatur ab alia, aliàs ingenerabilitas conueniens Spiritui ſancto eſſet notio, & etiam ingenitiuum conueniens Filio, & etiam improductiuum ad intra conueniens Spiritui ſancto, quod eſt contra communem Theologorum ſensũ, (qui eſt maximi ponderis in difficultate, quæ non eſt parum denomine) ſed etiam eſſe neceſſarium, quòd ſit ratio, quæ formaliter ſit dignitas, ſeu perfectio (vt docent communiter Theologi) ſicut & perſona cuius eſt notio dignitatem aliquam præſefert, ac proinde, quòd ſit ratio poſitiua; quia negatio formaliter non eſt dignitas, ſeu perfectio, aut ſi ſit negatio, ſaltem requiritur, quòd indicet dignitatem aliquam, & rationem aliquam poſitiuam.

Noſtra ergo, & communis ſententia probatur: & in primis eſſe quinque prædictas notiones; quia ex dictis conſtat quatuor relationes reales, nempè paternitatem, filiationem, ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam dici, & eſſe notiones; quia quælibet ex illis eſt ratio poſitiua, & dignitas, ſeu perfectio non conueniens omnib⁹ perſonis, ſed vni, aut duabus per quam vna, aut duæ perſonæ dignoſcuntur ab alia, aut ab alijs duabus, & præter has quatuor rationes poſitiuas, eſt alia quinta ratio poſitiua in Patre, qua in priori rationis ante generationem actiuam Filij, & ante paternitatem, vt paternitatem conſtituitur prima perſona Diuina omnino à ſe exiſtẽs, ſeu à nullo producta, quæ ratio ad dignitatem perſonæ Patris pertinet, & non explicatur ſufficienter paternitate, & per quã perſona Patris, etiam dignoſcitur à perſona Filij, & à perſona Spiritus ſancti, quæ non omnino à ſe ſunt cum ſint ab alio, Filius, videlicet à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre, & Filio, ac proinde in Patre, nõ tantum paternitas, ſed etiam prima perſonalitas ſunt notiones; & hęc prima perſonalitas eſt prior notione paternitatis; quia hæc eſt poſt generationem, & prima perſonalitas eſt prior generatione, ad

quam

quam conſequitur paternitas: quomodo autem prima perſonalitas qua conſtituitur perſona Patris, & paternitas diſtinguantur dixim. diſp. 4. dif. 4.

Hæc autem prior notio Patris, nomine innaſcibilitatis ſignificatur non formaliter, & expreſſè; quia ſic tantum ſignificatur, negatio vtriuſque productionis paſſiuæ per quam denotare, & ſignificare intendimus rationem illam poſitiuam conſtitutiuam perſonæ Patris, ſed materialiter, quamuis directè; quia ſicut per illam negationem rationem illam poſitiuam cognoſcimus, ita etiam nomine ipſo innaſcibilitatis rationem illam poſitiuam ſignificamus, & modo dicto denotamus. Negatio verò ipſa vtriuſque dictæ productionis paſſiuę, nomine innaſcibilitatis ſignificata, aut non eſt notio; quia formaliter non eſt dignitas, ſeu perfectio aliqua perſonæ, aut ſi eſt; quia indicat rationem illam poſitiuam, ſi id ſufficiat, quòd abſque fundamento dicetur, non tamen erit diſtincta notio ab ipſa ratione poſitiua, ſeu dignitate, quàm indicat, & in qua ipſa negatio fundatur, ſed ad eam reducitur; quia tantum erit notio ex eo, quòd ſit indicium illius, & fundetur in ipſa, & ex ipſa quaſi oriatur.

Deinde præter dictas quinque notiones, nō eſſe aliā probatur; quia præter dictas quinque rationes poſitiuas, per quas perſonæ dignoſcū tur, ſeu diſcernuntur, nō requiritur alia ratio poſitiua notio autē in ſola ratione poſitiua, per quā vna perſona dignoſcitur ab alia, vel ab alijs cōſiſtit, aut ſi etiā in negatione, nō tamē in quacūq; vt conſtat ex ſupra adducta obſeruatione, ſed tātum in ea, quæ rationē poſitiuam indicat, & in qua fundatur, & ob id nō debet numerari, vt diſtincta à ratione poſitiua, quàm indicat.

Ex quo cōſtat inſpirabilitatem filij, & ingenerabilitatem Spiritus ſancti nō eſſe notiones; quia nō ſunt rationes poſitiuæ, aut ſi ſint notiones; quia inſpirabilitas indicat in filio, in filiationem, & ſpirationem actiuam, & ingenerabilitas in Spiritu ſancto indicat ſpirationem paſſiuam, ſed nō erunt notiones diſtinctę ab eis, quas indicant, nec vt diſtinctæ ab eis numerabuntur.

Et ob eaſdem rationes ingenitiuum in filio, & improductiuum ad intra in Spiritu ſancto non ſunt notiones, aut ſaltem non ſunt diſtinctæ à dictis notionibus poſitiuis Filij, & Spiritus ſancti, quarum ſunt indicia. Ratio autem Verbi, & ratio imaginis in Filio qui eſt Verbum perſonę Patris, & imago perſonæ Patris, nō ſunt notiones diſtinctę à filiatione; quia ab ea nō diſtinguūtur, adhuc noſtro modo cōcipiendi; quia filius formaliter eſt Filius Patris, quia eſt Imago Patris, vt dixim. diſp. 1. dif. 6. & 7. & ideò eſt formaliter Imago Patris

quia est Verbum Patris, tam quam obiecti dicti à Patre; quia Verbū intellectus est formaliter, imago, aut substantialis vt in Diuinis, aut accidentalis vt in creatis; ratio etiam doni in Spiritu Sancto, non est notio distincta ab spiratione passiua; quia supra illam tantū addit relationem extrinsecam, seu rationis, vt dicemus disp. 8. diffi. 10. ratione cuius nihil dignitatis, seu perfectionis aduenit Spiritui Sancto.

Ex dictis constat ratio, & differentia ob quam innascibilitas in Patre sit notio Patris, non verò inspirabilitas in Filio, nec in generabilitas in Spiritu Sancto: & etiam constat solutio ad rationes pro Scoto, & pro Gab.

DISPVTATIO SEXTA.

De persona Patris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Pater sit principium Deitatis?

SVpponimus Patrem, seu primam personam in Diuinis esse verum Deum, vt constat ex illo Ioan. 1. *Et Verbum erat apud Deum*, id est apud Patrem, & ex illo Ioan. 6. *Hunc enim*, ideſt Christum *Pater signauit Deus*, & ex illo Ioan. 17. *Vt cognoscant te solum Deum verum*, loquitur autem Christus ad Patrem, & ex illo Ioa. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.*

Est autem difficultas, an Pater ita sit Deus, vt sit etiam principium Deitatis.

Ratio difficultatis pro parte negatiua est; quia Deitas à nullo producitur: ergo nullum est principium illius.

Nihilominus dicendum est Patrem esse principium, fontem, & originem Deitatis, ita dicitur in Conc. Toletano 6. cap. 1. & vndecimo in confessione fidei, & in Vvormacienſi in confessione fidei, & in Florentino sessione 24. & à Dionysio 2. de Diuinis nominibus & ab Aug. 4. de Trinitate cap. 2. & ab Athanasio in oratione cōtra Grẹgales Sabellij.

Dicitur autem Pater principium, fons, & origo Deitatis, non quia Deitas ab ipso procedat, seu producatur (ex quo constat ad ratio-

tionem difficultatis pro parte negatiua) ſed quia eſt principium à quo procedunt Diuinæ perſonæ, quibus ab ipſo communicatur Deitas.

Vnde etiam Filius poteſt dici principium Deitatis; quia etiam eſt principium à quo procedit Spiritus Sanctus cui communicatur Deitas: nihilominus eſſe principium Deitatis ſpecialiter tribuitur Patri, & quia eſt principium primum; & quia eſt principium vniuerſale, id eſt omnium perſonarum quibus communicatur Deitas, ad ſignificandum autem Patrem eſſe primum principium Deitatis, dicitur fons Deitatis à Concilio Toletano 6. & 11. & à Florentino, & à Dionyſio, & ab Athanaſio, & ab Auguſtino vbi ſupra: & ad ſignificandum Patrem eſſe principium *vniuerſale*, dicitur fons Deitatis à Concilio Toletano 6. & 11. & ab Auguſtino, & dicitur principium totius Trinitatis à Concilio Vvormacienſi, non quia ſit principium ſui, ſed vel quia multiplicatio perſonarum ab ipſo ducit originem, vel quia in tota Trinitate Pater eſt primum principium eo ſenſu, quo prima vnitas dicitur principium numeri, verbi gratia, Ternarij, non quia etiam ſit principium ſui; ſed quia inter tres vnitates, quibus conſtat Ternarius illa eſt prima, ſeu obtinet primum locum.

Obſeruat autem Sanctus Thomas quæſtione 33. artic. 1. ad 2. quòd quamuis Pater dicatur principium Filij, & Spiritus Sancti, quo Patri non nihil authoritatis attribuimus: Filius tamen, & Spiritus Sanctus non dicuntur principiari (niſi à Durando, & aliquando à Græcis) ne eo modo loquendi inferioritatem aliquam Filio, & Spiritui Sancto attribuamus.

Ex eo autem, quòd Filio attribuamus eſſe principium Spiritus Sancti, & Patri eſſe principium Filij, & Spiritus Sancti, non attribuimus eis notionem aliquam diſtinctam à ſupra dictis; quia nomini principij tantum attribuimus Filio ſpirationem actiuam, & Patri tantum attribuimus Paternitatem, & ſpirationem actiuam, nec nomine *primi*, adiuncto nomini principij attribuimus Patri aliam notionem, quam innaſcibilitatis; quia eo nomine *primi* tantum denotatur perſonam Patris eſſe omnino à ſe & non ab alio productam, quòd nomine innaſcibilis ſignificamus.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quomodo principium in Deo dicatur de principio notionali, & essentiali?

DIfficultas hæc procedit de principio notionali, ideſt perſonarũ & de eſſentiali, ideſt creaturarum, prout à nobis cõcipiuntur diſtincta; quia cõcepta prout in ſe ſunt, potius ſunt vnum, quã vniuocata, & quã æquiuocata, aut analogata; quia concepta prout in ſe ſunt, ſunt omnino idem, vbi autem non eſt pluralitas ſub eodem nomine, aut termino non eſt vniuocatio, & multo minus æquiuocatio, & analogia.

Circa hanc ergo diffic. Henric. quidã Anglic. vt ex Aureol. refert Capreo. in 1. d. 25. q. 1. ar. 2. exiſtimat principium dici vniuoce de principio notionali, & de eſſentiali, vt cõceptis à nobis, quòd etiam exprimit Gran. tract. 8. diſp. 3. quia quod principium notionale ſit reſpectu alicuius in eadem natura, & principium eſſentiale reſpectu alicuius in diſtincta natura, nõ obſtat vniuocationi, ſicut efficere aliquid in natura diuerſa ſecundum ſpeciem, vel in eadem ſecundum ſpeciem non obſtat vt cauſa, & principium efficiens vniuoce, cõueniat ſoli, & omni.

S. Th. verò Bonau. Scot. Dur. Capr. Gab. Argen. in 1. d. 29. Vaz. diſp. 139. Tur. diſp. 16. dub. 1. Ruiz diſp. 48. ſect. 2. & cõmuniter Theologi, docent non dici vniuocè, & merito, quia principium notionale, vt quòd includit eſſentiam diuinam, & perſonalitatem diuinã, & nullatenus relationem rationis, principium verò eſſentiale eſt ipſa potẽtia Dei, aut ipſe Deus potens, includens relationẽ ad creaturas poſsibiles, enti autẽ purè reali, & enti includẽti relationem rationis nequit dari vna ratio communis, ſeu vnus cõceptus obiectiuus cõmunis: vnde ad rationem in oppoſitum conſtat vniuocationi, obſtare, quod principium notionale ſit purè reale, & quòd eſſentiale includat relationem rationis.

Sed an principium dicatur æquiuocè, vel analogicè de vtroq; dicto principio ſub cõtrouerſia eſt, qui Gab. exiſtimat dici æquiuocè cuius nõ affert, nec apparet ſufficiẽs fundamentũ. Reliqui verò Doctores noſtræ ſentẽtiæ exiſtimãt dici analogicè, quòd verosimilius apparet; quia principiũ notionale, dicitur principiũ, ſeu gaudet nomine principij ob ſimilitudinẽ cũ eſſentiali (in quo cõſiſtit analogia attributionis) quia ob ſimilitudinem in potente producere cũ prin-

ci-

cipio eſſentiali prius cognito, & prius impoſito ad ſignificādum id quod eſt potēs producere, extenſum fuit nomē principium ad ſignificādum id quod eſt potens notionaliter producere: cui nō obſtat quod admittatur principiū notionale eſſe perfectius eſſentiali; quia id nō tollit nomē principium fuiſſe extēſum ad notionale obſimilitudinēm cum eſſentiali, in quo cōſiſtit analogia attributionis, præſertim quod difficile eſt, quòd principiū notionale ſit perfectiꝰ eſſentiali, etiam ſi terminus productionis proueniēs a principio notionali, nempè perſona diuina ſit perfectior, & infinite, termino producto à principio eſſentiali, nempè creatura, eſt autem difficile quod notionale in ſe ſit perfectius eſſentiali; quia eſſentiale ad minus includit eſſentiam diuinam, quæ non eſt minus perfecta, quā eſſentia, & perſonalitas, quas includit principium notionale, vt quod.

Circa nomen *initium*, vt optimè Vaz. Ruiz, & Gran. exiſtimamus Patrem, non eſſe abſolutè dicendum initium Filij, nec Spiritus Sancti, nec Filium initium Spiritus Sancti; quia nomen initium quando aliud nō explicatur regulariter, ſignificat non principium originis, ſed principium durationis, quòd nulla perſona diuina habuit: quòd ſatis ſignificat Hilar. 4. de Trinitat. dum de Filio ait non ipſum ab initio, ſed ab initiabili, Eccleſ. autem 24. vbi de ſapientia genita dicitur ab initio creata, ſeu genita, illa particula *ab initio* idem ſignificat quod ab æterno.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Pater dicatur Author, & cauſa Filij, & Spiritus Sancti?

CIrca nomen *Author* abſq; controuerſia eſt, Patrem dici Authorem Filij, & Spiritus Sancti, ita Athanaſ. dialog. 1. contra Macedonium, Nazian. orat. 29. Euſeb. Cæſar. lib. 4. demonſtrationis Euang. c. 3. Hilar. 4. 6. & 7. & 9. & 12. de Trin. Aug. lib. 4. cōtra Maximinum c. 14. S. Th. in 1. d. 29. q. 1. ar. 1. Vaz. diſp. 139. c. 6. Sua. lib. 8. c. 3. Turr. diſp. 16. dub. 1. Beecan. c. 4. q. 5. Ruiz diſp. 49. ſect. 1. Granad tract. 8. diſp. 3. & communiter Scholaſtici, quia nomen *Author*, ita ſignificat rationem principij, vt nullam connotet imperfectionē in perſona producta.

Eſt tamen aliqualis controuerſia, an etiam Filius dicatur Author Spiritus ſancti.

S. T. vbi ſupra, & Cai. q. 33. ar. 1. id negāt; quia ipſis videtur quod

nō;

nomẽ *Author* significat principium primum, seu quòd nõ est ab alio quòd non conuenit Filio.

Hilarius verò lib. 2. de Trinitate id admittit, & eum sequuntur Vazquez, Turrianus, Beccanus, Ruyz, & Granadus vbi supra: & merito, quia nullum est fundamentum ob quod dicatur, quòd nomen *Author* significet primum principium, & ideò Pater dicitur *Author*, sine *Authore*, vt eo addito *sine Authore* denotetur esse primũ principium, Filius verò dicitur *Author de Authore*, vt eo addito *de Authore*, denotetur, quod quãuis sit principium, sed non primum: & quidem Doctores sequentes aliquam opinionem omnes etiam vltimus dicuntur Authores illius, & primus qui illam tradidit, dicitur *Author* primus, quo addito *primus*, denotatur etiam sequentes post primum dici Authores.

Circa nomen *causa* maior est controuersia; quia Patres Græci, vt referunt Concilium Florentinum in litteris vnionis Sanct. Thomas q. 33. ar. 1. Vazquez numero 18. & Ruyz sect. 4. vtuntur nomine *causa*, sicut & nomine principium, & eodem vtuntur nõnulli Latini, vt refert Ruyz.

Patres verò Latini communiter vtuntur nomine *principium*, & abstinent à nomine *causa*, & etiam nonnulli Græci, vt aduertit Ruyz, & id Approbant Eugenius Quartus in Concilio Florentino in litteris vnionis, etiam si non reprobet nomen *causa*, & communiter Scholastici, & id est securius, quia nomen *causa*, absque limitatione prolatum, denotat distinctionem in natura à causato, quàm nõ denotat principium; quia punctum dicitur principium lineæ, & prima pars aliquota lineæ dicitur principium ipsius lineę, in quibus non est natura distincta ab ipsa linea.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo ingenitum sit proprium personæ Patris?

ARiani, vt significarent Filium esse creaturam, à Patre factum, & creatum, & non eiusdem naturæ, seu substantiæ cum ipso, appellabant Patrem *ingenitum*, sumentes *ingenitum* pro increato, & dicebant solum Patrem esse *ingenitum*, seu increatum, & ob id nõnulli ex patribus antiquioribus dictã vocem nõ admittebãt; quia ex vna parte in scriptura nõ reperiebatur, & ex altera ab hæreticis calli dè introducebatur ad significandum prædictum errorem.

Iam verò Patres, tàm Græci, quàm Latini vocem *ingenitum*, ab s-

abſque ſcrupulo,& ſuſpicione admittunt,& illud ſoli Patri accommodant,nõad ſignificãdam negationem creationis paſsiuæ,vt ſumpſit Aug.lib.5.de Trinit.c.3.& 6.& 7.& lib.15.c.26.quia vt ſic non ſolum conuenit Patri,ſed etiam Spirituiſancto,ſed ad ſignificandã negationem cuiuſcũque productionis paſsiuæ;quia vt ſic conuenit ſoli Patri;quia ſolus ille eſt omnino improductus, & in hac acceptione tribuitur Patri,vt ipſi propria à Concil. Toletanis 6.& 11.& Vuormacienſi in confeſſionibus fidei,& à Damaſo in Symbolo ad Hier.à Nazianz orat.13.à Baſil.lib.1.& 2.contra Eunomium, vbi etiam vtitur nomine *innaſcibilis*,à Fulg ad 7.obiectionem à Damaſceno lib.1.c.9.ab Hilar.4.& 9.de Trin.vbi etiam vtitur nomine *innaſcibilis*,& ab alijs Patribus,quos refert Ruyz diſp.52.ſect.3.ex quibus nõnulli etiam vtũtur nomine *innaſcibilis*,quo ſcholaſtici frequẽtius vtuntur ad idem ſignificãdum,nempè *omnino improductũ*,quòd ſoli Patri conuenit.

Ita tamẽ ingenitum,ſeu innaſcibile cõuenit Patri,& nõ Spirituiſancto,vt Spirituiſancto nõ attribuatur eſſe genitum;quia genitum in omni acceptione,nõ ſumitur pro producto quouis genere productionis vno,aut alio,qua ratione cõuenit Spirituiſancto,& opponitur cõtradictorie ingenito,quòd ſoli Patri cõuenit ſed tantum pro producto per propriam generationem, qua ratione nõ conuenit Spirituiſancto,ſed tantum Filio.

Supereſt tamen inter ſcholaſticos controuerſia,quid ſignificet nomen *ingenitum*,ſeu *innaſcibile*;quia non defuerunt, vt refert Bonauentura in 1.d.28.q.1.qui affirmarunt nomen *ingenitum* in Patre formaliter ſignificare relationem realem poſitiuam terminatam ad Filium,& Spiritum ſanctum, vt ingenitores ; quia exiſtimabant Patrem,non ſolum referri relatione genitoris, ſeu producentis ad genitum,ſeu productum,ſed etiam relatione ingeniti ad Filiũ & ad Spiritumſanctum,vt ingenitores illius,ea proportione qua quãtitas,nõ tantum refertur,vt æqualis ad aliã,vt æqualem,ſed etiam,vt inæqualis ad aliam,vt inæqualem.

Opinio tamen hęc iam eſt ab omnibus reprobata . Et meritò,quia abſque idoneo fundamento, & contra communem Theologorum conſenſum admittitur quinta relatio diſtincta à quatuor enumeratis diſp.2.imò & contra rationem; quia in creatis vnum, non eſſe productum ab alio,nequit eſſe reſpectus realis:ergo nec in Diuinis,in quibus eſt maior ſimplicitas, & minor pluralitas, quàm in creatis.

Theologi ergo communiter docent ingenitum in Patre exprefſè, & formaliter ſignificare negationem, ſeu carẽtiam omnis

rea-

realis productionis passiuæ, ita S. Th. q. 33. ar. 4. & Thomistæ omnes Scot. in 1. d. 28 q. 2. Capr. q. 1, ar. 1. Durand. q. 1. Bonauen. vbi supra Vaz. disp. 140. c. 3. Sua lib. 8. c. 2. Ruiz disp. 53. sect. 2. & Per. disp. 7. sect. 3. id autem cōstat ex dictis: quia ita à patribus, & ab scholasticis vsurpatur, & nō leuiter significatur in Conc. Tolet. 11. in cōfessione fidei dum dicitur: *Si modum quo Pater cōsistit quæras eum eum à nullo alio ortum videas, ingenitum appellabis*, & à Basil. li. 5. contra Eunomium, dum ait: *Ingenitum quod natū non sit demonstrat*, & à Damas. & ab Aug. vbi supra, & ab alijs Patribus, quos refert Ruiz sect. 2.

Ita tamen ingenitum expressè & formaliter significat carentiam, seu negationem omnis productionis passiuæ, vt etiam significet rationem positiuam propriam Patris, ex qua in Patre oritur, & in qua fundatur dicta negatio (vt docēt S. T. Bonau. Dur. Capr. Vaz Suar. & alij vbi supra) nō formaliter, sed materialiter, quāuis directè, vt de nomine *innascibilis*, dixim. disp. 5. diffi. 6. quia idem omnino vtroq; nomine significatur, & id negari nō potest; quia nomine ingenitū, quamuis expressè significemus dictam negationem, etiam indicamus & significare intēdimus rationem illam positiuam, nempè primam personalitatem propriam Patris, ex qua oritur, & in qua fundatur: sicut nomine *infinitum*, & in nomine *incorruptibile*, etiam si expressè significemus negationem finiti, & negationem corruptionis etiam indicamus, quamuis tantum materialiter, & quasi fundamentaliter positiuum illud oppositum finitati, & corruptioni, sicut per prædictas negationes, vt potè nobis notiores positiuū illud cognoscimus; quia de Deo facilius concipimus, quod non est, quam quod est.

Ratio autem positiua in Patre nomine *ingeniti, & innascibilis* materialiter significata, est entitas paternitatis cōcepta in priori rationis antequā generet, acproinde nō cōcepta expresse, vt paternitas, sed sub alio cōceptu, qua in eo priori cōcipitur cōstitui prima persona, nempè vt prima personalitas, vt dixim. disp. 4. dif. 4. ratione cui ingenitura, seu innascibilitas est notio propria Patris, & distincta à paternitate, vt dixim. in ea dif. 6. disp. 5.

Ex dictis cōstat ingenitum, seu innascibile, quoad vtrūq; significatum, tàm expressum, seu formale, quā implicitum, seu materiale soli Patri cōuenire, & nō Filio, nec Spiritui sancto, etiam si ingenitum prout dicit negationem solius generationis passiuæ conueniat soli Spiritui sancto, sicut inspiratum prout dicit negationem solius spirationis passiuæ conuenit soli Filio.

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De persona Filij.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Filius sit Deus eiusdem naturæ, seu substantiæ cum Patre?

ERror fuit Arij Præsbyteri Alexandr. asserentis Filium non esse Deum eiusdem deitatis, seu naturæ cum Patre, sed fuisse veram creaturam ex nihilo à Deo factum, quem errorem tũc, & postea, & vsque in hodiernũ diem amplexi sunt plures hęretici, quos referũt Vaz. disp. 109. Suar. lib. 2. c. 3. & Ruiz disp. 54. addidit autem Arius filium factum fuisse à Deo in tempore, sed ante hũc mundum, vt per ipsum crearet mundum.

Veritas tamen Catholica est, filium esse verum Deum eiusdem naturæ, seu substantiæ cum Patre, seu ipsi consubstantialem, vt constat ex scriptura Ioa. 4. *Deus erat Verbum* (quòd autem Verbum, sit idem quod filius constabit ex dicendis) Et Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*, Et 1. Ioan. 5. *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus*. Et ad Roman. 9. *Qui est super omnia Deus benedictus*. super quibus videri possunt Vaz. & Suar. vbi supra Ruiz sect. 3. qui plura alia testimonia ad id confirmandum adducunt, & optimè defendunt. Eamdem Catholicam veritatem tradiderunt innumeri Patres Dionysius de diuinis nominibus c. 2. Ignatius in Ep. ad Magnesianos, Sixtus Papa Primus Ep. 1. Iren. lib. 3. c. 6. & plures alij quos referunt Vaz. vbi supra, & Ruiz sect. 8.

Tandem veritas hæc definita est in Concilio Antiocheno 1. cap. 7 & in Concilio Ariminensi, & in Sardicensi, & in Concilio Ephesino sub Cœlestino, & in Calcedonensi, & in Toletano 11. & in alijs quæ referunt Vazquez, & Ruiz, fuit etiam definita à plurimis Summis Pontificibus, à Fœlice Papa, & à Liberio Epistola 11. à Marcelino 1. in Epistola ad Salomonem, ab Anacleto Epistola 2. ab Higinio Epistola 1. & à Ioanne 2. in Epistola ad Valerium. Addimus vt optimè Vazquez capite quinto, Ruyz disputatione 21. sectione 1. antiquos Patres optimè vlos fuisse nomine *homo vsios*, ad significandam consubstantialitatem Filij

cum

cum Patre, quòd Concilium Nicenum inſeruit Symbolo.

Argumenta autem hæreticorum contra hanc veritatem nullius ſunt momenti, videri tamen poſſunt apud Vazquez, & Suarez, & Ruyz.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Filius Dei ſit verè, & propriè Verbum?

OMiſsis varijs erroribus contra Verbum Dei, quos referunt, & refutant Valent. quæſt. 1. puncto 1. & Ruyz diſp. 55. Catholici conueniunt Filium Dei eſſe verè, & propriè Verbum. Et in primis Filium Dei eſſe Verbum eſt de fide Diuina certum, vt conſtat ex illo Ioa. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et ex illo primæ Ioa. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et ex illo Apocalypſis 19. *Vocabat nomen eius Verbum Dei.* Et idem definitur, aut ſupponitur in plurimis Concilijs, & traditur ab innumeris Patribus, de quo videri poſſunt Vazquez, & Ruyz vbi ſupra, & Suarez lib. 9. cap. 2.

Quòd verò Filius Dei ſit Verbum proprie, ſeu abſque metapho ra, nequit abſque errore negari; quia quoties Filius in Scriptura ap pellatur Verbum, intelligitur, & exponitur abſque metaphora; quia abſque fundamento recurreretur ad metaphoram. Quòd etiam ra tione Theologica conſtat; quia Filius Dei procedit, & emanat dictione intellectus, vt poſtea dicemus, aliàs non maiori ratione eſ ſet Filius, quàm Spiritus ſanctus: ergo eſt proprie, & abſque meta phora Verbum: & hac ratione etiam probatur, Filium Dei eſſe pro priè Verbum, prout proprie etiam diſtingui.ur contra communi ter, ſeu latè; quia quòd dictione intellectus emanat, ſpecialiter, & in rigore eſt Verbum, & in hoc nullus eſt Catholicus, qui diſſen tiat.

Obſeruandum tamen eſt, ita Filium Dei proprie appellari Ver bum, vt etiam poſsit propriè appellari ſermo, vt aduertunt Auguſ. Tract. 108. in Ioannem, & Cypria lib. 2. aduerſus Iudæos. Et meri to, quia nomen Græcum *logos*, cui in translatione correſpondet Verbum, idem ſignificat quod Verbum, & ſermo. Fraſmus autem qui in illud Ioa. 1. *In principio erat verbum*, tranſtulit in principio e rat ſermo, malè audit, non quia malè tranſtulerit; ſed quia antiquiſ ſimam translationem abſque fundamento mutauit: & quia in anno

ta-

tationibus illius loci, etiam absq; fundamento dixit melius transferri in sermonẽ quã in Verbũ: præsertim quod Verbũ aptius denotat simplicitatem personæ filij, quam sermo, quia Verbum in rigore vnam tantum, seu simplicem dictionem significat, sermo verò in rigore aggregationem plurium: & ob id non defuerunt, qui notarunt nomen *sermo*, magis accommodari Christo, vt est persona composita ex personalitate Verbi, & ex humanitate, Verbum autem personę Filij secundum se, quamuis etiam huic personæ proprie possit accommodari nomẽ sermonis; quia persona Filij secundum se, est Verbum plurium obiectorum, quæ longo sermone dici possunt.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Verbum in Deo sit personale, an essentiale?

QVamuis Catholici conueniant, quòd Filius Dei sit proprie Verbum, sed an Filio Dei id conueniat notionaliter, seu ratione suæ personæ, an essentialiter, seu ratione essentiæ diuinę non conueniunt.

Dur. in 1. d. 27. q. 3. docet Filio Dei cõuenire esse Verbum, nõ peculiariter ratione suę personæ, sed communiter ratione essentiæ diuinę communis tribus personis, sicut sapiẽtiã, illi tamẽ appropriari, sicut ei accommodatur sapientia: & in primis quod Verbum nõ cõueniat Filio peculiariter, seu notionaliter, probat, quia Filius nõ procedit per intellectum, sed per naturam; quòd verò illi cõueniat essentialiter, seu ratione essentiæ. Probat primo, quia Verbũ nihil aliud est, quã intellectio perfecta, aut quod in intellectione reperitur, sed intellectio perfecta in Deo est communis, & essentialis: ergo & Verbum.

Secundò, quia generatio qua Filius procedit nõ est dictio; quia Pater dicit se ipsum, & Spiritum sanctum, & creaturas, & tamen non generat se, nec Spiritum sanctum, nec creaturas: ergo filius ratione generationis, non habet quòd sit Verbum: ergo ei tantum cõuenit ratione essentiæ.

S. Th. in 1. d. 27. q. 2. ar. 2. Capre. q. 2. ar. 1. Ferra. 4. cõtra gent. c. 13 & Val. in cõtrouersijs lib. 1. de Trin. c. 3. docent Verbum in diuinis esse essentiale, & notionale: & in primis quod sit essentiale probatur rationibus supra adductis: quòd verò etiam sit notionale patet ex eo, quòd Filius procedit per intellectionem.

Nu Ma-

Mag. vero in 1. d. 27. & ibidem Bonau. Scot. & Gab. Vaz. disp. 151. Sua lib. 9. c. 3. Tur. disp. 17. dub. 2. Beca. c. 5. q. 1. Gra. disp. 2. Zuñiga disp. 9. dub. 2. Ruiz disp. 57. sect. 2. & Per. disp. 14. sect. 2. docēt, & merito Verbum tātum cōuenire filio notionaliter, seu personaliter, & nō essentialiter, quod tādem docuit S. Th. 1. p. q. 34. ar. 1. Cai. & Can. & id exprimunt Aug. 5. de Trin. c. 12. & lib. 6. c. 2. & lib 7. c. 1. & 2. Cyril Alex lib. 3. & 7. Thesauri c. 1. & alij Patres quos refert Ruyz sect. 3. & id nō leuiter indicatur Apoc. 19. dum de filio dicitur. *Et nō mētius erat Verbum*, & nō leuiter deducitur ex eo, quod quoties in scriptura fit mētio Verbi Dei ad intra, seu mētalis tantum sumitur notionaliter, & soli filio tribuitur, & nō Patri, nec Spiritui sancto, vt Ioa. 1. & 1. Ioa. 5. & Apocal. 19. alia verò nomina quæ filio, aut alij personæ per appropriationem attribuuntur in scriptura, & à Patribus verè sunt communia tribus personis.

Et ratione probatur; quia Verbum propriè sumptum sua natura dicit realem emanationem à loquēte, seu dicente, vt ex se patet, & ex vsu scripturę, & ex Basil. hom. in illa verba Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, & ab Athanasio in Epist. de sententia Dionysij contra Arrianos, id autem quod in Deo denotat realem emanationem, seu productionem non est Deo essentiale, sed notionale: ergo Verbum in Deo est notionale, & non essentiale, sed solus Filius producitur, & emanat à dicente: ergo ei tantum conuenit esse Verbum: Spiritus autem sanctus dicitur à Basilio quinto contra Eunomium capit. 11. Verbum Filij, quod illi conuenit figuratè non propriè, ex eo quod Spiritus sanctus sua gratia annuntiat hominibus filium.

Ex quibus constat etiam dicere in diuinis esse notionale, & nō essentiale; quia dictio aut est ipsum Verbum, aut quod verius est, ipsa Verbi productio.

Ratio autem qua Dur. probat Verbum nō conuenire peculiariter filio, falsum supponit, vt dixim. disp. 1. dif. 2

Ad priorem ergo rationem, qua probari intenditur Verbum Deo essentialiter conuenire, respondemus non in quacunque intellectione, quamtumuis perfecta repetiri Verbum, sed tantum in ea, quæ est productio, & non quamcumque cognitionem esse Verbum (si verū est Verbum in cognitione cōsistere) sed tantum eam, quæ realiter emanat à dicente, intellectio autem essentialis in Deo non est productio nec realiter emanat, & ita nec ea est Verbum, nec in ea reperitur Verbum.

Et ad posteriorem respondemus negando generationem filij nō esse dictionem, cui nō obstat quod sit dictio Patris, & Spiritus sancti

&

& creaturarum, & nō sit eorum generatio, & productio, sed tantum Filij; quia dictio non est productio eius, quod tantum dicitur, vt purum obiectum, sed illius quod dicitur, tamquam Verbum, seu terminus: in omni enim dictione duplex respectus importatur, vnus productionis ad Verbum quod est terminus productus per illam, & alter intellectionis ad id quod dicitur tamquam obiectum dictum, quod vel est significatum si dictio sit vocalis, vel repręsentatum si sit mentalis, vnde in dictione notionali Patris est respectus, & realis, & intrinsecus productionis ad filium qui est Verbum, ad ipsum autem Patrem, & ad Spiritum sanctum, & ad essentiam, & etiam ad creaturas (si cognitione omnium horum producitur Verbū, de quo diffi. seq.) tantum est respectus extrinsecus intellectionis, tamquam ad pura obiecta.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Verbum Diuinum procedat, seu producatur ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo?

CErtissimum est cognitionem Patris, qua producitur Verbū, ita re ipsa esse perfectam, vt sit cognitio omnium cognoscibilium, non solū eorum, quæ sunt formaliter in Deo, sed etiā omnium creaturarum, non solum possibilium, sed etiam existentium, est tamen difficile quæ obiecta ex dictis sint per se requisita ad cognitionē, qua producitur Verbum, aut quæ ad productionem Verbi præsupponā tur, & ita per se, vt eis deficientibus, aut non cognitis non procederet idem Verbum.

Conueniunt Theologi Verbum, procedere ex cognitione essentiæ, & attributorum vt obiecti per se requisiti, & nō per accidens, aut comitanter se habentis, quod ex dicendis constabit.

Est tamen controuersia, an etiam procedat ex cognitione relationum, & personarum.

Prima opinio est Verbum, procedere per se ex cognitione etiam trium personarum, ita Caiet. q. 34. ar. 3. Sua. lib. 9. c. 4. Zuñiga disp. 9. dub. 3. Ruiz disp. 61. sect. 2. Becan c. 5. q. 3. Mæratius disp. 50. Granadus disp. 5. & Perez disp. 14. sect 5. quibus fauere videtur S. T. q. 34. a. 1. ad 3. dum ait Pater intelligendo se, & Verbum, & Spiritum sanctum concipit verbum.

Et ratione probat. primo quia Pater producit verbū per cognitionē

perfectam intuitiuam, videlicet, & comprehẽſiuam eſſentiæ: ergo etiam trium perſonarum, cõſequẽtia patet, & quia eſſentia eſt re ipſa omnino idem cum perſonis; & quia eſſentia eſt communicabilis tribus perſonis, hæc autem idẽtitas, & communicabilitas, nequit intuitiuè cognoſci, quin etiam cognoſcãtur ipſæ tres perſonæ. Secundò probatur; quia Verbum procedit per cognitionem intuitiuã, & cõprehenſiuam perſonæ Patris: ergo etiam potẽtiæ generatiuæ, & ſpiratiuę; quia ſunt in perſona Patris, ergo & Filij geniti, & Spiritus ſãcti ſpirati: quia dictę potentiæ nequeunt intuitiuè, & comprehenſiuè cognoſci, niſi cognitis ipſis perſonis, quarum ſunt potentiæ productiuæ.

Secunda opinio eſt, Verbum procedere per ſe ex cognitione perſonarum Patris, & Filij, & nõ ex cognitione Spiritus ſancti, ita Vazq. diſp. 42. Tur. diſp. 18. dub. 1. & 2. & Alar. diſp. 8. c. 7. & 8. & in primis, quod procedat ex cognitione perſonæ Patris poſtea probabitur: quòd verò etiam procedat ex cognitione ipſius Verbi, ſeu Filij probatur; quia productio Verbi eſt intellectio: ergo productio Verbi eſt intellectio ipſius Verbi: quòd verò nõ procedat ex cognitione Spiritus ſancti poſtea probabitur.

Tertia opinio eſt, Verbũ nõ procedere per ſe ex cognitione alicuius perſonæ, ſed tãtum eſſentiæ diuinæ (ſub qua comprehẽdimus omnia attributa & eſſentialia Dei) etiamſi perſonę diuinæ comitanter cadant ſub cognitione, qua Verbum, aut quæ ad Verbi proceſsionem ſupponitur, ita inſinuat Scotus in 2. d. 1. q. 1. & quodlibet. 14. & in alijs locis; quòd autem Verbum non procedat per ſe ex cognitione perſonarum; probatur, quia in eo priori rationis ante productionẽ Verbi, nõ ſunt paternitas filiatio, & ſpiratio paſsiua: ergo nequit ex earum cognitione procedere.

Quarta opinio nobis probatur aſſerentium, Verbum procedere ex cognitione perſonæ Patris, nõ verò Filij, nec Spiritus ſancti, ita Ægid. Luſit. to. 1. de Beatit. lib. 5. q. 14. ar. 4. §. 5. in fin. quod ſatis indicat Aug. lib. 15. de Trin. c. 14. dum ait Patrem ſe ipſum dicendo producere Verbum ſibi æquale.

Et in primis, Verbum nõ procedere ex cognitione Spiritus ſancti, tanquam obiecti per ſe requiſiti (in quo nobiſcum cõueniunt Scot. Vaz. Tur. & Alarc.) probatur primo ab abſurdo; quia ſi Verbũ procederet ex cognitione Spiritus ſancti, vt obiecti per ſe requiſiti, eſſet imago Spiritus ſancti, quod eſt abſurdum vt videbimus diſ. 9. cõſequentia cõditionalis probatur; quia Verbum etiam creatum eſt, imago eius à quo procedit, tãquam ab obiecto per ſe requiſito, ſi aliàs re, ipſa diſtinguitur ab ipſo.

Se-

Secundò idem probatur à priori; quia etiam si per impossibile non cognosceretur Spiritus sanctus, nihilominus intellectus Patris ex cognitione intuitiua ipsius personæ Patris, produceret Verbum suæ personę, & sibi consubstantiale, non minus quam intellectus creatus cognitione obiecti producit Verbum ipsius obiecti cogniti: ergo Verbum Diuinum, non procedit ex cognitione Spiritus sancti, vt obiecti per se requisiti: consequentia patet; quia etiam nō cognito Spiritu sancto procederet Verbum personæ Patris: imo cognitione Patris, prout à nobis in eo priori concepta, nequit cognosci Spiritus sanctus; quia ex vna parte in eo priori non est, id est, nō concipitur Spiritus sanctus, & ex altera non est terminus talis cognitionis, affirmare autem in eo priori cognosci Spiritum sanctum, vt possibilem, vel vt postea futurum cognitione abstractiua est absurdum; quia intra Deum nihil est purè possibilè, nec futurum: ergo nec cognitio abstractiua alicuius intra Deum; quia quāuis inter ea, quæ verè re ipsa in Deo reperiūtur vnum nostra cōceptione diuidamus ab alio, & vnum sit prius quā aliud, nō tamen inter ea, quæ verè & re ipsa non sunt in Deo.

Quòd verò Verbum non procedat ex cognitione sui, tamquam obiecti per se requisiti, in quo etiam nobiscum conuenit Scotus.

Probatur, quia etiam si per impossibile non cognosceretur Verbum à Patre, sed tantum sua persona, produceretur ab ipso Verbum sui, non minus quam ab intellectu creato producitur Verbum obiecti cogniti, quamuis Verbum ipsum nō cognoscatur, quia producere Verbum, non est formaliter cognoscere ipsum Verbū, sed rem cuius est Verbum (vt contingit in intellectu creato in quo productio Verbi non est cognitio illius, sed tantum rei cuius est Verbum) ac proinde Patrem notionaliter cognoscere se ipsum, nihil aliud est nostro modo concipiendi, & formaliter, quā producere Verbum, seu Imaginem sui: ergo Verbum Diuinum nō procedit ex cognitione sui, tāquam obiecti per se requisiti: cui accedit quod Verbum in eo priori rationis ante sui productionem non est, seu non cōcipitur esse.

Quod autem Verbum procedat ex cognitione personæ Patris, tamquam obiecti sufficientis, & per se requisiti (vt insinuat Augustinus vbi supra.) Probatur & in primis, quòd procedat ex cognitione illius, tamquam obiecti per se requisiti (in quo omnes excepto Scoto conueniunt.) Probatur, quia Verbum, seu filius formaliter, vt est Verbum, seu filius est Imago personæ Patris: ergo procedit ex cognitione illius, vt obiecti per se requisiti. Quòd verò procedat

dat ſufficienter ex cognitione perſonæ Patris. Probatur, quia ex eo ſolùm quod procedat ex cognitione perſonæ Patris habet ſufficienter, quòd ſit Verbum, ſeu Filius illius, quia ex eo ſolum habet ſufficienter, quòd ſit imago conſubſtantialis illius, addidimus *ex cognitione perſonæ Patris*; quia non procedit ex cognitione Patris, vt Patris; quia non eſt Filius Patris, vt Patris; quia non procedit à Patre, vt Patre, tanquam à producente; quia producens filium, noſtro modo concipiendi præcedit Patrem, vt Patrem, ſicut & præcedit filium.

Nomine autem *perſonæ Patris*, cuius cognitionem dicimus, præ requiri per ſe ad productionem Verbi intelligimus etiam deitatem, ex qua perſona Patris etiam conſtat, & omnia alia, quæ ad ipſam Deitatem noſtro modo concipiendi conſequuntur, aliàs Verbum non procederet imago cõſubſtantialis Patri, eiuſdem videlicet Deitatis, & attributorum eſſentialium; quia quæ non producũtur, vt sũt Deitas, & attributa, nequeunt aliter verbo communicari, niſi ipſorum cognitione; ſed quomodo Filius dicatur Verbum Spiritus ſancti dicem. dif. 8.

Et eadem proportione dicẽdum eſt Spiritum ſanctum procedere ex amore notionali eſſentię, & Patris, & Filij, nõ verò ipſius Spiritus ſancti, tanquam obiecti per ſe requiſiti.

Ad teſtimonium ergo S. Th. pro prima opinione adductũ reſpondemus, quòd quãdo S. Pater dixit quod Pater intelligẽdo ſe, & Verbũ, & Spiritum ſanctum concipit Verbum, non loquitur ſolum de obiectis quæ per ſe, & formaliter requiſita ſunt ad conceptionem Verbi; quia S. Thomas ibi eodem modo dixit, Patrem intelligendo omnes creaturas, quæ in ſua ſcientia continentur, concipere Verbum, & tamen creaturæ futuræ, non ſunt obiecta per ſe productionis verbi; quia poſſent non eſſe futuræ, & tamẽ Verbum non potuit non produci, ſed loquitur de obiectis, quæ cognitione, qua Verbũ producitur, cognoſcuntur ſiue per ſe, ſiue comitanter ſe habeant ad productionem Verbi.

Ad priorem verò rationem eiuſdem primæ opinionis fatemur cognitionem, ex qua Verbum procedit eſſe re ipſa, & materialiter cõprehenſiuam eſſentiæ diuinæ formaliter tamen, & prout ex ea per ſe procedit Verbum non eſſe comprehenſiuam; quia non eſt omnium, quę cum ipſa identificantur; quia cognitio Patris, prout ad alia obiecta, terminatur præter perſonam Patris, coaleſcentem ex perſonalitate prima, & ex eſſentia diuina, non eſt formaliter, & per ſe productio Verbi, etiamſi prout ad illa terminatur ſit perfectio, aut ratio realis Patris re ipſa indiſtincta à cognitione, qua ſe ipſum cog-

cognoſcit; quia cognitio Patris, non ſecundum omnem rationem realem eſt per ſe, & formaliter productio Verbi, præſertim, quia in eo priori rationis ante productionem Filii, nondum ſunt noſtro modo concipiendi Filius, & Spiritus ſanctus: ergo cognitio Patris, prout à nobis in eo priori concipitur, nequit terminari ad Filium, nec ad Spiritum ſanctum, etiam ſi terminetur ad eſſentiam, quæ cum illis identificatur, & eis eſt communicabilis, & ita prout à nobis in eo priori concipitur, caret ratione illa reali ſeu abſque ea concipitur, & in eo priori, ita noſtro modo concipiendi cognitio Patris terminatur ad potentiam generatiuam; quia noſtro modo concipiendi præcedit generationem, vt ab ipſo non cognoſcatur relata ad filium, quia formaliter non eſt relata etiamſi à nobis, vt relata concipiatur, vt poſtea dicemus. Et idem eſt de potentia ſpirati. ua; imò & de communicabilitate, qua eſſentia Diuina eſt communicabilis tribus perſonis, etiam ſi hæc communicabilitas eſſet ratio diſtincta à perfectione ſubſtantiali Diuinæ eſſentiæ; quia eſſentiæ ad perſonas non eſt vera relatio, Verbum autem non procedit, niſi ex cognitione illius, quòd verè à Patre cognoſcitur, etiamſi cognitio Patris, prout noſtro modo cõcipiendi terminata ad aliqua ex his, quæ verè cognoſcit, ſit productio filij, & nõ prout terminata ad omnia.

Vnde cognitio Patris, prout eſt productio Verbi etiamſi re ipſa ſit omnino comprehenſiua eſſentiæ, prout tamen per ſe eſt productio Verbi, & formaliter prout à nobis concipitur, non eſt omnino comprehenſiua, & omnino perfecta, ſed tantum eſt comprehenſiua eſſentiæ, prout identificatur cum his, quæ per ſe requirũtur, tãquam obiecta intelligibilia, & ſic cõcepta caret perfectione ſecundũ quã terminatur ad alia obiecta, quæ per ſe non requirũtur ad productionem Verbi, etiamſi re ipſa, & materialer, & comitãter ſit omnino cõprehenſiua, & omnino perfecta, ex quo etiam patet reſponſio ad poſteriorem rationem.

Obſeruandum eſt Filium ex vi cognitionis, qua perſona Patris cognoſcit ſe ipſam procedere, non tantum vt Filium, ſed etiam vt potentem ſpirare; quia ſicut ex vi huius cognitionis procedit vt Filius, etiamſi cognitio filiationis non requiratur per ſe, ita etiam procedit, vt potens ſpirare, etiamſi cognitio potentiæ ſpiratiuæ, prout in ipſo Filio non requiratur, & conſequenter multo magis, etiamſi non requiratur cognitio Spiritus Sancti, ex eo enim, quòd Filio ex vi prædictæ cognitionis communicatur eſſentia, & producitur filiatio, communicatur illi potentia ſpiratiua,

si potentia spiratiua non dicat relationem spirationis, sed tantum essentiam, & filiationem in filio: si verò potentia spiratiua dicat relationem spiratoris, vt aliquibus placet, quamuis non sub conceptu expresso relatiuo spiratoris; tunc filio communicatur potentia spiratiua à Patre radicaliter, & mediatè, communicando illi essentiam, & producendo filiationem, ad quam secundum hunc modum dicendi cõsurgit relatio spiratoris, vt potè non opposita filiationi, quamuis non consurgat sub expresso conceptu relationis spiratoris; quia sub isto conceptu consurgit ex origine spirationis actiuæ, sicut paternitas, sub expresso conceptu paternitatis consurgit ex actiua generatione.

Ex dictis constat secundum opinionem asserentium, Beatitudinem obiectiuam esse, non tantum essentiam, & attributa, sed etiã personas Diuinas (vt nos diximus Tract. de Beatitudine disp. 2. dif. 3.) Patrem in eo priori non concipi à nobis plenè Beatum; quia in eo priori non concipitur videre tres personas, vt aduertit Vazq. 1. 2. disput. 13. in fine; quia quamuis visio illa sit essentialis, non tamen est prior notionalibus; quia hæc visio supponit notionalia, vt obiecta, illa enim solùm essentialia sunt priora notionalibus, quæ non supponunt notionalia. Vnde Pater non communicat Filio formaliter Beatitudinem, sed visionem, quæ productis ipso Filio, & Spiritu Sancto, concipitur esse visio omnium personarum, & Beatitudo.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilium?

EST autem sensus, sicut & difficultatis præcedentis, an videlicet Verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilium, tanquam obiectorum per se requisitorum.

Gab. in 1. d. 27. quæst. 3. ar. 3. Caiet. Bañez, Zumel, & Mol. q. 34. ar 3. Canar. q. 27. disp. vlt. p. 3. dif vlt. Suar. lib 9. c 6. Granad. disp. 6 Beccanus c. 5. q. 3. Zuñiga disp. 5. dub. 6. Mærat disp. 50. section 1. Ruyz disp. 63. & Perez disp. 14. sect. 8 partem affirmatiuam tuentur, quibus fauere videtur S. Thom. quæst. 34. ar. 1. ad 4. dum ait, Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia complectitur, concipit Verbum, vt sic tota Trinitas

Ver-

Verbo dicatur,& etiam omnis creatura,& idem indicat art.3.dum ait: Verbum eſſe expreſiuum creaturarum. Et id ſignificat Aug. 15. confeſsionum c.7.dum ait: Verbum ſempiternè dicitur,& eo ſempiterne dicitur,& eo ſempiternè dicuntur omnia:& etiam Anſelm. in monolog. à c.28. vſque ad 44. vbi oſtendit Deum vnico Verbo ſuo dicere omnia.

Et ratione probatur;quia Verbum procedit ex cognitione cõprehenſiua,aut ſaltem intuitiua eſſentiæ,& attributorum,acproinde ex ſimili cognitione omnipotẽtię hæc autem nequit comprehẽdi,aut ſaltem nequit intuitiuè cognoſci,niſi etiam cognitis creaturis poſsibilibus,quia ad eas refertur,ergo.

Secũdò probatur,quia creaturę poſsibiles ab æterno, nihil aliud ſunt,quã ipſa eſſentia,& omnipotẽtia diuina;quia nullum abęterno habẽt eſſe reale,niſi quatenus ſunt in virtute,& potẽtia Dei,ſed Verbum procedit per ſe ex cognitione eſſentiæ,& omnipotentię: ergo & ex cognitione creaturarum poſſibilium.

Tertiò, quia eſſentiam Diuinam repræſentare creaturas poſſibiles,ſeu eſſe cognitionem earum,eſt perfectio realis in ipſa : ergo Verbum etiam procedit ex cognitione illius perfectionis, ſicut ex cognitione eſſentiæ cuius eſt perfectio, ſed cognitio, ſeu repræſentatio hæc creaturarum, nequit cognoſci perfectè, niſi etiam cognoſcantur creaturæ poſſibiles : ergo Verbum per ſe procedit ex cognitione earum, ſicut ex cognitione eſſentię, & perfectionum ipſius.

Scotus verò in 2.d.1.q.1.ar.2.& quodlib.14.ar.2.Vazq.diſpu. 143.Turr.diſp.18.dub.3.& Alarcon diſp.8. c. 9. partem negatiuam meritò tradunt cui fauet Sanctus Thomas q.4.de veritate art. 5.& pro ea abſque dub.eſt Anſelmus in monologio ; quia poſtquam c. 29.dixit,Verbum non eſſe ſimilitudinem creaturarum cap 30. expreſsè dixit, Verbum Dei idem omnino per manſurum,etiam ſi nulla eſſet creatura, loquitur autem de omni creatura,tâm ſcilicet poſsibili,quàm aliquando exiſtente,vt deducitur ex cap. 31.& 32. & 33.& 34.

Et ratione probatur primo ab abſurdo; quia ſi Verbum procederet formaliter ex cognitione creaturarum poſsibilium, tamquam obiectorum per ſe requiſitorum,eſſet non ſolum ſimilitudo, ſeu repræſentatio creaturarum poſsibilium,ſed etiam eſſet earum Imago;quia Imago nihil aliud eſt,quàm ſimilitudo per ſe procedens ab eo,quòd repręſentat, ſaltem tamquam ab obiecto intelligibili,cõſequens autem eſt abſurdum,vt dicem dif. 9 quòd verò nõnulli reſpõdent,Verbum nõ eſſe Imaginem creaturarum;quia non

pro-

procedit ab eis, vt ab obiectis primarijs, sed tãtum vt à secundarijs, gratis, & absque fundamento dicitur. Imò & contra rationẽ; quia si imago vt communiter definitur nihil aliud est, quã similitudo ab aliquo, tamquam ab obiecto procedens ad ipsum repræsentandum, non obstabit quod ab eo, tamquam ab obiecto secundario procedat si ab eo per se, & formaliter procedit, & non comitanter, & per accidens.

Secundò probatur; quia si Verbum per se procederet ex cognitione creaturarũ possibiliũ, ideò esset; quia essentia diuina ex cuius cognitione per se procedit, re ipsa haberet relationem ad creaturas possibiles, & cõnexionem cum eis, sed essentia diuina nullam re ipsa habet connexionem cum illis, nec ad eas re ipsa dicit relationem aliquam, sed in se est re ipsa absoluta ab illis; quia essentia diuina, vt pote primum, & summum ens est magis necessaria, quã sint creaturæ possibiles: ergo quamuis Verbum procedat per se ex cognitione essentiæ diuinæ, nõ ex eo habet per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium.

Tertiò probatur; quia etiã si per impossibile vna, aut altera creatura, aut omnes essent impossibiles, nõ sequeretur per locũ intrinsecum Verbum nõ esse producẽdum, aut futurum esse alterius naturæ, & proprietatis; quia Verbum re ipsa est absolutum à creaturis, & ab eis indepẽdẽs, adhuc tanquam à termino; quia est magis necessarium, quòd autem est absolutum ab aliquo, codẽ modo manet, quãuis deficiat id à quo est absolutum: ergo creaturę possibiles, nõ pertinẽt per se ad productionem verbi, sicut ex eo, quod quãuis Deus non esset trinus; nihilominus creaturę possent a Deo vnofieri, deducimus Trinitatem peraccidens se habere ad productionem rerum.

Ad hanc rationem primo respondet Caiet. conditionalem illam esse veram; quia tamen de facto creaturæ sunt possibiles, ideò etiam de facto creaturas possibiles concurrere ad productionem Verbi, vt obiecta intelligibilia; sed contra hanc responsionem est; quia si verum est Verbum producendum esse, & eiusdem naturæ, & proprietatis, quamuis non essent possibiles creaturæ, ex eo optimè infertur creaturas non pertinere per se ad productionem illius (sicut in exemplo adducto) quia ablato quod per se requiritur ad productionem alicuius, etiam auferetur productio illius.

Secundò, alij respondent ex ea suppositione impossibili sequi, quamlibet partem contradictionis, nempè, & quòd Verbum produceretur, & quòd non produceretur; quia ex vno impossibili non

est

est mirum sequatur aliud impossibile: sed contra hanc responsionem est, quòd ex suppositione impossibili, si retineatur ex ea solũ inferendo quòd est per locum intrinsecum inferre) non sequitur quælibet pars contradictionis, seu vtraque pars contradictionis, sed tantum vna: Ex suppositione enim impossibili retenta vtiliter argumentamur ad inueniendam rationem formalem, aut principium per se rei (vt faciemus disputat. 8. difficultat. 3. supponendo Spiritum sanctum non procedere â Filio) quia si creaturæ possibiles per se requiruntur ad productionem Verbi, illis deficientibus deficeret productio Verbi, & si non concurrunt per se, etiam eis deficientibus procederet Verbum, & omnino idem; quia nihil per se requisitum ad eamdem entitatem Verbi deficeret.

Tertiò respondent alij suppositione illa data, Verbum non fututum idem; quia essentia non esset in se, ita perfecta si creaturę non essent possibiles. Responsio tamen hæc non est admittenda; quia omnis perfectio intrinseca Dei est re ipsa, & in se omnino absoluta à creaturis, & ab eis omnino independens, adhuc tanquam à termino; quia quamuis creaturæ nõ essent possibiles, esset nihilominus in Deo omnipotentia quantum ad realem, & absolutam suam pertectionem. (Etiamsi ei deficeret respectus extrinsecus ad creaturas) sicut non diminueretur omnipotentia, quamuis ex possibilibus vna non esset possibilis; quia omnipotentia consistit in eo, quòd Deus sit ita perfectus, vt possit omne id, quòd non implicat contradictionem, vnde etiam si nihil esset, quòd non implicaret contradictionem, & ideò nihil fieri posset, nihilominus Deus esset intrinsecè omnipotens, quoad suam realem, & absolutam perfectionem, quamuis absque relatione extrinseca ad obiecta aliqua externa.

Et eadem proportione existimamus Spiritum Sanctum non procedere ex amore creaturarum possibiliũ, quia scilicet Spiritus sanctus est re ipsa omnino absolutus, & independẽs à creaturis, adhuc, tanquam à termino extrinseco; quia est magis necessarius, quàm creaturæ possibiles.

Ad prius ergo testimonium S. Th. ex art. 1. pro aduersarijs adductum respondemus, sicut difficultate præcedente S. Th. ibi tantum voluisse explicare obiecta, quæ cognoscuntur cognitione, qua Verbum producitur, siue per se, siue peraccidens se habeat ad productionẽ illius, vt ex ipso deduximus, & nõ voluisse tantũ explicare obiecta, quæ per se cõcurrũt ad illam: & ad posterius ex art. 3. fatemur Verbum diuinum esse expressiuũ creaturarũ, & earũ Verbum,

& nõ tantum possibilium, sed etiam aliquãdo existentium nõ tamẽ per se, & substantialiter, sed comitanter, & quasi accidentaliter, seu extrinsecè; quia verbum in se absq; respectu reali intrinseco ad creaturas, est substantialiter perfectum, & ita creaturæ nõ prærequiruntur per se ad productionem verbi.

Ad testimonium verò Aug. 15. de Trinit. respondemus, solum voluisse Verbum Diuinum esse Verbum, aut repræsentatiuum omnium quæ sunt in Patre, aut omnium, quæ sunt in scientia Patris non tamen docet, quodnam eorum per se pertineat ad productionem Verbi de quo disputamus: & ad Ansel. respõdemus, tantum voluisse Verbum Diuinum esse Verbũ omniũ, non tamen docere, quæ ex his pertineant per se ad productionem Verbi.

Ad primam verò rationem, respondemus, Verbum Diuinum non procedere formaliter, & per se ex cognitione comprehensiua essentiæ Diuinæ, & attributorum (vt dixim. diffic. præced.) quamuis procedat ex cognitione, quæ comitanter est comprehensiua: procedit tamen ex cognitione perfecta, & intuitiua essentiæ, & omnipotẽtiç; & aliorum attributorum, negamus tamen omnipotentiam nõ posse cognosci, prout in se est absque creaturis possibilibus; quia vt iam diximus, omnipotentia in se, & re ipsa est omnino absoluta à creaturis possibilibus. Imò & negamus ad comprehensiuam cognitionem omnipotentiæ esse necessariam cognitionem creaturarum; quia ad solius causæ, quæ re ipsa respicit, suos effectus possibiles, comprehensiuam cognitionem est necessaria cognitio effectuum illius.

Ad secundam negamus creaturas possibilis, secũdum proprias rationes earum, nõ esse distinctas ab essentia Diuina; quia verè sunt re ipsa distinctæ, & habent abæterno esse proprium nõ existens subiectiuè, sed possibile obiectiuè, & de creaturis sic sumptis procedit hæc difficultas.

Ad tertiam respondemus, iuxta ea quæ dixim. Tract. de Volũtate Dei disp. 3. dif. 2. in repræsentatione, & cognitione, qua Deus cognoscit creaturas esse duo, nempè esse cognitionem, seu repræsentationem absolutam, quæ etiam esset in Deo, quamuis nulla esset creatura, nec aliquando existens, nec possibilis, & hanc esse in Deo perfectionem absolutam, & realem, qua Deus tantum dicitur cognoscens absolutè, & etiam esse cognitionem creaturarum, quæ supra esse cognitionem absolutam, nihil Deo intrinsecum addit; quia id habet ex eo, quòd sit accõmodatat insta efficientis ad creaturas, vt ad obiecta; vnde quamuis Verbum procedat ex cognitione perfectionis essentiæ Diuinæ, non ideo debent cognosci creaturæ;

re; quia perfectio diuina, quæ reperitur in cognitione diuina creaturarum, est re ipsa absoluta à creaturis, qua absolutè dicitur cognoscens, & non creaturas.

DIFFICVLTAS VI.

Vtràm Verbum procedat ex cognitione creaturarum futurarum?

Est autem sensus sicut & difficult. præcedentium, an scilicet Verbum procedat ex cognitione creaturarum futurarum, tanquam obiectorum per se requisitorum.

Val. 1. p. q. 7. de Trin. pun. 2. & Zuñ. disp. 9. dub. 7. docēt Verbū procedere ex cognitione creaturarū futurarū (quæ appellatur cognitio seu scientia visionis) & id docet Ruiz disp. 63. sect. 4 ex suppositione futuritionis creaturarū, quibus fauere videtur S. Th q. 34. a. 1. ad 3. verbis diffic præcedēte relatis: & ratione probatur; quia Verbum diuinum est Verbū, & repræsentatiuum creaturarum futurarū: ergo ex earum cognitione procedit; quia Verbum solū est Verbū, seu repræsentatiuum eorum quorum cognitione producitur.

Scot. verò & Vaz. vbi supra dif. præced. Caie. & communiter Thomistę q. 34. ar. 3. Tur. dub. 5. Gran. disp. 7. Alar. disp. 8. c. 9. Per. disp. 14. sect. 10. & communiter Theologi docēt, & merito Verbum diuinum nō procedere per se, & formaliter ex cognitione creaturarū futurarum; id autem etiam probari potest, & efficacius rationibus, quibus diffic præcedente probauimus, nō posse Verbum per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium, id tamē specialiter probatur; quia creaturæ futurę ita liberè sunt futuræ à Deo, vt potuerint non esse futuræ, sed Verbum nō potuit nō produci: ergo ne queunt ad verbi productionem per se requiri, & pertinere: & eadem ratione specialiter probatur, Verbum per se non procedere ex cognitione futurorum sub conditione; quia hæc futura, ita futura sunt sub conditione, vt potuerint, non esse futura; quia saltem potuit nō poni cōditio: & eadem ratione cōtra Ruiz probatur, nō procedere ex cognitione dictorum futurorum, tā videlicet absolutorum, quā cōditionatorum ex suppositione futuritionis omnium eorū; quia scilicet suppositio futuritionis eorum potuit non esse cū potuerint non esse futura.

Et ob easdem rationes Spiritus sanctus nequit per se procedere ex amore creaturarum futurarum, nec absolutè, nec condi-

ditionatè futurarum, etiamsi fiat suppositio futuritionis earum.

S. Th. autem pro aduersarijs adductus explicandus est sicut diffi. præcedente.

Ad rationem verò eorum fatemur Verbum diuinum esse verbū, & repræsentatiuum creaturarum futurarum, sed non esse adæquatè Verbum, & repræsentatiuum earum; quia nō est repræsentatiuum earum, nisi ratione essentiæ diuinæ, quæ in Verbo quodam modo dicitur Verbum, vt dicem. dif. 8. adhoc autem quod Verbum diuinum sit eo modo Verbum creaturarum, non est necessarium, quod procedat ex cognitione earum cum ipsum in rigore nō sit verbum earum, imo nec essentia, cum essentia non producatur dictione, imo nullo modo producatur, nec procedat.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo Verbum diuinum dicat respectum ad Patrem proferentem?

Supponimus Verbum diuinum in suo adæquato significato dicere essentiam, & relationem, seu respectum realem intrinsecum dicti, seu producti ad personam Patris vt dicentem, seu producētem, & etiam dicere respectum extrinsecum repræsentationis ad res essentialiter dictas, seu cognitas à persona Patris, tamquam ad obiecta etiam ad se ipsam sic cognitam, de quo difficultate sequente, hic autem respectus non est realis, seu intrinsecus, sed extrinsecus, seu rationis.

Hoc supposito, conueniunt Theologi vno, aut altero excepto nomine verbi connotari, seu secundario, & indirectè significari dictum extrainsecum respectum repræsentationis ad res essentialiter dictas, (etiam si respectus hic comparetur, quasi forma respectu verbi cui aduenit, seu superadditur) quia sicut ex verbo inadæquate, seu ratione essentiæ respectus ille nostro modo concipiendi pullulat, ita etiam nomen Verbum impositum est ad eum respectum secundario significandum.

Est tamē controuersia quomodo verbum diuinum ex essentia, & ex dicta relatione, seu respectu intrinseco dicti, tāquam termini ad personam Patris, vt dicērem coalescēs, dicat ipsam relationem, seu respectum intrinsecum.

Ecr. 4. cōtra gētes c. 3. docet verbum diuinum primario, seu dire-

ctè

ctè dicere essentiã diuinã; secundario verò, & cõnotatiuè, seu indirectè dictã relationẽ, seu respectum intrinsecum, cui fauere videtur S.T q 4 de verit. a. 5. & in 1. d. 27. q. 2. a. 2. probari autẽ potest, quia Verbum in humanis primariè dicit qualitatẽ, nempè sonũ, seu vocẽ productã, & secundario relationẽ dicti ad ipsum dicẽtẽ; ergo Verbum diuinum primariè dicit essentiam, & secundario relationem dicti, seu producti.

Cai. verò q. 34 a. 3. Vaz. disp. 144. c. 1. Sua. lib. 9. c. 3. & Tur. disp. 18. dub 6. docẽt verbum diuinũ primariè, seu directè dicere relationem realem intrinsecam dicti, seu producti ad personam Patris, vt dicẽtem, seu producentem, & secundarie, seu indirectè, & cõnotatiuè essentiam diuinam cui fauere videtur S.T. a. 3. ad 4. (vbi Cai. ait S. Th. retractasse quod dixerat vbi supra) & meritò, quia nomine verbi in diuinis non minus exprimitur, & primariè, seu directè significatur relatio dicti, seu prolati, & producti prolatione, quã nomine filij relatio geniti, sed nomine filij in diuinis exprimitur, seu directè, & primario significatur relatio geniti: ergo nomine verbi prolati, seu producti prolatione.

Ad rationem verò oppositæ sententiæ, negamus Verbũ in humanis primariè, seu directè significare qualitatem ipsam, nempè sonũ, sed potius relationem ipsam, qua tanquam forma accidentali sonus dicitur prolatus, seu dictus, & ipsam qualitatem significare indirectè, tanquam materiale, & subiectum dictæ relationis, sicut Filius in humanis primariè, & directè significat relationem filiationis, & secundariè, & indirectè personam humanam, quę generatur, & dicitur Filius ipsa relatione, tamquam forma.

Vnde eadem proportione, Verbum Diuinum primario, & directè dicit relationem prolati, seu dicti à qua, tamquam à forma personæ Filij dicitur Verbum, seu prolata, & dicta, & ipsam personam dicit indirectè, seu secundario, vt pote, quæ dicitur, & quasi denominatur Verbum ab ipsa relatione dicti, seu prolati, & non essentiam diuinam, quæ non est, nec dicitur Verbum notionale; quia nõ producitur prolatione, nec aliter, & si essentiam dicit aliquo modo indirectè, non est proximè, sed remotè.

Pro maiori tamen huius solutionis, & doctrinæ declaratione obseruandum est Verbum diuinum, ita primario, seu directè dicere relationem realem dicti ad personam Patris, vt secundario, & indirectè dicat duo vnum proximè, nempè personam Filij, quæ (& non essentia ipsa) dicitur, & quasi denominatur Verbum à dicta relatione dicti, & alterum remotè, nempè essentiam diuinam, ex qua, & ex personalitate Filij coalescit ipsa persona, quæ est

sig;

significatum indirectum Verbi diuini, & dicēs indirectè essentiam, & directè personalitatem ea, proportione, qua Pater diuinus primario, & directè dicit relationem paternitatis, vt paternitas est, & secūdario, & indirectè dicit duo vnū proximè, nempè personam ipsam Patris, quæ (& nō ipsa essentia) dicitur, & quasi denominatur Pater, & alterum remotè, nempè essentiam diuinam, ex qua, & ex personalitate Patris coalescit ipsa persona Patris, quæ est significatum indirectum Patris, imò dicens indirectè essentiā, & directè personalitatem iuxta ea, quæ dicta sunt à nobis disp. 3. & 4. Verbū ergo diuinum directè dicit dictam relationem Verbi, & indirectè proximè ipsam personam Verbi, quæ est & dicitur Verbum a dicta relatione dicti, & quia persona quā Verbum dicit indirectè, dicit personalitatem, & essentiam, imo hanc indirectè, ideo Verbum diuinum, etiam dicit indirectè duo illa ex quibus persona filij coalescit, præsertim essentiam, quę etiam est significatum indirectum personæ, indirectè significatæ nomine Verbi.

DIFFICVLTAS VIII.

Ratione cuius conueniat Verbo respectus extrinsecus ad res ipso Verbo dictas à Patre?

SVpponimus in Verbo esse respectum extrinsecum ad res Verbo ipso essentialiter, seu cognitione essentiali dictas à Patre, vt ex dicendis cōstabit, qui iuxta ea quæ dixim. tract. de scient. & tract. de volunt. Dei, non potest esse realis, sed tantum rationis.

Est tamen difficultas, an hic respectus cōueniat, Verbo ratione essentiæ diuinæ, an ratione relationis, seu proprietatis personalis, an ratione vtriusque.

Scot. in 1. d. 27. q. 3. Capreol. q. 2. ar. 1. Ferrar. 4. contra gentes, q. 13. & Cai. q. 34. ar. 3. docent dictum respectum extrinsecum cōuenire Verbo ratione essentiæ, & non ratione proprietatis personalis, quòd docere videtur S. Th. q. 34. ar. 3. ad 1. & q. 4. de veritate art. 5. ad 2. & ratione probatur, quia respectus Verbi, ad res medio ipso dictas a Patre est respectus repræsentationis, & manifestationis, sed repręsentare, & manifestare res à Patre cognitas, & dictas, cōuenit Verbo ratione essentię; quia essentia est vera repræsentatio omniū illarum ergo.

Aureol. apud Capreolum vbi supra docet, respectum Verbi ad res a Patre dictas conuenire Verbo ratione proprietatis perso-

na;

nalis,& nō ratione eſſentiæ;quia reſpectus iſte eſt peculiaris verbo: ergo ei conuenit ratione ſuæ proprietatis perſonalis, & nō ratione eſſentiæ,quæ eſt communis tribus Perſonis.

Vazq.diſp.144 cap 2.Suarez lib.9.c.6.Turr.diſp.18.dub.6. & Zuñiga diſp.9.dub.8. docent dictum reſpectum conuenire verbo ratione vtriuſque,& in primis, quod ei non conueniat ratione ſolius eſſentiæ,probatur ratione Aureoli. Deinde quod nec ei conueniat ratione ſolius proprietatis perſonalis probatur, quia hæc proprietas eſt relatio tantum ad Patrem vt proferentem ſeu producētem: ergo ratione illius nequit verbo cōuenire reſpectus ad res ipſas dictas: ergo ei conuenit ratione vtriuſque.

In hac tamē re dicendū exiſtimamus in Verbo diuino eſſe reſpectū extrinſecū repræſentationis ad omnes res cognitas,& aliquo modo dictas à Patre,nēpè ad omnes tres perſonas,etiā ad ipsū Patrē,vt obiectum, & ad eſſentiā diuinā, & ad omnes creaturas, vt exprimit S.Tho.ar.1.ad 3. & hunc reſpectū conuenire verbo ratione ſolius eſſentiæ,vt exprimit S.Tho.ar.3.ad 1.& Clarius q.4.de veritate ar.5.ad 2. Et ratione conſtat, quia in Verbo diuino eſt eſſentia diuina: hæc autem in Verbo,& in qualibet alia perſona habet reſpectū extrinſecū cognitionis,ſeu repræſentationis omniū intelligibilium,ſeu repræſentabiliū etiam Patris: ergo in Verbo eſt reſpectus repræſentationis ad omnes res cognitas,& dictas à Patre,& ſufficiēter illi proueniens ex eſſentia diuina,& in ea fundatus. Quod autē aliunde non proueniat,ex dicendis conſtabit.

Secundo, ergo dicendum exiſtimamus præter dictum reſpectū extrinſecum repræſentationis in omnibus tribus perſonis repertū, vt potè ex eſſentia omnibus communi prouenientem, etiā in Verbo reperiri alium peculiarem reſpectū intrinſecum repræſentationis ad perſonam Patris tamquam ad obiectum,quo reſpectu perſona Patris ſe ipſam notionaliter dicit tamquam obiectum, & ſic ſe dicendo ſe ipſam cognoſcit, quia perſona Patris medio Verbo ſe ipſum dicit,vt obiectum non tamquam forma,ſed tamquam termino producto ſuæ dictionis,ſeu cognitionis,vt dictio eſt, quia Verbū diuinū eſt terminus,ſeu ſpecies expreſſa dictionis,qua ipſum Verbū dicitur à perſona Patris. Vnde reſpectus hic peculiaris conuenit Verbo ratione eſſentiæ, & perſonalitatis ſimul; quia hic conuenit Verbo,quia eſt terminus dictionis perſonæ Patris,ſeu tamquā termino dictionis,& productionis prouenientis à perſona Patris. Terminus autem huius dictionis,& productionis eſt totum ipſum Verbum coaleſcens noſtro modo concipiendi ex eſſentia diuina, & ex perſonalitate Filij.

Ex quo constat, Verbum isto peculiari respectu intrinseco soli personæ Patris repræsentare non sibi, nec Spiritui sancto; quia isto respectu tantùm repræsentat tamquã terminus cognitionis notionalis, & est tantùm terminus dictionis, seu cognitionis notionalis, excludens cognitionem essentialem prouenientis à persona Patris: & dicto respectu notionali, non tantùm soli personæ Patris repræsentare tamquam notionaliter cognoscenti ob rationem dictã, sed etiam solam personam Patris repræsentare notionaliter, seu eam sola n dicere tamquam obiectum, nõ alias duas nec creaturas; quia verbum tantùm est terminus cognitionis notionalis, qua persona Patris suam personam cognoscit notionaliter eam solam dicendo tamquam obiectum; quia ex cognitione notionali solius personæ Patris tamquam obiecti cogniti, procedit vt vidimus: & ita verbũ adæquatè sumptum pro toto suo significato tantùm est Verbũ personæ Patris, quia ab ea sola procedit, seu producitur tamquam à principio, actiuo seu dicente; sed etiam quia ab ea sola procedit tãquam ab obiecto, & eam solam dicit, & respicit tamquam obiectũ. Et id significat Augustinus 15. de Trinitate cap. 14. dum ait, Patrẽ *dicendo se concipere Verbũ*, vbi omnia alia videtur excludere ab obiecto dictionis, per quam Verbum à persona Patris producitur, seu concipitur: & id indicat S. Thom. quæst. illa 4. de veritate artic. 5. ad 2. dum ait, Verbum ex respectu originis, non dicere habitudinem ad creaturas, sed tantum ratione absoluti, id est essentiæ, & de Verbo adæquatè sumpto pro coalescente ex essentia, & ex personalitate filij loquitur Anselmus in Monologio à cap. 30. quando ait verbum non esse verbum creaturarum, intelligit autem creaturarũ secundùm proprias & peculiares rationes earum; quia creaturarũ prout in Deo sunt ipse Deus, supponit esse verbum, quia est verbũ Dei Patris, vt constat ex cap. 33. & 34.

Verbum ergo diuinum ratione coalescentis ex essentia, & ex personalitate filij respicit respectu intrinseco personam Patris, & tamquam obiectum notionaliter dictum, & tamquam notionaliter dicentem, & etiam respectu extrinseco ratione essentiæ tamquam obiectum essentialiter repræsentatum, seu cognitum.

Addimus tamen, Verbum diuinum esse verbum omnium, quæ Pater intelligit, & medio eo omnia illa à Patre dici, vt supponit Augustinus 11. confess. cap. 7. & 15. de Trinitate cap. 13. & 14 & S. Thom. artic. 1. ad 3. est autem verbum omnium eorum in adæquatè sumptum, & omnia ea dicuntur seu proferuntur à Patre medio verbo non adæquatè sumpto, & ratione posterioris respectus intrinseci

ſeci conuenientis verbo, ſed in adæquate, & quaſi partialiter: & ratione prioris reſpectus extrinſeci, & non dictione rigoroſa, & adæquata, ſed dictione latè ſumpta pro cognitione eſſentiali in verbo, quæ non eſt verbum adæquatè; quia tamen in verbo inadæquatè, & quaſi partialiter eſt verbum, quia conſtituit ipſum verbum: ideò id ſpecialiter tribuit verbo, & non Patri, nec Spiritu ſancto, quamuis id tantum conueniat verbo ratione eſſentiæ omnibus tribus communis; quia eſſentia in verbo conſtituit ipſum verbum terminum totalem dictionis Patris, & nō tribuitur Patri, neq; Spiritui ſancto, quia in neutro eorum conſtituit verbum, ſed in Patre Patrem, & in Spiritu ſancto Spiritum ſanctum, & quidem ſi verbum eſſet verbum adæquatè Spiritus ſancti, & creaturarum, quamuis ſecundario, eo etiam modo eſſet earum Imago, quod non eſt admittendum.

Ex dictis adeo facilè reſponderi poteſt ad rationes aduerſariorum, vt ſuperfluum videatur ad eas reſpondere. Sed an ſicut Pater dicit ſeu loquitur verbo, ita etiam ſapiat ſapientia genita, dicemus diſp. 8. dif. 8.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Filius verè & propriè ſit Imago Patris?

DVrand. in 1. diſt. 28. quæſt. 3. exiſtimat in Deo non reperiri propriè Imaginem, ſed tantum impropriè quamuis in Deo admittat propriè verbum, quod autem Deo non conueniat ratio Imaginis propriè & ſtrictè ſumptæ, probat, quia Imago non cōuenit Deo reſpectu creaturarum, nec vni perſonæ reſpectu alterius: ergo, & in primis non conuenit Deo reſpectu creaturarū, quia Imago propriè & ſtrictè dicitur, quæ eſt producta ad imitationem eius cuius eſt Imago; in Deo autem nihil eſt productum ad imitationem creaturarū, Geneſis verò 1. vbi Deus dicitur Imago hominis illis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ibi Imago non ſumitur propriè & ſtrictè, ſed latè & impropriè pro exemplari; quia ad imitationem Dei liberi ad vtramque partem contradictionis factus eſt homo liber, de quo legi poteſt Ruiz diſputatione 64. ſectione 5. Deinde quòd vna perſona diuina non ſit propriè Imago reſpectu alterius perſonæ, probat; quia de ratione Imaginis eſt ſimilitudo, inter perſonas autem diuinas nō eſt ſimilitudo realis propriè; quia ſimilitudo inter eas eſt tantum rationis, quia

inter diuinas personas est identitas in essentia diuina, quæ est fundamentum similitudinis inter eas, & consequenter hæc similitudo nequit esse nisi rationis.

Addit autem Dur. rationem Imaginis latè & impropriè sumptæ conuenire vni personæ respectu alterius non Patri, quia Pater à nullo procedit: de ratione autem Imaginis est, quod procedat ab eo, cuius est Imago, sed cõuenire Filio, & Spiritui sancto; quia vterque procedit ab alio, & similis producẽti in natura, Filius videlicet Patri, & Spiritus sanctus Patri, & Filio: subdit tamen Dur. Imaginẽ appropriari filio sicut amor appropriatur Spiritui sancto:

Reliqui verò Theologi docent filio Dei verè & propriè conuenire rationem Imaginis, & merito, quia in Scriptura absolutè dicitur Imago, ad Colos. 1. *Qui est Imago Dei inuisibilis*: & ad Hebræos 1. *Et figura substantiæ eius*: & Sapientiæ cap. 7. *Speculum sine maculâ Dei maiestatis & Imago bonitatis illius*. 2. ad Corinth 4 *Qui est Imago Dei*. Et id absolutè, & absque vlla improprietate exponitur à Patribus, quos referunt Vazq. disp. 145. Suar. lib. 9. c. 18. Ruiz disp. 64. & Granad. disp. 11. sect. 2.

Et ratione probatur, quia Imago, vt ait Aug. lib. 83. quæstionũ q. 74. & lib. de Genesi ad litteram c. 16. imago nihil aliud est quã similitudo de aliquo ipsum repræsentans, & ad ipsum repræsentandum expressa, sed filius Dei est Verbum de Patre, seu à Patre ipsum repræsentans, & expressum ad ipsum Patrem repræsentandum, vt ex dicendis amplius constabit: ergo est verè & propriè Imago Patris.

Vnde ad rationem Durand. respondemus Filium Dei rõ esse Imaginem Patris ob similitudinem in natura, sed ob similitudinem repræsentationis, qua verè & propriè repræsentat Patrem, sicut Verbum nostræ mentis est vera Imago rei, cuius est Verbum ob solam repræsentationem, qua illam repræsentat absque similitudine aliqua in natura. Quia tamen Verbum nostræ mentis non est imago substantialis, ideo non est Filius; benè tamen Verbum diuinum, quia est substantialis Imago: est enim Verbum diuinum Imago nõ artificialis qualis est Imago Cæsaris picta, sed intẽtionalis, seu producta per intellectum, & est non accidentalis, sed substantialis, & in hoc sensu est naturalis.

Obseruandum tamen est, ita Verbum diuinum esse Imaginem Patris, vt sit Imago solius Patris (in quo Theologi conueniunt) quia in primis non est Imago sui ipsius; quia saltem re ipsa non procedit à se ipso, quia nec procedit tamquam à principio actiuo, nec tamquam ab obiecto, quia non distinguitur re ipsa à se ipso:

&

& ob hanc rationem verbum non eſt Imago eſſentiæ diuinæ; quia ſcilicet re ipſa non procedit ab ea, nec tamquam à principio, nec tamquam ab obiecto, ſeu exemplari; quia re ipſa non diſtinguitur ab eſſentia: nec eſt Imago Spiritus ſancti, quia non procedit ab ipſo, nec tamquam à principio, vt patet, nec tamquam ab obiecto, vt diximus dif. 4. & ob eamdem rationem non eſt Imago creaturarum; quia ſcilicet non procedit ab ipſis, nec tamquam à principio, vt patet, nec tamquam ab obiecto, vt diximus dif. 5. & 6.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm in Deo ſolus Filius ſit verè & propriè Imago?

CErtum eſt Patrem non eſſe verè & propriè Imaginem alicuius; quia ſaltem à nullo procedit, ſeu producitur, de ratione autem Imaginis eſt, quod producatur ad repræſentãdum id cuius eſt Imago. Eſt ergo difficultas de Spiritu ſancto an ſit vere & propriè Imago alicuius.

Non defuerunt ex Patribus Græcis, qui Spiritum ſanctum appellarunt Imaginem filij. Ita Atanaſius epiſtola ad Serapionem, Baſilius lib. 1. contra Eunomium cap. 12. Damaſ. 1. de fide capit. 18. & quod magis eſt Gregorius Nyſſenus in vita Gregorij Thaumaturgi, refert tunc Gregorium ex diuina reuelatione accepiſſe quoddam ſymbolum fidei, in quo Spiritus ſanctus appellatur Imago filij. Et ratione poteſt probari, quia Spiritus ſanctus procedit à Patre & à filio, & eis ſimilis in natura: ergo eſt illorum Imago.

Conueniunt tamen Theologi Spiritum ſanctum non eſſe verè & propriè Imaginem, ac proinde ſolum filium eſſe verè & propriè Imaginem. Ita S. Thom. & eius diſcipuli q. 35. ar. 2. Vazq. diſp. 145. Suarez lib. 11. cap. 6. Ruiz diſp. 64. ſect. 4. Becanus cap. 1. q. 4. Zuñiga diſp. 10. Turr. diſp. 19. dub. 3. Granadus diſp. 11. ſect. 5. & Perez diſp. 15. ſect. 3. & id tradunt Patres Latini, & plures ex Græcis, quos referunt Doctores relati. Et id etiam indicatur in Scriptura dum in ea filius ſæpè dicitur Imago, & Spiritus ſanctus nũquam: & quidem ſi Spiritus ſanctus eſſet Imago, eſſet abſque dubio filius iuxta ea quæ diximus diſp. 1. dif. 7.

Diſſentiunt tamen Theologi in aſsignanda ratione ob quam Spiritus ſanctus non ſit Imago: omiſsis autem varijs rationibus, quæ nobis diſplicent, & videri poſſunt apud Doctores à nobis relatos, ea ratione à nobis probatur quam latius adduximus, & exami-

minauimus in ea difficultate 7. quia scilicet quamuis Spiritus sanctus procedat à Patre & à filio, & ipsis similis in natura, eos tamen non repræsentat: ad rationem autem Imaginis vt ex Augusti. vidimus difficultate præcedente, necessaria est similitudo repræsentans id cuius est Imago, quod autem Spiritus sanctus nulli eos repræsentet, nec repræsentare possit: probatur, quia nō Patri nec filio, quia non vt Verbum, seu species expressa ipsorum, quia Spiritus sanctus non est illis Verbum, seu terminus intellectionis ipsorum tamquam obiectorum, quia non producitur ab ipsis per intellectionem, nec eos ipsis repræsentat tāquam obiectum, eo modo quo filius increatis repræsentat Patrē, aut quo Imago artificialis repræsentat Prototypum seu exemplar; quia Pater & filius non cognoscunt se ipsos, quia cognoscunt Spiritum sanctum vt ipsos repræsentantem; quia in Spiritu sancto non est aliud quo possit eos repræsentare, nisi similitudo in eadem natura, hęc autem similitudo absque aliquo alio nō sufficit ad eos obiectiuè repræsentādū, adhuc in actu primo, quia in igne producto ab altero igne est identitas naturæ specificæ, & similitudo realis in natura cum eo igne à quo producitur, & tamen non est obiecti ue repræsentatiuus illius alterius ignis à quo producitur, & ob id non est Imago illius: non enim eo ipso, quod vnum est alteri simile, & eiusdem naturæ cum eo, ducit in cognitionem illius quamuis alias correlatiui etiamsi correlatio formaliter cognita, vt correlatio cogat saltem comitanter ad cognitionem alterius correlatiui ob correlationem cum eo.

Sed an filius sit sapientia genita, & an Pater sit sapiens sapientia genita, dicemus disp. sequente, dif. 8.

DISPVTATIO OCTAVA

De Persona Spiritus sancti.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Spiritus sanctus sit Deus.

SVpponimus tertiam Personam Trinitatis appellari Spiritum sanctum, ita appellatur Mat. vltimo: *Baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo. Et* 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui test-*

testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et quāuis hoc nomen etiam conueniat primæ, & secundæ Personæ; quia etiam Pater est Spiritus sanctus, & similiter Filius: vsu tamē Scripturæ, & Patrum, & Scolasticorum appropriatum & restrictum est ad tertiam Personam, & non absque ratione. Primò, quia sicut tertia persona communiter procedit à Patre, & à Filio, ita etiam congruum erat, quod gauderet nomine communi Patri, & Filio. Secundò, quia Spiritus significat impulsum, iuxta illud Ezechielis 1. *Vbi impetus Spiritus illuc gradiebantur*: & ad Romanos 8. *Qui Spiritu Dei aguntur.* Tertia autem persona procedit à Patre, & Filio per amorem, & verè est amor; amor autem est impetus, & impulsus, & propensio voluntatis in rem amatam. Et dicitur *sanctus*, quia verè est amor quo se amant Pater, & Filius, hic autem amor est sanctus, & sanctissimus.

Hoc supposito, circa difficultatem non defuerunt heretici, qui diuinitatē Spiritus sancti negauerint, ita Macedoniani, & ante hos, alij dicti *abstinentes*, vt refert Philaster in libello de hæresibus. In eodem errore fuit Airus, & ex Airanis nonnulli non tantū dicebant Spiritum sanctum non esse consubstantialem Patri, & Filio sed etiā esse minorem Filio, quorum errori similis fuit error Valētini asserentis Spiritum sanctum esse quemdam Angelum, vt refert Athanasius in longiori epistola ad Serapionem. In eodem errore fuit Abailardus, teste Bernardo epistola 190. Imo his temporibus in eo errore sunt nonnulli Tranſyluani, & alij, quos refert Ruiz disp. 66. sect. 2.

Veritas tamen Catholica est, Spiritum sanctum esse verè Deum. Et omissis varijs testimonijs veteris testamenti, quibus id solet probari, & videri possunt apud Suarez libr. 2. capit. 5. & apud Ruiz disputat. 66. & apud Perez disput. 17. section. 1. probatur ex nouo testamento ex illo Marci vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Et ex illo ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti*; quia in his testimonijs Spiritus significatur Auctor sanctitatis & gratiæ, quod tantùm competit Deo: & ex illo primæ Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Et ex illo Actorū 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? non es mētitus hominibus, sed Deo.*

Veritas hæc diffinita est in Concilio Niceno lib. 2. col. 8. & in pluribus alijs, in quibus symbolum Nicenum recipitur, & in Con-

cilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate & fide Catholica, & habetur in ſymbolo Athanaſij.

Eamdem veritatem Catholicam tradũt Eccleſiæ Patres, qui poterunt videri apud prædictos Doctores vbi ſupra, & contra dictũ errorẽ ſpecialiter ſcripſerunt Dionyſius Alexandrinus duos libros, & Baſilius vnum aduerſus Eunomium, & Ambroſius tres ad Gratianum.

Quod ſi contra hanc veritatẽ obijcias primo illud Ioan. 1. *omnia per ipſum*, id eſt, verbum, *facta ſunt*, ergo etiam Spiritus ſanctus, ergo eſt creatura ſeu factura. Reſpondet optimè Naziãzenus oratione 5. de Theologia, prædictis verbis tantùm ſignificari omnia quę facta ſunt, facta eſſe per verbum, Spiritus autem ſanctus non eſt factus alioquin eis verbis etiam probaretur Patrem factum per verbum.

Quod ſi ſecundò obijcias illud Amos 4. *Ego Dominus creans Spiritum*, ergo Spiritus ſanctus eſt creatura. Reſpondemus vt optimè Nazianzenus, Athanaſius, Baſilius, Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, & Interpretes communiter in eo loco nomine ſpiritus ſignificari ventum, & non Spiritum ſanctum.

Quod ſi tertiò obijcias illud ad Romanos 8. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ſi autem Spiritus ſanctus eſſet Deus à nullo poſtularet, & multo minùs gemitibus. Reſpondemus autem in eo loco nomine ſpiritus non intelligi tertiam Perſonam Trinitatis; ſed vel ſpiritum gratiæ quo mouemur ad poſtulandum, vt exponit Chryſoſtomus homilia 14. vel miniſtrum habentẽ officium publicum orandi, vt idem Chryſoſtomus, & OEcumenius interpretantur, vel intelligi Angelum Cuſtodem, vt quidem volunt teſte Toleto: aut ſi nomine ſpiritus intelligitur tertia Perſona Trinitatis, vt volunt Nazianzenus, Auguſtin. & alij, in eo ſenſu dicitur poſtulare, quia facit nos media ſua gratia poſtulare, vt explicant prædicti, teſte Ruiz ſect. 7.

Nonnulla alia quæ contra eamdem veritatẽ ſolent obijci videri poſſunt apud eumdem Ruiz vbi ſupra.

DIFFI

DIFFICVLTAS II.

Verum Spiritus sanctus non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedat?

ADeò certum est Spiritum sanctum à Patre procedere, vt nullus hæreticus, qui Trinitatem admittit id negauerit; quia Christus Dominus, Ioan. 14. id expressit illis verbis: *Spiritus qui a Patre procedit.*

Tota ergo controuersia inter Latinos, & Græcos fuit, an Spiritus sanctus etiam procedat à filio; quia Græci tenaciter existimãt Spiritum sanctum non procedere à filio, sed tantùm à Patre.

Primus Græcorum apud quem legitur error iste, est Theodoretus in impugnatione Anathematismi 9. Concilij Alexãdrini apud Cyrillum, quamuis non satis constet an ipse fuerit primus Auctor huius erroris, quem errorem eo tempore sequuti fuerunt Nestoriani (& forsam aliquis eorum vel Nestorius ipse fuit primus Auctor illius) quib⁹ Theodoretus tũc fauebat: Theodoretus tamẽ postquã in Cõcilio Ephesino fuit anathematizatus, paulò post respiscẽs in Cõcilio Chalcedonẽsi ad Ecclesiæ cõmunionem receptus est, & ob id error iste pro eo tempore videtur extinctus: postea verò suscitatus fuit à nonnullis Græcis, & vsque ad tempus Leonis 9. absque schismate perseuerauit: à tempore tamen huius Pontificis ob hunc articulum, & alios ortum fuit apertum schisma, & Ecclesia Græca fuit à Latina diuisa, negata obedientia Romano Pontifici.

Veritas tamen Catholica est Spiritum sanctum etiam à filio procedere. Veritas hæc in primis probatur ex Scriptura, primò ex illo Ioan. 16. vbi Christus ait: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, & 17. *Omnia tua mea sunt*: ergo filius habet à Patre virtutem spirãdi; quia à loquutione vniuersali, qua Christus dicit, *omnia tua mea sunt*, tantũ sunt excipienda ea, quibus Pater & filius opponuntur, seu ea quæ filiationi repugnant.

Secundò probatur ex illo Ioan. 16. *Non loquetur* (nempè Spiritus sanctus) *à semetipso, sed quæ audiet loquetur*: & infra, *ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*, Spiritus autem sanctus nequit aliter à filio audire, & accipere quid annuntiet quam procedendo ab illo; quia vna Persona diuina nequit ab alia audire, & accipere quid annuntiet, & dicat nisi ab ea accipiendo naturam diuinam; quia in Personis diuinis natura, seu essentia est scientia,

seu

ſeu notitia omnium ita exponunt hunc locum de proceſsione Spiritus ſancti à filio ex Patribus Latinis, Hilarius, Auguſtin. Ambroſ. Anſelm. & ex Græcis Nazianzenus, oratione 49. Dydimus lib. 2. de Spiritu ſancto, Cyrillus lib. 13. Theſauri c. 4.

Tertiò probatur ex Ioann. 15. & 16. cap vbi Chriſtus promittit Apoſtolis ſe miſſurum illis Spiritum ſanctum: vna autem perſona diuina nequit ab alia mitti, niſi ab ea ſubſtantialiter exeat, vt dicemus diſp. 10. dif. 3. de miſsione.

Quartò probatur ex illo ad Galat. 4. *Miſit Deus in corda noſtra Spiritum Filij ſui*, & ex alijs locis in quibus ſermo eſt de Spiritu, & non ſumpto tantum pro donis Spiritus ſancti, ſed etiam pro ipſa perſona Spiritus ſancti; quia ipſa etiam nobis datur, & in eis ſpiritus dicitur filij: vnà autem perſona nō dicitur eſſe alterius, niſi quia ab ea procedit; quia aliter nequit ad alteram referri.

Deinde veritas hæc definita eſt in epiſtola 10. Cyrilli, quam cum Concilio Alexandrino miſsit ad Neſtorium, & poſtea fuit approbata à Concilio ipſo (quod fuit tertium generale) tom. 1. capit. 14. & à Concilio Chalcedonenſi (quod fuit quartum generale) actione 5. & à Concilio Conſtantinopolitano (quod fuit quintum generale) collatione 6. & à Concilio Conſtantinopolitano tertio, (quod fuit ſextum generale) actione 17. & clariſsime fuit definita à Concilio Niceno 2. (quod fuit ſeptimū generale, & communiter dicitur ſeptima Synodus generalis) actione 7. quia in ea habetur ſymbolum Nicænum cum illa particula, *Filioque procedit.*

Et poſtea eadem veritas definita eſt in Latinis Concilijs, nempè in Lateranenſi, Lugdunenſi, & Florentino, in quibus etiam Græci inuenti ſunt, & conſenſerunt, & in Tridentino ſeſsione 3. in fine.

Et rurſus eadem veritas traditur à Patribus, & non ſolum à Latinis, qui id ſemper ſenſerunt, ſed etiam à plurimis & grauiſsimis Græcis, quos & Latinos referunt, Vazq. diſp. 140. Suarez lib. 10. c. 1. & Ruiz diſp. 67.

Tandem veritas hæc ratione probatur, quia ſi Spiritus ſanctus non procederet a filio, nō diſtingueretur realiter ab illo; quia in diuinis omnia ſunt re ipſa, vnum vbi nō obuiat relationis oppoſitio, ſed eſt certiſsimum diſtingui realiter a filio: ergo ab eo realiter procedit. Vis huius rationis amplius confirmabitur ex dicendis dif. ſequente.

Sed contra hanc veritatem Catholicam obijciunt. Primò, Græci ſchiſmatici Dionyſium de diuinis nominibus cap. 2. vbi ait *ſolus fons* ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater. At ſi Spiritus ſanctus procederet

cederet à filio, etiã filius eſſet fons Deitatis; quia etiã ipſe eam communicaret Spiritui ſancto: reſpondemus ſolũ Patrem Iure optimo abſolutè appellari fontem Deitatis, quia eſt primum principiũ ſine principio, in quo aſſimilatur fonti; quia verò filius non eſt primum principium, ſed principium de principio: ideò riuulus poteſt appellari, & non fons abſolutè, ſed ad ſummum cum addito fons de fonte, ſicut dicitur principium de principio, & Auctor de Auctore.

Secundò obijciunt Nazianzenum in Oratione ad Epiſcopos qui venerant ex Ægypto, vbi ait, omnia quæ habet Pater etiam habet, filius excepta cauſalitate: ſentit ergo filium non eſſe principiũ Spiritus ſancti. Græci enim ſumunt cauſam pro principio, & cauſalitatem pro ratione principij. Reſpondemus, Nazianzenum eo modo loquendi tãtum ſignificare Patri & filio omnia eſſe communia, exceptis relationibus cauſæ, & cauſati, id eſt Patris & filij, quibus Pater & filius opponuntur.

Tertiò obijciunt Damaſcenum 1. de fide c. 11. vbi ait Spiritum *per filium eſſe dicimus, ex filio non dicimus*, quo videtur negare Spiritum ſanctum a filio procedere. Non deſunt qui cum S. Thoma q. 10. de potẽtia ar. 4. exiſtiment & non abſque probabilitate, Damaſcenum fuiſſe in eodem errore Theodoreti: exponi tamen poteſt ſicut Beſſarion ad finem Concilij Florentini oratione pro vnione c. 6 exponit aliquos Patres Græcos negantes Spiritũ ſanctum eſſe a filio; quia exiſtimant particulis, *à*, & *ex*, denotari rationẽ primi principij, quæ non conuenit filio reſpectu Spiritus ſancti, ſed tantũ Patri, & eodem modo Vazq. explicat Theophylactum in c. 3. Ioan. & Euthimium in c. 14. Ioan. qui negant Spiritum ſanctum à filio, aut ex filio procedere, iſti tamen & Damaſcenus non negant per filium procederet, ſed id maximè ſignificant in dictis locis.

DIFFICVLTAS III.

An ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur realiter ab eo?

GOtfredus quodlibeto 7. q. 4. & Torres q. 36. art. 2. p. 2. exiſtimãt diſputationem hanc, vt potè ex ſuppoſitione impoſsibili procedentem eſſe inutilem; quia ex ea ſuppoſitione ſequitur Spiritum ſanctum non eſſe diſtinguendum à Filio, & eſſe diſtinguendum ab eo; quia ex vna parte eſt impoſsibile non diſtingui, & ex altera parte ex dicta ſuppoſitione, ſequitur non fore diſtinguendum; quia

quia ex vno impoſsibili ſequitur quodlibet impoſsibile, ſeu vtraq; pars contradictionis.

Nihilominus diſputationem hanc, quamuis ex ſuppoſitione impoſsibili procedentem eſſe vtilem docent, aut ſupponunt communiter Theologi, & meritò, quia ex vna parte ex ſuppoſitione impoſsibili permanente nequit per locum intrinſecum vtraque pars contradictionis inferri, ſed tãtùm vna, v.g. ſi inquireretur an ex ſuppoſitione, quod in homine non eſſet animal, & maneret rationale, maneret id quo homo diſtingui poſſet ab equo, reſpondendum eſſe *quod maneret*; quia maneret id quo nunc diſtinguitur ab illo: at ſi quis argueret non manente animali, non maneret rationale: ergo non maneret id quo poſſet diſtingui, quamuis benè argueret, ſed nõ argueret ex ſuppoſitione permanente, ex ea ſolum inferendo, quod eſt per locum intrinſecum ex ſuppoſitione arguere, ſed argueret ex ſuppoſitione non manente, ſed deſtructa per alteram partem ſuppoſitionis, qua ſupponebamus in homine, non eſſe animal: diſputatio autem præſens procedit ex ſuppoſitione impoſsibili permanente, quam Græci ſchiſmatici non exiſtimant impoſsibilem, ſed neceſſariam ex ea ſolum inferendo.

Hoc ſuppoſito Henriq. quodlibeto 5. q. 5. Scotus in 1. diſtin. 11. q. 2. & Bachon d. 13. q. 1. docent Spiritum ſanctum ſufficienter diſtinguendum realiter à filio, quamuis ab eo non procederet, ac proinde ex diſtinctione reali filij ab Spiritu ſancto non poſſe contra Græcos concludi Spiritum ſanctum procedere à filio, in quod inclinat Granadus diſp. 7. & id ſignificat Anſelmus epiſtola de proceſſione Spiritus ſancti cap. 1. dum ait, quia filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus ſanctus procedendo, ipſa diuerſitate natiuitatis & proceſsionis referuntur ad inuicem.

Deinde id probatur ratione. Primò, quia quælibet res ſufficiẽter diſtinguitur realiter ab alia, eo principio quo conſtituitur, ſed filius conſtituitur vel relatione in eſſe perſonæ: ergo per illã etiã diſtingueretur ab Spiritu ſancto, quamuis Spiritus ſanctus ab eo non procederet; quia quamuis ab eo non procederet, maneret in filio filiatio; quia filiatio eſt prior, & nullo modo proueniens à proceſsione Spiritus ſancti.

Et confirmatur, quia Paternitas ſufficienter diſtinguit Patrem ab Spiritu ſancto, ita vt quamuis Spiritus ſanctus non procederet à Patre, ſed tantùm à filio, nihilominus Pater ab eo diſtingueretur, ea ſolùm ratione; quia Pater conſtituitur paternitate, qua nõ cõſtituitur Spiritus ſanctus: ergo eadẽ proportione filius diſtingueretur ab Spiritu ſancto; quia filius conſtituitur filiatione, qua nõ cõſtituitur Spiritus ſanctus.

Secun-

Secundò probatur, quia quamuis Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nihilominus ambo procederẽt à Patre duabus, & diſtinctis emanationibus, filius emanatione intellectus, & Spiritus ſãctus emanatione voluntatis: ergo & ipſi euaderẽt diſtincti; quia termini diſtinctarum emanationum nequeunt non eſſe diſtincti.

S. Thom. vero q. 36. ar. 2. & omnes eius diſcipuli, Vazq. diſ. 147. Suar. lib. 10. c. 2. Mœratius diſp. 52. Zuñiga diſp. 11. Turr. diſp. 20. dub. 3. Ruiz diſput. 68. ſect. 4. Perez diſp. 16. ſect. 2. & communiter Scholaſtici in 1. d. 11. docent, & meritò Spiritum ſanctum nõ diſtinguendum realiter à Filio, ſi ab eo non procederet, ac proinde ex diſtinctione reali Filij, & Spiritus ſancti, quam etiam Græci fatentur, deducitur Spiritum ſanctum etiam procedere à Filio.

Et id ſatis ſignificant Patres Nyſſenus lib. ad Ablabium (quem refert Beſſarion oratione habita in Concilio Florentino ca. 6.) vbi ait, Perſonas diuinas non diſtingui, niſi quia vna procedit ab alia, quod etiam ſæpè tradit Aug. lib. 2. de Trinit. ca. 11. & lib. 5. ferè per totum, & idem tradit Nazianzenus, & alij, quos refert Ruiz diſputat. 68. ſection. 4. & idem ſæpè ſignificatur in Concilio Florentino ſeſſ. 18.

Et ratione probatur, quia relationes Patris, & ſpiratoris in Patre non diſtinguuntur realiter, & non conſtituunt duas Perſonas, ſed eidem Perſonæ Patris conueniunt, quia non opponuntur, ſeu non ſunt incompoſsibiles, ſed ſi Spiritus ſanctus nõ procederet à Filio, relationes filiationis, & ſpirationis paſsiuæ non eſſent oppoſitæ: ergo non diſtinguerentur realiter, nec conſtituerent duas Perſonas, ſed tantum vnam, & eidem conuenirent, ſicut enim ex defectu oppoſitionis, ſeu incompoſsibilitatis inter relationem generantis, & ſpirantis vna & eadem Perſona eſt generans, & ſpirans, ita etiã deficiente oppoſitione inter filiationem, & ſpirationem paſsiuam, vna & eadem Perſona eſſet genita, & ſpirata: in diuinis ergo non eſt diſtinctio realis inter ea inter quæ non eſt realis oppoſitio, & incompoſsibilitas; quia ex ſumma vnitate, & ſimplicitate entitatis diuinæ prouenit, quod quando in ea nõ eſt oppoſitio, & incompoſsibilitas ſit vnitas, & identitas realis.

Reſpondet Scotus in caſu in quo Spiritus ſanctus non procederet à Filio, relationes geniti, & ſpiranti eſſe realiter diſtinguẽdas; quia etiam in eo caſu eſſent duæ emanationes realiter diuerſæ, ex quibus non poſſent non oriri duo termini realiter diuerſi. Hæc tamẽ reſpõſio facilè poteſt reijci; quia eadẽ omnino ratio eſt relationũ, & emanationũ; quia relationes non diſtinguũtur realiter ab emanationibus, ex quibus noſtro modo cõcipiẽdi oriũtur; quia emanationes

tiones nihil aliud sunt quam relationes ipsæ considerataæ quasi in via, & à relationibus sola ratione differunt, sicut ergo in Patre generatio actiua, & spiratio actiua, & eadem proportione relatio Patris, & spiratoris non distinguuntur realiter, quia non opponuntur, & non sunt incompossibiles, etiam generatio passiua, & spiratio passiua, & eadem proportione relatio geniti, & relatio spirati non possent realiter distingui, si inter eas non esset oppositio: illa ergo propositio *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, verissima est.

Ad fundamenta ergo aduersariorū respondeamus, & in primis ad testimonium Anselmi respondemus, quando ait Filium, & Spiritum sanctū distingui realiter natiuitate, seu filiatione, & processione loqui de filiatione, & processione quæ de facto sunt; quia filiatio quę modo est relatiuè, opponitur quāuis tantū mediatè spirationi passiuæ, seu processioni; quia quæ modo est se tenet peculiariter ex parte principij ad spirationem passiuam, vt diximus disput. 1. dif. 9. in casu autem in quo Spiritus sanctus non procederet à Filio, non essent ædem, saltem numericè, & realiter, ac modo sunt, vt statim dicemus, nec opponerentur.

Ad priorē verò rationē fatemur, filiū in esse personæ constitui filiatione, quæ de facto est, & etiā distingui realiter ab Spiritu sancto: imò ea prout formaliter distincta ab spiratione actiua, quia personæ personæ suis proprietatibus personalibus distinguuntur realiter, & sunt discretæ, vt dicitur in c. *firmiter*, de sum. Trinit. & fide Cathol. desumpto ex Concilio Lateranensi sub Innocētio III & id supponitur in 6. Synodo generali actio 11. in epist. Sophronij. Proprietas autē personalis filij est filiatio, in casu tamen in quo Spiritus sanctus nō procederet à filio quāuis maneret eadē filiatio quasi secūdū speciē, vt supponit Vazq c. 1. nō tamen eadē numero, & realiter quæ modo est, vt optimè Suar. nec eadē numero spiratio passiua, quæ modo est, quia filiatio quæ modo est in filio, est eadē cū spiratione actiua, & oppositione principij opposita, saltem mediatè spirationi passiuæ; quia tāquā quid peculiare se tenet ex parte principij ad spirandū, & spiratio passiua quæ modo est in Spiritu sancto, est realiter distincta à filiatione: in casu autē dictæ suppositionis filiatio nō esset eadē realiter cū spiratione actiua, nec se teneret ex parte principij spiratiui, & spiratio passiua nō esset realiter distincta, sed eadem cum filiatione: & ita in hac difficultate quæ procedit ex dicta suppositione, nequit supponi, & admitti mansuram eamdem numero filiationem, nec eamdem numero spirationem passiuam; quia suppositio illa destruitur per locum intrinsecum per suppositionem,

ex

ex qua noſtra difficultas procedit, & ita in caſu noſtræ difficultatis procederent Filius, & Spiritus ſanctus inter ſe realiter indiſtincti, diſtincti tamen à Filio, & Spiritu ſancto, qui modo ſunt.

Et ad confirmationem reſpondemus, quod quamuis Spiritus ſanctus non procederet immediatè à Patre, ſed tantum à Filio nihilominus diſtingueretur realiter à Patre non præciſæ, quia conſtituitur paternitate, qua non conſtituitur Spiritus ſanctus; ſed quia conſtituitur paternitate realiter diſtincta ab ſpiratione paſsiua ob oppoſitionem mediatam inter vtramque; quia eo ipſo quod Spiritus ſanctus procederet à Filio, etiam procederet mediatè à Patre, quia à Patre procedit ipſe Filius, à quo Spiritus ſanctus procederet: impoſsibile autem eſt principium producens, vt quod quamuis mediatum non diſtingui realiter à producto, diſtingueretur autem ab Spiritu ſancto ſola paternitate, & immediatè ob ſolam oppoſitionem mediatam inter illam, & inter ſpirationem paſsiuam (quamuis in eo caſu paternitas eſſet realiter diſtincta ab ea quæ modo eſt) ſicut modo etiam ſola paternitate, vt formaliter diſtincta ab ſpiratione actiua diſtinguitur realiter ab Spiritu ſancto; quia ea ſola eſt proprietas perſonalis Patris, & conſtitutiua Patris; ſpiratione tamen actiua diſtinguitur ob coniunctionem cum paternitate; quia identificatur cum paternitate, & tãquã quid peculiare ortũ ex paternitate, & oppoſitum ſpirationi paſsiuæ, etiam ſi ſpiratio actiua ratione ſui & immediatè diſtinguatur realiter ab ſpiratione paſsiua cum ſint relatiuæ oppoſitæ; at ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, nullo modo opponeretur Filio, quia ab eo non procederet adhuc mediatè; quia Pater à quo ſolo in eo caſu Spiritus ſanctus procederet, non procedit à Filio, quamuis tunc Spiritus ſanctus conſtitueretur filiatione; quia in eo caſu filiatio non diſtingueretur ab ſpiratione paſsiua: & quidem tunc vna & eadem perſona, ita eſſet Filius, & Spiritus ſanctus, vt filiatione prout formaliter diſtincta ab ſpiratione paſsiua, conſtitueretur, & realiter diſtingueretur: ſpiratione verò paſsiua ſolum identice non formaliter; quia in eo caſu ſpiratio paſsiua noſtro modo concipiendi aduenirent perſonæ Filij iam conſtitutæ, quamuis ſpiratio actiua ratione ſui, & immediatè diſtinguatur realiter ab ſpiratione paſsiua.

Ad poſteriorem rationem reſpondemus, in eo caſu in quo Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non eſſe futuras duas emanationes, ſeu origines paſsiuas realiter diſtinctas, ſicut nec duas relationes producti realiter diſtinctas; ſed tantùm ratione, ſicut

sicut nec modo sunt duæ origines actiuæ, nec duæ relationes producentis realiter distinctæ; quia tunc inter eas emanationes nulla esset oppositio; quia emanatio, seu generatio passiua filij non supponeretur re ipsa tamquam productio principij emanationis, seu productionis Spiritus sancti: modo verò distinguuntur realiter; quia generatio passiua filij præsupponitur ad spirationem passiuam tamquã productio passiua principij spirationis passiuæ, & non distinguitur ratione spirationis actiuæ, cui coniungitur; sed ratione sui quamuis ob mediatam oppositionem ipsius tãquam productionis principij emanationis Spiritus sancti, sicut dicebamus de relationibus; quia à relationibus non aliter distinguuntur quam ratione nostra; quia nihil aliud sunt quam ipsæ relationes, vt à nobis concepiç quasi viç ad terminos, sicut ergo filiatio formaliter ratione sui distinguitur realiter ab spiratione passiua, & non ratione spirationis actiuç cum qua identificatur; quia ad spirationem actiuam à qua passiua immediatè distinguitur realiter ob immediatam oppositionẽ, præsupponitur, vt productio principij spirationis actiuæ, ita etiam eadẽ proportione origo passiua, seu emanatio Filij distinguitur ratione sui ab emanatione qua emanat, seu producitur Spiritus sanctus: his ergo emanationibus, & relationibus conuenit distinctio realis ex oppositione mediata sicut originibus actiuis, & relationibus producentis conuenit distinctio realis ab emanationibus passiuis, & à relationibus productorum ex oppositione immediata.

Ex quibus constat has emanationes, seu productiones passiuas ordine prioris, & posterioris secundùm originem distingui realiter, non oppositione relatiua immediata, sed mediata; quia vna supponitur ad aliam. Generatio enim passiua supponitur realiter ad spirationem passiuam tamquam productio filij, qui est principium Spiritus sancti: & etiam Personas, quia vna supponitur ad alteram tamquam principium, & etiam relationes non correlatiuas, vt filiatio, & relatio spirati: relationes verò correlatiuæ, vt paternitas, & filiatio, & relatio spiratoris, & relatio spirati oppositione relatiua; quia re ipsa opponuntur relatiuè; & etiam origines actiuæ à passiuis, vt generatio actiua à generatione passiua, & spiratio actiua à passiua distinguitur oppositione realiter relatiua; quia realiter sunt relationes immediatè, & directè oppositæ.

DIFFI-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti?

SVpponimus primo, id quod est de fide diuina certum, nempè nō solum Filium, sed etiam Patrem immediatè producere Spiritum sanctum; quia non solum in Filio est virtus spirandi, sed etiam in Patre; quia virtus spirandi non opponitur Patrij, oppositione principij, nec principiati, seu producti, quòd definitur in Concil. Lugdunē si, & in Florentino vbi infra quando dicitur Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, & id supponunt Patres, & satis significatur in scriptura, in qua absolutè dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre: imò Bonau. Scot. Dur. in 1. d. 11. q. 2. & Marsil. in 1. q. 15 ar. 1. addunt Spiritum sanctum principalius procedere à Patre, quam à Filio; quia Pater spirat virtute à se habita Filius verò virtute sibi à Patre communicata, immerito tamen vtuntur particula illa comparatiua *principalius*, vt optimè S. Thom. q. 36. art. 3. Suarez lib. 10. cap. 3. & Vazq. disp. 149. Ruiz disp. 69. sect. 1. & Perez dispu. 16. sect. 5. quia ea particula comparatiua indicat inæqualitatem, aliquam in modo spirandi inter Patrem, & Filium, quæ verè non est; quia vterque æque immediatè, & eadem virtute spirandi spirāt Spiritum sanctum, sicut etiam Pater nō dicitur principalius creare quā Filius, & Spiritus sanctus, quamuis isti non creent nisi virtute à Patre communicata suis æternis processionibus: dicitur tamen ab August. 15. de Trin. c. 17. Spiritus sanctus principaliter procedere à Patre; quia à Patre procedit, vt à primo principio, & fonte a se habente virtutem.

Supponimus secundo, in quo omnes conueniunt in Patre, & in Filio esse vnam tantum numero virtutem spirandi, & id constat ex Concilio Lugdunensi, vt refertur in capitul. *fideli* de Summa Trinitate in 6. & ex Florentino sessione vltima in litteris vnionis, in quibus definitur Spiritum sanctum procedere à Patre, & à Filio, vt ab vno principio; quia si in Patre, & in Filio esset duplex virtus spirandi, cum alias sint duo suppositа, & duæ personæ, nullo sensu possent dici vnum principium Spiritus sancti. Et id etiam ratione constat; quia virtus spirandi, quæ est in Patre nullo modo opponitur filiationi; quia nec est principium filiationis, nec ei correlatiuè opponitur: ergo illa eadem communicatur,

& reperitur in Filio in Diuinis enim omnia sunt vnum, vbi nõ obuiat relationis oppositio mediatè, vel immediatè; quid autem includat virtus spiratiua, & quid potentia generatiua diximus disput. 1. difficult.

His ergo duobus suppositis, nempè Patrem, & Filium immediatè, & vna numero virtute spiratiua producere Spiritum sanctum, superest controuersia, an Pater, & Filius sint vnum principium, Spiritus sancti an duo: procedit autem de principio *quod*, nõ de principio quo, quod est virtus ipsa spiratiua; quia iam supponimus esse vnam tantum numero, ac proinde in illis esse vnum tantum principium *quo*.

Durand. in 1. d. 29. q. 2. & 3. & Gregor. Ariminensis d. 12. q. 1. docent Patrem, & Filium in rigore non esse vnum principium Spiritus sancti, sed potius duo; quia sunt duo suppositа producentia Spiritum sanctum: ergo sunt duo principia *quod*; quia principium quod de quo procedit difficultas, est idem, quod suppositum producens; addunt autem Dur. & Greg. Conc. Lugdunense, & Florentinũ dedita opera, dixisse Spiritum sanctum procedere à Patre, & à Filio, tãquam ab vno principio, non absolutè, sed addita particula *tanquam*, ad denotandum Patrem, & Filium, non tam esse vnum principium, quàm se habere, tanquam vnum principium ad eum modum, quo duæ causæ cõcurrentes ad eũdem effectum, quę nõ producunt illũ magis perfectum, quã vna sola illum produceret, dicũtur se habere ad illum per modum vnius principij.

Sanct. Thomas verò q. 36 art. 4. & ibidem Canarien. & recentiores Thomistæ, Bonauent. Scot. Richard. & communiter Scholastici in 1. d. 12. Vaz. q. disp. 149. Suarez lib. 10. cap. 7 Ruyz disp. 70. Mirarius disp. 52. Zuñiga disp. 11. dub. 6. & Perez disp. 16. sectione 4. docent Patrem, & Filium esse in rigore vnum principium Spiritus sancti, & non duo. Et merito; quia id tradunt Concilium Lugdunense, vt refertur in cap. vnico de Summa Trinitate in 6. & Florentinum in litteris vnionis, sessione vltima, dum ab eis dicitur spiritum procedere à Patre, & à Filio, tamquam ab vno principio, vbi particula *tamquam*, non est nota similitudinis, sed veritatis rei, vt ex contextu constat aliàs non occurrerent Græcis falsò imponentibus Latinis, quòd asserrerent Spiritum Sanctum procedere à Patre, & à Filio, vt à duobus principijs. Et ob id modus loquendi Durandi, & Gregor. solet temeritatis notari; quia opponitur dictis Conciliis, quamuis non in re, sed in modo loquendi, & idem quod in dictis Conciliis definitur, etiam docent Aug. 5. de

Tri-

Trin. c. 14 Hilar. 4. de Trin. & Anſel. de proceſſione Spiritus ſancti c. 10. & 11. & 16.

Et ratione probatur; quia vnitas, & pluralitas nominis cõcreti ſubſtantiui (quale eſt nomen principium) deſumitur ex vnitate, & pluralitate directi ſignificati, quòd eſt partiale, vel quaſi partiale, vt dicemus diſputat. 9. difficult. 1. ſed concretum ſubſtantiuum ſignificat directè formam, & indirectè ſubiectum, ſi ſit accidentale, *vt artifex*, vel ſi ſit quaſi accidentale: *Vt primipium genitor, & ſpirator*, in Diuinis ſignificat indirectè ipſa ſuppoſita Diuina, quaſi ſubiecta in confuſo, ſeu ſuppoſitum Diuinum in communi, aut ſignificat ſuppoſitalitates in confuſo conſtituentes ſuppoſita, ſeu ſignificat ſuppoſitalitatem in communi, ſi ſit ſubſtantiale, non quaſi accidentale, vt nomen Deus, & nomen homo, ac proinde nomen principium ſpirandi, quòd eſt concretum ſubſtantiuum, quaſi ac cidentale (quamuis verè ſubſtantiale) directè ſignificat virtutem ſpirandi modo noſtro concipiendi aduenientem ſuppoſitis Patris, & Filij, & indirectè, ſeu connotatiuè ſignificat ſuppoſita in confuſo, quibus ea virtus conuenit, & aduenit, eo modo, quo nomen Deus directè ſignificat Deitatem, & indirectè ſuppoſitatalites Diuinas in confuſo, ſeu ſuppoſitalitatem Diuinam in communi: ergo ex vnitate, & pluralitate virtutis ſpiratiuæ deſumenda eſt vnitas, & pluralitas principij ſpirandi, ſed Pater, & Filius habent vnam tantum virtutem ſpirandi: ergo ſunt vnum tantum principium ſpirandi, ſicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus tantum Deus; quia in eis eſt vna tantum Deitas, quæ directè ſignificatur nomine Deus.

Et ob eamdem rationem Pater, & Filius dicuntur vnus tantum ſpirater Spiritus ſancti, vt docet S. Thomas ar. 4. ad 6. & communiter Theologi; quia ſcilicet ſpirator eſt concretum ſubſtantiuum directe ſignificans virtutem ſpirandi, quæ tantum eſt vna, aut actum ſpirandi, qui etiam eſt tantum vnus. Dicuntur tamen duo ſpirantes, aut duo ſpirantia; quia nomen ſpirans, vtpotè adiectiuum directè ſignificat ſuppoſitum, & indirectè virtutem ſpirandi, ac proindè ſpirans eſt duplex ſicut eſt duplex ſuppoſitum.

Vnde ad rationem Durandi, & Gregorij reſpondemus nomen principium ſumi non pro virtute tantum, nec pro ſuppoſito tantum, ſed pro concreto coalefcente ex ipſa virtute, & ex ſuppoſito prout abſtrahit ab hoc, & ab illo; hoc autem concretum principium eſt vnum in Patre, & in Filio; quia eſt ſubſtantiuum,

vnde terminus principium quando dicimus Patrem, & Filium esse vnum principium, supponit determinatè singulariter, sicut quando dicimus Pater, & Filius sunt vnus Deus; quia terminus *principium spirandi* est singularis, ac proinde quando dicimus Pater, & Filius sunt vnum principium spirandi, idem est, ac dicere sunt hoc vnum principium spirandi; quia principium spirandi est vnum tantum, sicut est vnus tantum Deus, non ergo terminus principium spirandi supponit confusè; quia suppositio confusa tantum conuenit termino communi habenti sub se singularia, principium autem spirandi, non habet sub se singularia, nisi ex parte indirecti, seu connotati significati, & ita quatenus supponit, & sumitur pro connotato, idest, pro ipso habente virtutem spirandi, prout abstrahit ab hoc, & ab illo supponit, & sumitur confusè, vt ait S. Thomas artic. 4 ad 6. quia tamen directum significatum nominis principij spirandi est omnino singulare, ideò terminus *principium* absolutè est singularis, & singulariter supponit non confusè (vt dixit Capreolus) nec collectiuè (vt alij dicunt) quia etiam hæc suppositio repugnat termino ita singulari.

Ad rationem ergo Durandi, & Gregorij respondemus concedendo antecedens, nempè Patrem, & Filium esse duo suppositа, & negando cõsequentiam, nempè ergo sunt duo principia, vt quod; quia principium, quod non est suppositum habẽs virtutem, sed potius est virtus in supposito, seu est coalescens ex supposito cõnotatiuè, seu indirectè significato, & ex virtute significata directè, quæ tamẽ est vna, & ideo principium, quod est tantum vnum; quia à forma directè significata concretum substantiuum singularizatur, aut pluralificatur.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Spiritus sanctus ex vi suæ processionis exigat procedere à duobus spirantibus?

QVærimus in hac difficultate, an Spiritus sanctus ita procedat à Patre, & Filio, vt per se ex vi suæ personalis, seu characteristicæ proprietatis requirat ab ambobus procedere, an tantum procedit ab ipsis duobus comitanter, seu peraccidens, ex eo scilicet quod in ambobus reperitur virtus spiratiua, eo modo quo

quo creaturæ ita procedunt à tribus personis, vt comitanter tantum, & quasi per accidens procedant ab illis, ex eo quod in qualibet earum reperitur virtus creatiua, & non per se, quia creaturæ eodem procederent, quamuis ab vna tantum persona procederent.

Scotus, Duran. Ocham. Gab. & Aur. in 1. dist. 12. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 27. & Molina quæst. 36. a. 4. disp. 5. docent Spiritum sanctum ex vi suæ proprietatis personalis non exigere procedere à Patre, & à Filio, ac proinde eiusdem proprietatis, & naturæ processurum, quamuis tantum ab vno ex illis procederet. Quia virtus spirandi tota, & æquè perfecta reperitur in qualibet Persona, ac est in ambabus simul: ergo Spiritus sanctus eodem modo procederet à qualibet, ac modo procedit ab ambabus; quia pluralitas suppositorum, aut subiectorum, in quibus est virtus productiua, est impertinens ad productionem producti, quoties ex eorum pluralitate, nihil accrescit virtuti productiuæ. Et confirmatur, quia ex eo pluralitas personarum non requiritur per se ad creandum, quia in qualibet est eadem omnino, & æquè perfecta virtus creandi.

S. Thom. quæst. 364. & ibidem eius expositores Vazquez disp. 150. Sua. lib. 10. cap. 6. Tur. disp. 31. dub. 3. Mœratus d. disp. 52. sect. 3. Zuñiga disp. 11. dub 4. Ruyz disp. 71. & Perez disp. 15. section 3. docent Spiritum sanctuum ex vi suæ characteristicæ, seu personalis proprietatis per se exigere à Patre, & Filio procedere.

Et merito, quia Spiritus sanctus qui modo est, ex vi suæ personalis proprietatis, qua de facto constituitur, est nexus Patris, & Filij, seu mutuus, & reciprocus amor Patris, & Filij: ergo ex vi suæ proprietatis personalis per se exigit procedere ab vtroque, tamquam à producente, & tamquam ab amante. consequentia patet, antecedens autem, nempè quod Spiritus sanctus, ex vi suæ proprietatis personalis, sit nexus Patris, & Filij, seu mutuus, & reciprocus amor ipsorum, satis significant Augustinus 6. de Trinitate cap. 5. Hieronymus in Psalm. 17. Bernardus lib. 1. de Amore Dei, Hugo de Sancto Victo. in Epistola ad Bernardum, Anselmus in Monologio cap. 48. & Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei.

Et ratione probatur idem antecedens; quia Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis, qua constituitur, distinguitur re ipsa à personis Patris, & Filij: ergo per se, & ratione suæ proprietatis personalis ab ambabus procedit; quia aliàs non distingueretur realiter ab ipsis.

Vnde ad rationem aduersariorum negamus in qualibet persona esse integre virtutem spiratiuam; quia virtus spiratiua non tantum dicit voluntatem Diuinam, aliàs etiam esset in Spiritu Sancto, sed etiam connotat, quamuis tantum extrinsecè proprietatem aliquam personalem non Patris tantum; quia in Patre solo non est virtus ad amorem mutuum, seu nexum producendum nec Filij tantum ob eamdem rationem, sed simul personalitates Patris, & Filij; quia in ambobus simul, & non in quolibet est virtus ad producendum amorem mutuum, seu nexum ipsorum, & ideò Spiritus Sanctus ex vi suæ proprietatis exigit procedere à duabus personis, creaturę verò non exigunt procedere à tribus personis; quia virtus creatiua est sola omnipotentia, quæ in qualibet persona seorsim reperitur, imò ita Deus creat, vt personalitates ipsæ omnino peraccidens se habeant ad creationē, sicut & nostræ personalitates ad actiones ortas ex natura, aut ex eius potentijs, vt dixim. tract. de Incarn. disput. 1. diffi. 16.

DIFFICVLTAS VI.

Ex quarum rerum amore procedat Spiritus Sanctus?

SVpponimus primo amorem essentialiter sumptum, non esse proprium Spiritus sancti, sed communem tribus personis Diuinis, & amorem notionaliter sumptum pro productione actiua Spiritus sancti, qui dicitur spiratio actiua, non conuenire Spiritui sancto, sed tantum Patri, & Filio: amorem verò notionalem, tam sumptum pro productione passiua Spiritus sancti, qui dicitur spiratio passiua, quam sumptum pro termino ipso producto soli Spirituisancto conuenire, quia ei soli conuenit spirari passiuè, & esse terminū productum per eam spirationem passiuam, qui terminus defectu vocabulorum dicitur amor.

Supponimus secundo Patrem, & Filium à quibus, vt à principior per amorem producitur Spiritus sanctus, vt diximus disput. 1. difficul. 2. amare, seu diligere Diuinitatem (sub qua etiam comprehendimus attributa) & suas personas, & personam Spiritus sancti, & relationem spiratoris, quæ est in Patre, & in Filio ad Spiritum sanctum, & etiam diligere creaturas, tàm aliquando existentes, quam purè possibiles.

Est

Est ergo difficultas, an ex omnium dictorum obiectorum amore procedat Spiritus sanctus, ab ea tamen breuiter expediemur, quia eadem proportione dicendum est de omnibus per se requisitis ad productionem Spiritus sancti, ac dictum est disput. 7. difficult. 4. 5. & 6. de obiectis per se requisitis ad productionem verbi, quòd ibi notauimus.

Circa quam conueniunt Theologi Spiritum sanctum procedere ex amore diuinitatis, non minus, quã Verbũ ex cognitione illius, in quo etiam cõuenit Scot in d. 32. q. 1. addit tamen procedere ex amore solius diuinitatis, in quo reliquis Theologis aduersatur, & absque fundamento aliquo firmo.

Dicendum est ergo primo, Spiritum sanctum per se procedere ex amore Patris, & Filij, in quo Theologi conueniunt, excepto Scoto, & id docẽt Vaz. disp. 142. in fine Sua. lib. 11. c. 2. Zũñig. disp. 12. dub. 2. & Gran. disp. 9. & constat ex dictis difficultate præcedente; quia scilicet Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis est nexus, & mutuus amor (sumptus pro termino) Patris, & Filij, non solum tanquam amantium, seu ex parte principij, sed etiam tanquam obiectorum amatorum.

Secundò, dicendum est Spiritum sanctum non procedere ex amore sui ipsius, tamquam obiecti amati (in quo Scoto assentimur) quòd in primis constat à simili; quia nec Verbum procedit ex cognitione sui tanquam obiecti: Deinde constat, quia Spiritus sanctus, non potuit cognosci à Patre, & Filio ante sui productionem: ergo nec amari: ergo non potuit ex sui amore procedere, quod si Spiritus sanctus non procedit ex amore sui, nec procedit ex amore Patris, & Filij, vt spirantium; quia amore ipso notionali sunt spirãtes, amor autẽ notionalis nõ procedit ex amore sui procedit tamẽ Spiritus sanctus ex amore Patris, & Filij, vt spiratoris, seu habentiũ virtutem actiuam spirandi; quia hæc est ante ipsam spirationẽ actiuã, & passiuam.

Tertiò, dicendum est Spiritum sanctum non procedere ex amore creaturarum, in quo conueniunt Scotus, Vazquez, & Sua & in primis patet de creaturis aliquando existentibus, seu futuris; quia illæ potuerunt non esse, & consequenter non amari, Spiritus autem sanctus non potuit, non produci: ergo per se nõ procedit ex amore earum Deinde quod non procedat ex amore creaturarum purè possibilium, probatur, quia Spiritus sanctus est magis necessarius, quã ille: ergo nequit ab illis per se procedere.

Nihilominus Pater & Filius non solum se, sed etiam Spiritum sanctum, & creaturas amant, seu diligunt ipso Spiritu san-

cto non adæquatè sumpto pro coalescente ex essentia, & ex sua personalitate, sed inadæquatè ratione solius essentiæ, ea proportione, qua disp. 7. difficult. 6. & 8. diximus, Patrem Verbo Diuino inadæquatè, non solum dicere se ipsum, sed etiam ipsum Verbum, & Spiritum sanctum, & creaturas, quòd amplius in sequentibus declarabitur.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo Pater, & Filius se diligunt Spiritu sancto?

SVpponimus in quo conueniunt Theologi Patrem, & Filium se diligere Spiritu sancto, quod etiam significant Augustinus 6. de Trinitate cap. 5. Hieronymus in Psalm. 17. Bernard. lib. de Amore Dei cap. 7. & 8. Richardus Victorinus in declarationibus ad Bernardum.

Est tamen controuersia in quo sensu ea propositio sit vera.

Primus modus dicendi est Gotfredi Pictauiensis existimantis dictam propositionem non esse veram in sensu proprio, & rigoroso, & fuisse ab Augustino in alia simili propositione virtualiter retractatam; quia Augustinus postquam lib. 83. quæstionum, quæstio. 23. dixit Patrem esse sapientem sapientia genita, postea lib. 1. retractationum cap. 26. id retractauit, eadem autem videtur ratio de hac propositione: *Pater est sapiens sapientia genita*, & de illa *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*, huic primo modo dicendi, adhærere videntur Canariensis quæst. 37. articul. 2. & Molina, § penultimo.

Modus iste dicendi nobis non probatur; quia præterquam quod dicta propositio in proprio sensu est vera, vt postea dicemus, etiam Augustinus eam non retractauit, retractasset autem si illam existimasset falsam, eam autem non retractauit, quia non expressè in se ipsa; quia nullibi id fecit, nec virtualiter in alia simili; quia illa propositio, Pater est sapiēs sapientia genita est omnino, diuersa, & dissimilis, vt postea constabit, cui accedit quod Bern. & Richar. propositionem illam desumpserunt ex Aug. & ex eo non desumpsissent si eam retractasset.

Secundus modus dicendi est Durandi in 1. d. 31. q. 1. existimantis dictam propositionem esse veram Spiritu sancto, sumpto non

pro

pro tertia persona Trinitatis, sed pro amore essentiali, qui solet ac commodari Spiritui sancto, hic etiam modus dicendi nobis non probatur; tum quia dicti Patres apertè loquuntur de tertia persona Trinitatis, tum etiam, quia etiam est vera Spiritu sancto sic sumpto, vt statim dicemus.

Tertius modus dicendi est Simonis Tornacensis (vt refert Scotus in 1. dist. 32. q. 2.) asserentis dictam propositionem ita esse accipiendam, vt sensus sit, *Spiritus sanctus est signum dilectionis Patris, & Filij*. Hic etiam modus dicendi nobis non probatur, primo; quia dictus sensus est alienus à mente Patrum ex quibus dicta propositio deducitur. Secundò, quia etiam est alienus à verbis ipsius propositionis, vt postea dicemus. Tertiò, dictus sensus est maximè improprius; quia sic etiam posset dici, ignis comburit fumo; quia fumus est signum combustionis.

Reliqui verò Theologi communiter admittunt dictam propositionem in sensu proprio, sumpto Spiritu sancto pro tertia Persona Trinitatis, & sumpta dilectione, pro dilectione notionali, quamuis dissentiant in explicando, quomodo sic accepta sit vera.

Sanctus Thomas, Caietan. & recentiores Thomistæ quæstio. 37. art. 2. docent Patrem, & Filium dici diligere se Spiritu sancto, denominatione extrinseca desumpta ab Spiritu sancto, vt à termino, & quasi effectu; quia agens aliquando etiam à suo effectu, aut termino denominatur in casu effectiuo, tunc videlicet, quando terminus particulariter, seu determinatè respicitur ab actione agentis, id est, quando actio in suo conceptu respicit terminum particularem, & determinatum, in quo sensu etiam dicimus arbor floret floribus; quia ergo dilectio notionalis in suo conceptu respicit particulariter, & determinatè Spiritum sanctum tamquam terminum, ideò Pater, & Filius dicuntur diligere se Spiritu sancto.

Hic tamen modus explicandi propositionem, prout iacet, non placet Scoto, Durando, Canarien. vbi supra, & merito, nisi amplius explicetur, & declaretur; quia etiam ædificatio in suo conceptu respicit ædificium, vt effectum particularem, & determinatum, & tamen non dicitur ædificator ædificat ædifitio, & generatio eodem modo respicit Filium, & tamen Pater non dicitur generare Filio. Et exemplum Sancti Thomæ non videtur illis esse ad propositum; quia floreo, vt potè verbum neutrum non significat actionem, sed floridum esse à quocumque flores proueniant, tamquam ab agente, quæ est denominatio non agentis ab

esse;

effectu, sed quasi subiecti à forma, sicut & frondosum esse, & ita virga Aaron ad Hebreos 9. dicitur fronduisse, quamuis frondibus non à se, sed à solo Deo productis: & quanuis admittatur denotare actionem producēdi flores, vt quibusdam placet, adhuc secundum eos nō tam significat actionem producēdi flores, quā floridum esse quasi subiectum â floribus à se productis.

Omissis tamen variis explicationibus rationis, & doctrinæ S. Thomas aut quia ea, quæ in illius explicationem dicuntur sunt difficilia, aut quia eorum non redditur sufficiens ratio. Pro explicatione dictæ propositionis obseruandum est duplex esse genus actionum, vnum est earum, quæ solum significantur sub respectu ad terminum productum, vt generatio, spiratio, productio, & effectio alterum est earum, quæ non solum significantur cum respectu ad terminum productum, sed etiam ad aliam rem non productam, vt ad obiectum, vel ad subiectum, vt calefactio, dictio, dilectio, intellectio, in actionibus prioris generis nulla prouenit denominatio agenti à termino in casu effectiuo, sed tantum ab actione, non enim dicimus: *Pater generat Filio, nec spirat Spiritu Sancto*: In actionibus tamen posterioris generis, non tantum prouenit denominatio agenti ab actione, sed etiam à termino, ab actione directè, & à termino indirectè, seu in obliquo denominatione quasi modali, dicimus enim: *Ignis comburit lignum calore*, Et non tantum suo, sed etiam eo calore, qui producitur in subiecto; & quis etiam dicitur, dealbare parietem albedine, & Pater Verbo suo se dicere, aut intelligere. Ratio horum est; quia quoties annectitur terminus actionis in casu effectiuo, denotatur terminum esse quasi medium, ratione cuius actio, & agens media actione respicit aliud. Et quia actiones prioris generis tantum significantur cum ordine ad terminum, ideſt, vt productiones termini, ideò eis nequit annecti terminus in casu effectiuo, bene tamē actionibus posterioris generis; quia his præter terminū, etiā supereſt aliud quod possint medio termino respicere.

Ex his ergo dictis, constat optimè dici posse Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto; quia scilicet dilectio significatur, prout resdiciens, non tantum terminum, sed etiam obiectum, & non quia dilectio notionalis sit vnio Patris, & Filij in Spiritu sancto; quia quamuis sit vnio, seu connexio, sed non significatur, vt vnio sicut etiam Pater dicit Verbo suo ob rationem dictam, quamuis dictio non sit vnio, & iuxta hanc explicationem, quam adducunt Scotus vbi supra, Vazquez disput. 151. & Tur. disput. 21. dub. 2. exponi potest Sanctus Thomas in eo art. 2. vt tantum loquatur de actione

quæ

quæ ſignificatur ſub prædicto duplici reſpectu, qualis eſt dilectio, & dictio.

Addimus vt optimè Ruyz diſputat. 74. ſectione 2. contra nonnullos, quòd ſicut hæc eſt in rigore vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto ita etiam hęc Pater, & Filius diligunt ſe per Spiritũ ſanctum; quia quoties terminus productus poteſt ſignificari caſu effectiuo, etiã poteſt ſignificari accuſatiuo, addita præpoſitione *per*; quia vtroque modo redditur idem ſenſus.

Sed an poſsit dici Spiritus ſanctus diligit ſe, aut alios ſe ipſo ſub controuerſia eſt; quia nonnulli Thomiſtæ, vt refert Vazquez diſputatione 151. nolluerunt eam propoſitionem concedere; quia Spiritus ſanctus, nec eſt terminus, nec principium dilectionis ſuæ: ergo nequit ei attribui denominatio diligentis ſe ipſo, nec ſe, nec alios.

Sanctus Thomas verò in 1. diſt. 32. quæſt. 1. art. 2. Vazquez cap. 5. & Perez diſp. 17. ſect. 4. docent ſubdiſtinctione, & melius, quòd ſcilicet loquendo de dilectione notionali, propoſitio prædicta eſt falſa; quia dilectio notionalis actiua, ratione cuius dicatur diligere, nõ conuenit Spiritui ſancto. Loquendo verò de dilectione eſſentiali, eſt vera, præſertim, ſi caſus effectiuus denotet principium *quod*, ſeu ipſam perſonam, conſueuimus enim dicere, Petrus diligit, aut facit hoc, aut illud ſe ipſo; & quia diligere, niſi aliud addatur potius vſurpatur pro dilectione eſſentiali, quàm pro notionali, ideò abſolutè, & abſque vlla diſtinctione, & limitatione dici poteſt Spiritus ſanctus diligit ſe ſe ipſo.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Pater ſit ſapiens ſapientia genita?

RAtio difficultatis pro parte affirmatiua eſt; quia ſapientia genita, qualis eſt Filius, eſt ſapientia Patris, & ab ipſo genita; vt docent communiter Patres; ergo Pater eſt ſapiens ſapientia genita; quia quilibet eſt ſapiens ſua ſapientia. Et confirmatur, quia Pater eſt ſapiens intelligendo, & dicendo, ſed intelligit, & dicit verbo Diuino, quod eſt ſapientia genita ab ipſo: ergo eſt ſapiens ſapientia genita.

Nihilominus Theologi conueniunt, dictam propoſitionem eſſe falſam, & id tradidit Auguſtinus, qui poſtquam lib. 83. quæſtionũ, illam, vt veram tradiderat, retractauit lib. 1. retractationum, c.

26. & lib. 6. de Trin. c. 1. & 2. lib. 7. c. 1. & 3. & lib. 15. c. 6. & 7. Et merito, quia participio, & nomine *sapiens*, quãdo dicimus: *Pater est sapiens sapientia genita*, denotatur nõ actio sapiẽdi, sed effectus quasi formalis proueniẽs à sapiẽtia quasi à forma. Pater autem nõ est sapiẽs quasi à forma à sapiẽtia genita, sed à sua essentia, nihilominus; quia quãdo dicimus *sapit Verbo* nõ denotatur effectus formalis proueniẽs à sapientia genita, sicut denotatur nomine, seu participio sapiẽs, sed denotatur actio sapiendi; quę potest sumi notionaliter (nõ minus quàm intellectio) ideò vt aduertit Vaz. disp. 15. nõ minus dici potest Pater sapere sapiẽtia genita, quã Pater, & Filius dicuntur se diligere Spiritu sancto dilectione notionaliter sumpta ob eãdem omnino rationẽ, denominatione videlicet proueniẽte Patri à termino producto per ipsam actionem sapiendi notionaliter sumptã.

Ad rationem ergo diffic. respõdemus, sapientiam genitam, seu Filium esse sapientiam Patris; quia à Patre procedit, nõ quia sit quasi forma Patrem cõstituẽs sapientem; quia sapientia genita, quæ ratione huius vocis *genita*, supponit pro notionali, dicit ad Patrem habitudinem originis nõ formæ; & ad cõfirmationem respõdemus Patrem esse sapiẽtem intelligendo, & dicendo ab ipsa intellectione, & dictione quasi à forma, nõ verò ab ipso Verbo, seu à sapientia genita, quę est terminus intellectionis notionalis, seu dictionis; quia Verbum, seu sapiẽtia genita nõ est quasi forma Patris: & si in Patre intellectio notionalis, seu dictio sit distincta ab essentiali, vt nobis placuit disp. 1. dif. 4. Pater erit sapiens essentialiter ab intellectione essentiali, & erit sapiens notionaliter ab intellectione notionali, seu dictione quasi à formis.

Addimus vt optimè Vaz. Sua. Tur. & Ruiz, ex S. T. Dur. & Capr. in 1. d. 32. hanc propositionem Filius est sapiens sapientia genita, nõ esse veram in sensu proprio, & formali; quia Filius formaliter nõ est sapiens, nisi sua essentia, seu sua intellectione essentiali cõmuni tribus personis, quæ formaliter nõ est sapientia genita: esse tamẽ verã in sensu materiali, seu identico (qui est valde improprius) quia est sapiens media sua essentia, quæ identificatur cum filio qui est sapientia genita.

DIFFI;

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm esse donum sit proprium Spiritus sancti?

DVrandus in 1. dist. 28. quæst. 1. docet donum non esse proprium Spiritus sancti, sed etiam conuenire alijs personis, & Essentiæ Diuinæ; quia eatenus Deus donatur creaturæ rationali, quatenus ei datur, vt obiectum cognitum, & dilectum. Quòd alijs duabus personis, & essentiæ conuenit. Addit tamen appropriari, seu attribui Spiritui sancto; quia Spiritus sanctus etiam per appropriationem, dicitur procedere per amorem, amor autem habet rationem primi doni.

Reliqui verò Theologi conueniunt, rationem doni propriè sumpti esse propriã Spiritus sancti, quòd satis significant Patres quos refert Ruiz disp. 73. sect. 1.

Variant tamen Theologi, in explicando quomodo ratio doni peculiariter conueniat Spiritui sancto.

Omissis multis explicationibus, proveriori obseruandum est. Primò, donum esse id quod liberaliter datur; quia vt Aristot. docet 4. Æthicorum c. 4. donatio est irredibilis datio, id est, liberalis, seu non facta intuitu recompensationis. Ex quo constat donationem habere duplicem respectum, vnum ad eum qui donat, & alterum ad eum cui fit donatio: & etiam donum tantum esse, id quod creaturę rationali (sub qua etiam comprehendimus intellectualẽ) dari potest; quia sola natura rationalis est capax, vt ei fiat liberalis datio (& datio ex gratitudine) vt docuit Augustin. 4. contra Iulianum cap. 3. & etiam Essentiam Diuinam non dari personæ Diuinæ, quamuis ei communicetur; quia nõ communicatur, seu datur liberaliter, sed necessario.

Secundò obseruandum est, ad rationem doni non esse necessarium, quod actu donetur, sed sufficit quod sit aptum donari, vt etiam notauit Aug. 1. de Trin. c. 15. & S. Th. q. 38. art. 1. ad 4. & communiter Theologi.

Tertiò obseruandum est, donum posse dupliciter vsurpari vno modo pro quacumque re, quæ voluntate liberali ei accedente, & superaddita, donatur, aut donari potest: altero modo posse sumi pro re, quę ex vi suæ productionis donatur, aut donari potest, nulla voluntate ei accidentarie superaddita.

His ergo suppositis dicimus, quòd quamuis ratio doni priori mo-

modo ſumpti, nempè pro eo, quòd accidentariè donari poteſt, cõueniat tribus Diuinis perſonis; quia omnes tres poſſunt volũtate ipſis accidentariæ ſuperaddita à ſe ipſis liberaliter donari creaturę rationali, & de facto omnes tres perſonæ à ſe ipſis donentur iuſto, vt ſignificatur Ioa. 14 dum dicitur: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ratio tamen doni poſteriori modo ſumpti, nempè pro eo, quòd ex vi ſuæ productionis donari poteſt, ſeu eſt aptum donari abſque voluntate aliqua ei ſuperaddita, ſolum conuenit Spiritui ſancto; quia ſolus Spiritus ſanctus ex vi ſuę proceſsionis formaliter abſque voluntate, ſeu amore ſuperaddito ipſi proceſſioni, poteſt, ſeu eſt aptum donari creaturis rationalibus à Patre, & à Filio, imò & donatus fuit; quia miſsione qua à Patre, & à Filio mittitur ad creaturas rationales, verè illis donatur, abſque amore aliquo ipſi miſſioni ſuperaddito; quia Spiritus ſanctus, mittitur ad creaturas rationales ipſa ęterna proceſsione, quę eſt amor abſque alio amore ſuperaddito, ſed ſolum ipſi amori quo procedit, addito extrinſeco, quodam reſpectu ad creaturas ad quas mittitur, vt dicemus diſp. 10. difficul. 1. ratione cuius reſpectus amor, quo ſubſtantialiter procedit, & mittitur, & datur creaturis à Patre, & à Filio, quatenus extrinſicè reſpicit creaturas ipſas, quib⁹ datur, eſt liberalis; quia verò Filius non mittitur ſubſtantialiter amore ipſo, quo miſſio, & collatio illius fit donatio, ſed tantum accidentaliter; quia amore formaliter ſuperaddito proceſſioni Filij, quamuis realiter identificato cum intellectione notionali, qua procedit, mouetur Pater, vt Filium intellectione notionali mittat, & donet, ideò Filius non eſt donum poſteriori modo ſicut eſt Spiritus ſanctus, ſed tantum priori modo, ſicut etiam Pater, & etiam Spiritus ſanctus, prout à ſe ipſis abſque miſſione donantur iuſto: ratio ergo doni in poſteriori acceptione eſt propria Spiritus ſancti, & ei ſoli conueniens. Auguſtinus ergo vbi ſupra optimè dixit Filium à Patre procedere, vt natum, Spiritum verò ſanctum à Patre, & à Filio, vt datum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS X.

Ratione cuius conueniat Spiritui ſancto eſſe ſpecialiter donum?

OMiſſo Scot. qui de hac re obſcurè loquitur, S. Th. & eius expoſitores q. 38. ar. 2. docent Spiritumſanctum, ratione ſuæ proprietatis perſonalis eſſe poſteriori dicto modo donū reſpectu creaturæ rationalis, acproinde eo eſſe donū, quo eſt talis perſona, quòd clariùs expreſſit S. Th. in 1. d. 18. q. 1. a. 4. & ſignificat Aug. vbi ſupra, & 5. de Trin. c. 11. & idem docēt Vaz. diſp. 154. Sua. lib. 11. c. 4. Tur. diſp. 22. dub. 2. Ruiz diſp. 75. Perez diſp. 18. ſect. vl. & communiter Theologi: & meritò, quia Spiritusſanctus ex eo eſt peculiariter donū; quia amore ipſo, quo ſubſtātialiter procedit, poteſt donari creaturis rationalibus, ſed ratione ſuæ proprietatis perſonalis habet, quòd procedat formaliter amore, ſeu quod ſit terminus amoris, & quòd eo amore poſsit donari creaturis: ergo & quòd ſit donum actū donari creaturis, ita tamē vt ſua proprietate perſonali nō reſpiciat creaturas, quibus poteſt donari; quia creaturas etiā purè poſsibiles tantū reſpicit reſpectu quodam extrinſeco, ſeu rationis ſuperaddito ipſi Spiritui ſancto, ſed itavt ſua proprietate ſit talis, vt amore quo producitur, poſsit, ſeu ſit aptum donari creaturis, & eas eo extrinſeco reſpectu ſuperaddito reſpicere, vt eſt donū, ac proinde ſua proprietate perſonali cōſtituitur donum creaturarū nō formaliter, & ſub expreſſa ratione doni, ſed tantū fundamētaliter; quia eſt fundamentum dicti reſpectus extrinſecè ad creaturas rationales.

Ex dictis cōſtat quomodo Spiritusſanctus adæquatè ratione eſſentiæ, & proprietatis perſonalis ſimul, ſit modo dicto donū creaturarū rationalium: Verbum verò nō ſit adæquatè Verbum creaturarum; quia Spiritusſanctus adæquatè, ſeu ſecūdum ſe totum eſt totalis terminus amoris notionalis, quo tāquam donatione donatur creaturis quāuis ſuperaddito effectu peculiari, vt dicem. diſp. 10. dif. 3. Verbū verò nō eſt terminus intellectionis Patris, prout eſt ad creaturas, & ita Verbum ſecundum ſe totum non eſt fundamentum reſpectus extrinſeci repræſentationis ad creaturas, ſed tantum eſſentia diuina, ex qua, & ex perſonalitate coaleſcit Verbum.

DIS-

DISPVTATIO NONA.

Dè identitate, æqualitate, similitudine, prioritate, & circum in sessione personarum diuinarum.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis inter Diuinas personas sint reales, an tantum rationis?

SVpponimus inter Diuinas personas esse relationum identitatis; quia sunt ædem in natura seu essentia, quæ quodammodo dici potest, etiam relatio similitudinis: & esse relationem æqualitatis; quia habent eamdem quantitatem, seu magnitudinem perfectionis absolutæ, & quamuis habeant diuersas perfectiones notionales, non tamen se excedentes, vt dixim. disp. 2. dif. 9. & alijs in locis: & esse relationem similitudinis; quia habent eadem attributa (v g sapientiã omnipotentiam) concepta instar qualitatum, nihilominus à tempore Conc. Niceni, & durante errore Arrij Patres aliqui noluerũt vti nominibus significantibus similitudinẽ inter diuinas personas; quia hæretici abutebantur eis nominibus ad excludendam cõsubstantialitatem diuinarum personarum.

Hoc ergo supposito controuersia est, an dictæ tres relationes sint reales, an tantum rationis.

Scotus in 1 d. 31. q. 1. & quodlibet. 6. ar. 2. & communiter Scotistæ docent dictas relationes esse reales. Ratio Scoti est; quia in his relationibus reperiuntur omnia requisita, vt sint reales. ergo, consequentia patet, antecedens autem probatur; quia extrema earũ sunt realiter distincta, nempè personæ, & terminus earum relationum est realis, nempè alia persona, & fundamentum earum est reale, nempè essentia Diuina; quia hęc concepta vt essentia, seu natura dans esse, est fundamentum relationis identitatis, & eadem concepta vt magnitudo, seu perfectio est fundamentum æqualitatis, & eadem concepta, vt qualitas est fundamentum relationis similitudinis: & confir-

ma;

matur hæc ratio; quia alias perſonę ipſæ nō eſſent re ipſa æedem in natura, nec re ipſa æquales, nec re ipſa ſimiles, ſed tantum conſidere ratione, & quaſi fictione noſtra.

S. Th. verò Caiet. Canar. & recentiores Themiſtæ q. 42. ar. 1. Durand. Capreol. & Gab. in 1. d. 31. q. 1. Vazq diſpu. 166. Suar. lib. 4. c. 15. Turrianus diſp. 29. Mæratius diſp. 56. & Ruyz diſp. 103. ſectione 4. docent dictas relationes eſſe tantum rationis, & non reales. Et merito, quia in eo genere relationis, in quo fundamenta ipſa ſunt, quæ primario referuntur, & ſubiecta ſecundario ratione fundamentorum neceſſarium eſt, quod fundamenta ipſa realiter diſtinguantur; quia in eo genere relationis fundamenta ipſa etiam ſunt extrema, quæ referuntur, imo primario, extrema autem, quæ realiter referuntur, debent inter ſe realiter diſtingui, ſed in relationibus identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, fundamenta earum ſunt extrema, quæ primario referuntur per ipſas; quia eſſentia, ſeu natura, quæ eſt fundamentum relationis identitatis inter aliqua, eſt quæ primario dicitur eadem, ſeu prius quam ea aliqua in quibus eſt, & quantitas, quæ eſt fundamentum relationis æqualitatis, eſt quæ primario dicitur æqualis, & prius quam ea in quibus eſt, & qualitas quæ eſt fundamentum relationis ſimilitudinis, eſt quæ primario, & prius dicitur ſimilis quam ea in quibus eſt. Relatio enim ſimilitudinis inter duo alba, prius denominat ipſas albedines ſimiles, quã ipſa corpora in quibus eſt, ſed Diuinę perſonæ dicuntur æedem æquales, & ſimiles ratione vnius numero naturæ, ſeu eſſentiæ, quæ eſt fundamentum dictarum relationum, quia ipſa natura concepta, vt natura, ſeu eſſentia eſt fundamentum dictæ relationis identitatis inter Diuinas perſonas, & concepta vt perfectio, ſeu vt quantitas perfectionis, eſt fundamentum relationis æqualitatis inter illas, & concepta, vt qualitas, verbi gratia, vt Omnipotentia eſt fundamentum relationis ſimilitudinis inter illas: ergo dictæ relationes non ſunt reales, ſed tantum rationis. Relatio enim realis exigit extrema realiter diſtincta ſub ea ratione, qua referuntur.

Confirmatur, & declaratur hæc ratio; quia ſi vna albedo afficeret duo ſubiecta, non eſſet inter hæc ſubiecta relatio realis ſimilitudinis, ſed tantum relatio rationis; quia albedo, quæ primario erat dicenda ſimilis, & ſubiecta ſecundario ratione illius eſſet tantum vna. Ex quo conſtat ad rationem Scoti ea videlicet, quæ primario deberent eſſe extrema non diſtingui realiter.

Addimus etiam relationes diuerſitatis, quibus perſonæ Diuinę

referuntur, vt distinctę, & dicuntur distinctæ non esse reales, sed tantum rationis, non quia proprietates personales, quæ sunt fundamẽta, & quæ primo distinguuntur, & referũtur non sint realiter distinctæ; quia verè distinguuntur realiter; sed quia sunt relationes. relationes autem non referuntur alijs relationibus realibus superadditis, sicut nec vna actio fit altera actione, nec vnus habitus habetur altero habitu, nec vnus modus vnionis vnitur medio altero modo vnionis, nec vna præsentia est præsens altera præsentia (aliàs in his omnibus daretur processus in infinitum) id autem prouenit ex eo, quod relatio, actio, habitus, modus vnionis, & præsentia sunt, quasi actus medij inter duo extrema, medijs quibus vnum extremũ versatur circa alterum; quia relatio est id medio, quo vnum refertur ad alterum, & actio est id medio, quo vnum producitur ab altero, & modus vnionis est id medio, quo vnum vnitur alteri, & præsentia est id medio, quo vnum est præsens alteri, vt diximus cap. de relatione.

Et ob eamdem rationem, relatio æqualitatis, quæ est inter Diuinas personas ratione quantitatum, seu magnitudinum perfectionis relatiuæ non est realis; quia scilicet hę magnitudines, seu perfectiones sunt relationes saltem identicè adæquatè, seu conuertibiliter.

Ex dictis constat personas Diuinas, non esse à parte rei formaliter easdem, nec æquales nec similes, sed tantum fundamentaliter, esse tamen formaliter easdem, æquales, & similes ratione, seu conceptione nostra, seu relatione rationis identitatis, æqualitatis, & similitudinis.

Obseruandum tamen est, primò, quòd quamuis creatura dicatur similis Deo, non tamen Deus ipsi creaturæ, vt docuit Dionysius de Diuinis nominibus cap. 9. & Sanctus Thomas quæst. 42. ar. 1. ad 3. quia quamuis ea, quæ sunt similia similitudine perfecta, fundata videlicet in vnitate naturæ, aut qualitatis sint mutuo similia, vt ignis producens, & productus; ea tamẽ quę sunt similia similitudine fundata in imitatione, non sunt hac similitudine mutuo similia, sed solus effectus dicitur similis suæ causæ, & non è contra, & ob id creatura dicitur similis Deo, & non è contra. & Imago Cesaris dicitur similis Cesari, & non è contra; quia creatura imitatur Deum, & non è contra, & Imago dicitur imitari prototypum, & non è contra: in creatis autem Filius dicitur similis Patri vtraque similitudine, nempè, & fundata in vnitate naturæ; quia habet naturam eiusdem rationis cum illo, & similitudine fundata in imitatione; quia Filius imitatur Patrem, quòd ad proprietates personales, indiui-

du-

duales, & ratione huius, Filius dicitur factus ad imaginem, & similitudinem Patris, non è contrà: id verò, quod in Scriptura, & Patribus dicitur, neminem esse Deo similem, intelligitur de perfecta similitudine fundata in vnitate naturæ, aut in vnitate qualitatis.

Obseruandum est secundo, quòd quamuis in Diuinis non tantum Filius sit similis Patri, sed etiam Pater ipsi Filio, nihilominus Filius tantum dicitur assimilari Patri, non è contra (vt docuit Sanctus Thomas artic. 1. ad 3.) quia assimilari significat similem fieri, vel quasi fieri, seu recipere similitudinem actione aliqua, seu productione; Filius autem in Diuinis productione, quasi fit similis Patri, non è contra.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm inter Personas Diuinas sit realis ordo prioris, & posterioris?

SVpponimus quòd est de Fide Diuina certum vnam Personam Diuinam non esse priorem altera, secundum durationem, & est expressum in Symbolo Athanasij vbi tres personæ dicuntur esse sibi Coæternæ.

Hoc supposito difficultas est, an vna sit prior altera aliqua alia prioritate reali.

Circa quam conueniunt Theologi, inter Diuinas personas esse ordinem naturalem, seu realem originis; quia ordo est habitudo vnius ad vnum prius, aut primum: inter Diuinas autem personas est habitudo ad vnum prius, & primum; quia vna persona realiter originatur ab altera. Est tamen controuersia (& potius de nomine quam de re) an ita re ipsa sit ordo originis inter Diuinas personas, vt etiam sit cum aliqua prioritate, & posterioritate reali inter illas, seu quod idem est, an etiam re ipsa sit aliqua prioritas, & posterioritas inter illas.

Circa quam Sanctus Thomas quæst. 42. art. 3. Bonauentura in 1. d. 2. ar. 2. q. 1. & 2. Durand. d. 20. q. 2. & Beccan. c 8. diffic. 3. docent inter Diuinas personas esse ordinem originis, sed non prioritatem, itavt vna persona non sit prior altera, quòd significare videtur Athanasius in Symbolo, dum ait: *In hac Trinitate, nihil prius, aut posterius.*

Scot. verò in 2. d. 28. q. 3. Caiet. & Canar. q. 42. ar. 3. Vaz. disp. 167

Suarez lib. 4. cap 15. Turrianus disp. 29. dub. 3. Meratius disput. 56. Zuñiga disp. 17. dub. 4. & Ruyz disp. 105. sect. 5. docent. Et merito inter Diuinas personas esse ordinem realem prioris, & posterioris secundum originem, quòd significare videntur Epiphanius hæresi 62 Nazianzenus Oratione 29. Basilius libr. 1. contra Eunomium Ioann. Theologus in Concilio Florentino sessione 22. Auctor libri de Triplici habitaculo, apud August. c. 6. & alij Patres quos refert Ruyz sect. 4.

Et ratione probatur, primo, inter Diuinas personas, est prima, & secunda, & tertia ratione originis, seu processionis: ergo vna est prior altera secundum originem, quia prima est prior, quam secunda, & tertia: & secunda est prior quam tertia. Et secundo probatur; quia inter causam, & effectū est re ipsa prioritas causalitatis, & dependentię; quia effectus re ipsa causatur, & dependet à causa; sed inter Diuinas personas, vna re ipsa procedit, & producitur ab altera, quamuis non causetur, nec dependeat vt dixim. disp. 6. dif. 3. ergo inter illas est prioritas realis similis prioritati causalitatis, quę dici potest prioritas originis, sicut illa dicitur causalitatis: ex quo cōstat priori tatem originis nō esse priorita em realē in quo, sed à quo, sicut prio ritatis causalitatis, quamūis vtraque sit fundamentum, & occasio prioritatis rationis in quo.

Addimus tamen non esse absolutè, & absque addito concedendum ordinem realem nec prioritatem realem inter Diuinas personas; quia ordine, & prioritate reali absolutè prolata, denotatur ordo, & prioritas durationis, qualis non reperitur inter Diuinas personas, & qualem solam supra dictis verbis negauit Athanasius, sed tantum esse concedendum ordinem, & prioritatem realem cum addito, secundum originem cum quo Sanctus Thomas concesit ordinem realem inter Diuinas personas, acproinde etiam prioritatem cum eodem addito; quia nullus est ordo absque prioritate; qui aordo est habitudo vnius ad alium primum, vnde S. Th. admittens ordinem originis, admisit etiam prioritatem originis, & negās prioritatem absolutè, etiam negauit ordinem absolute: prædictus autem ordo, secundum originem dicitur ordo naturæ à S. Th & ab August non in ea acceptione, qua Philosophi appellant ordinem inter causam, & effectum; sed quia est ordo ex natura rei, seu realis, & non rationis.

Ita tamen vna Persona Diuina, est prior altera secundum originem, vt non sit prior, vt relata est, sed vt est hæc persona; quia eo tantum modo est prior, secundum originem, quo eam alteram producit, persona autem non producit vt relata, verbi gratia,

Pa-

Pater non producit vt Pater, ſed vt hæc perſona; quia paternitas, vt paternitas eſt noſtro modo concipiendi poſt generationem filij, ſicut filiatio ipſa, quę nō eſt poſterior paternitate, vt paternitas eſt, ſed omnino ſimul.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm inter origenes ipſas, ſit etiam realis ordo originis prioris, & poſterioris?

CIrca hanc difficultatem legi poſſunt Vazq. diſp. 168. Turrian. diſput. 29. Zuñiga diſput. 42. Ruiz diſput. 106. & Alarcon diſput. 6. capit. 7.

Pro huius difficultatis clariori reſolutione, ſupponimus primò, in Deo tantum eſſe duas origines actiuas, nempè generationē actiuam, & ſpirationem actiuam, imo eas nō diſtingui re ipſa inter ſe ſicut, nec relationes generationis, & ſpirationis cum quibus adæquatè identificantur, vt dicim. diſp. 2.

Supponimus ſecūdò, in Deo tantū eſſe duas proceſsiones, ſeu paſſiuas origines, nempè generationē paſsiuam, qua paſsiuè producitur Filius, & ſpirationem paſsiuam, qua paſsiuè producitur Spiritus ſanctus, & eas realiter diſtingui ſicut, & perſonæ per eas paſsiuè productæ realiter diſtinguuntur; quia quælibet earum originum paſsiuarum adęquatè identificatur cum perſona producta per illam, tanquam per viam paſsiuam.

His ergo ſuppoſitis circa difficultatem exiſtimamus primo, in quo communiter conueniunt Theologi inter origines actiuas nullum eſſe ordinem re ipſa, quia vt primo ſupponimus, non diſtinguūtur re ipſa ordo autem realis diſtinctionem realem requirit inter ea inter quæ eſt talis ordo.

Secundò exiſtimamus, in quo etiam communiter conueniunt Theologi inter originem actiuam, & ſuam paſsiuā, nempe inter generationem actiuam Patris, & inter generationem paſsiuam Filij, & inter ſpirationem actiuam Patris, & Filij & inter ſpirationē paſsiuam Spiritusſancti, eſſe ordinem realem prioris, & poſterioris ſecundum originem; quia in primis origo actiua, & ſua paſsiua diſtinguuntur realiter inter ſe, vt dixim. diſp. 1. dif. 5. & deinde origo paſsiua procedit re ipſa ab actiua, tāquam via paſsiua à via actiua; quia Filius procedit à Patre media generatione paſsiua, tanquam via, & quaſi cauſalitate paſsiua realiter orta à generatione actiua, tanquā

â via,& quasi causalitate actiua;quia media actiua exit à Patre passiua,qua producitur filius: procedit autem omnino per se,& nō per accidens vt patet:& eadem proportionali ratione probatur inter spirationem actiuam,& inter passiuam esse etiam ordinem realem prioris,& posterioris secundum originem.

Tandem restio existimamus,in quo etiam conueniunt communiter Theologi inter diuinas processiones,seu passiuas origines Filij, & Spiritussancti esse etiam realem ordinem prioris,& posterioris secundum originem;quia distinguuntur realiter,vt supponimus,& vna procedit ab altera,& procedit per se : quòd autem vna procedat ab altera spiratio videlicet passiua à generatione passiua,probatur, quia persona filij realiter producitur passiuè media generatione passiua,quasi via passiua,& à persona filij,sic passiuè genita producitur realiter passiuè Spiritussanctus,media spiratione passiua,quasi via passiua: ergo de primo ad vltimum spiratio passiua procedit à generatione passiua,quia hac producitur passiue persona filij,& à persona filij sic genita,producitur passiuè Spiritus sanctus media spiratione passiua: quòd verò procedat per se probatur ; quia spiratio passiua per se exit à persona filij passiuè genita vt habēte virtutē spiratiuā; hāc autem per se accipit media generatione passiua, sicut accipit essentiam diuinam: ergo de primo ad vltimum spiratio passiua passiuè procedit per se à generatione passiua: ergo inter processionē,seu passiuam generationem filij,& inter processionem, seu passiuā spirationem Spiritussancti est,ordo per se prioris,& posterioris secundum originem passiuam,itavt processio filij sit per se prior processione Spiritussancti ;quia hæc procedit per se ab illa , ex quo cōstat falli Duran.in 1.d.12.q.1.n.8 dum asserit inter generationem passiuam filij,& inter spirationem passiuam Spiritussancti, non esse ordinem per se,sed per accidens;quia existimat spirationem passiuā, per accidens procedere à generatione passiua;quia spiratio passiua, seu Spiritussanctus non procedit à Filio vt Filio, qui tantum vt talis procedit generatione passiua,& nō à filio vt ab spiratore, seu vt habente virtutem spiratiuam, qualis non procedit generatione passiua: fallitur ergo Dur: quia secunda persona generatione passiua, non solum procedit vt filius,sed etiam vt spirator; quia ea generatione per se accipit à Patre , non solum personalitatem, sed etiam essentiam,& virtutem spiratiuam.

DIF.

DIFFICVLTAS IV.

Qua ratione vna persona diuina sit in alia?

COnueniunt Theologi primo, vnam personam Diuinam esse in alia. & e contra, id enim dicitur de Patre, & Filio Ioa. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*, & quamuis hæc verba tantu n sint dicta de Patre, & Filio, eadem tamen ratione sunt vera de Spiritu sancto. vt docent Patres, & cõueniunt scholastici: cõueniunt secundo quãlibet personam Diuinam esse in quauis alia, secundum aliquid sui, nempè secundum essentiam; quia essentia est in qualibet persona, & conuenit cuilibet personæ.

Est tamen inter scholasticos controuersia, an quæuis persona, sit in alia, etiam secundum se totam, an tantum secundum essentiam, res enim potest esse in alia, non solum secundum aliquid sui, qua ratione auis est in laqueo: quia in eo tantum est pes, aut alia pars auis, sed etiam potest esse in alia secundum se totam, qua ratione vinum est in amphora.

Henr. 2. p. sum. a 53. q. 10. & Dur. in 1. d. 19. q 3. docere videtur vnã personam, secundum se totam nõ esse per se, & ratione sui in alia, sed tantum secundũ essentiam, & nõ secundum relationem, nisi per accidens, & identicè; quia scilicet relatio est idem, quod essentia, quæ etiam est in illa alia persona. Probatur autem; quia si vna persona, secundum se totam esset in alia, esset in ea non tantum essentia, sed etiam personalitas, v. g. in Filio esset, non tantum essentia Patris, sed etiam personalitas, seu Paternitas, ac proinde Filius, etiam esset Pater, seu persona Patris Paternitate, seu personalitate Patris, quam haberet sicut est Deus Deitate, quam habet.

Scot. in 1. d. 19. q. 2. Caie. & Cana. q. 42. ar. 5. Vaz. disp. 169. Sua. lib. 4. c. 16. Zañiga disp. 17. dub. 6. Mẹratius disp. 56. Ruyz disp. 107. sect. 4. & Perez disput. 16. sectione vltima, docent, & merito vnam personam, secundum se totam esse in alia, & è contra per circumincessionem, seu mutuam inexistentiam. Quòd videtur expressisse Hilarius 7. de Trinitate circa finem, dum ait: *Vnam personam esse in alia, vt subsistens in subsistente.* Et id exprimit Ecclesia in Hymno Ambrosij in Laudibus feriæ 2. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Et ratione probatur; quia essẽtia est indistincta à qualibet persona

se l essentia est in omnibus singulis personis: ergo quælibet persona est in qualibet alia, consequentia patet; quia distinctio personarum non impedit mutuam inexistentiam vnius in alia, imo est ad eam requisita, ex cuius defectu nulla persona dicitur esse in se ipsa, mutua enim inexistentia distinctio denotatur: vnde quamuis sola essentia ob eius identitatem cum personis sit fundamentum, & ratio, & quasi vinculum dictæ mutuæ inexistentiæ, & circumincessionis personarum, nihilominus id cui conuenit inexistentia est tota persona, non essentia.

Relatio autem hæc mutuæ inexistentiæ, tantum est rationis (in quo omnes conueniunt) quia cõuenit ipsis personis quatenus distinctis, distinguuntur autem relationibus, & relationes, nequeunt alijs relationibus realibus referri, vt dixim dif. 1.

Ad rationem verò aduersariorum, concedimus in filio, v g esse paternitatem, sed non sicut essentiam, nec sicut propriam personalitatem, qua ratione in eo sunt Deitas, & filiatio, sed sicut personalitatem alterius subsistentis, existentis in ipso filio subsistente; quia nõ est in filio, quasi forma inhærens, qua ratione in ipso est filiatio, & ita quamuis Filius sit Deus Deitate, & Filius filiatione, non tamen est Pater paternitate.

DISPVTATIO DECIMA,

De missione diuinarum personarum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit missio diuinarum personarum?

DIfficultas hæc procedit de missione propria, quamuis de impropria nonnihil etiam dicemus postea.

Prima opinio est (quam refert Magist. in 1. d. 15. c. *ad quod dicimus*) asserentium missionem personæ Diuinę, nihil aliud esse, quam ipsam æternam processionem vnius personę ab alia, itavt sicut arbor dicitur mittere flores, eos producendo, & Sol mittere lucem eam producendo, ita Pater dicitur mittere filium eum producēdo. Quòd indicare videntur Hilar. lib. 5. de Trin. colũn. 7. Cyril. lib. 12. Thesauri c. 15. & Greg. Magnus hom. 26. in Euangelia. Opinio ta-

,non solum ob rationem, qua opinionem

nem noſtram probabimus, ſed etiam, quia miſſio perſonæ Diuinæ, qua de facto fuit miſſa eſt temporalis, ſeu fit in tempore, vt conſtat ex illo ad Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſsit Deus Filiũ ſuum factum ex muliere*, Proceſsio autem perſonæ non eſt temporalis, ſed æterna.

Secunda opinio eſt è contra aſſerentium, miſsionem perſonæ Diuinæ, nihil aliud eſſe quam productionem effectus creati, nempè gratiæ, aut alterius doni ſupernaturalis creati ratione cuius perſona procedens, incipit eſſe, aut apparere nouo, aut peculiari modo in creatura ad quam mittitur, ita Magiſt. in ea d. 15. c. 1. & 2. probari autem poteſt; quia miſſio, quæ de facto facta fuit, & ſæpè fit eſt temporalis: ergo conſiſtit in aliquo temporali, nõ in alio quam in dicta productione.

Opinio etiam hæc nobis non probatur; quia de ratione miſſionis eſt exitus miſſi amittente, in productione autẽ illa effectus creati, non eſt exitus perſonę Diuinæ ab alia.

Tertia ergo opinio nobis probatur, aſſerentium miſſionem perſonæ Diuinæ, ſitam eſſe eſſentialiter in æterna præceſſione perſonæ miſſę à perſona mittente, & in productione effectus temporalis, ratione cuius perſona, quæ mittitur incipit eſſe nouo modo in creatura, ad quam mittitur, ita Alexan. 1. p. c. 71. & 72. Vaz. diſp. 170 c. 2. Sua. lib. 12 c. 1. Tur. diſp. 30. dub. 1. Mærat. diſpu. 56. Ruyz diſp. 108. & Perez 19.

Et in primis miſſionem Diuinæ perſonæ, eſſe eſſentialiter ſitam in æterna proceſſione perſonæ miſſæ à perſona mittente probatur, quia miſſio eſſentialiter eſt exitus, ſeu egreſſus miſſi amittente, inter perſonas autem Diuinas, non eſt alius exitus vnius perſonæ ab altera, quam proceſsio ſubſtantialis vnius perſonæ ab altera; quia vna perſona nequit Conſilio, nec Imperio exire ab altera, ſecundũ locum; quia vna nequit ab altera loco diſiungi, ergo. Deinde quod productio dicti effectus creati, etiam pertineat eſſentialiter ad miſſionem Diuinæ perſonæ probatur; quia admiſſionem non ſufficit exitus miſſi amittente, niſi etiam exeat ad aliquem terminum; quia abſque peruentione ad aliquem terminum miſſio, non eſt completa, ſeu perfecta, peruentio autem hæc, nihil aliud eſt, quam productio effectus creati, ratione cuius perſona miſſa nouo, aut peculiari modo ſe habeat in aliqua re, ſeu creatura diſtincta à Deo: ergo dicta productio etiam intrat in miſſionem, quaſi differentia modicans, & contrahens æternam proceſsionem, vt æterna proceſsio, quæ erat quaſi miſſio inchoata, & aliquid miſsionis; quia erat exitus perſonæ miſſæ à perſona mittente, additione dictę productionis compleatur

in ratione missionis missio: ergo personæ Diuinæ coalescit ex æterna processione personæ, & ex productione effectus creati, ratione cuius persona procedens nouo, seu peculiari modo se habeat in creatura ad quam mittitur: & vtrunq; id significauit Christus, Ioa. 16. illis verbis: *Exiui a Patre, & veni in mundum*, quia ea particula *exiui*, significatur æterna processio Filij à Patre, & illa particula, *veni in mundum*, significatur productio effectus creati ratione cuius æterna processio contrahitur ad esse missionis.

Et quia ipsum coalescens ex vtroque prædicto in quo essentia missionis complete consistit, aliquod fuit de facto in tempore factum: Et aliquod sæpè fit, & aliquod sæpè fiet, ideò missio personæ, quæ de facto fuit facta, & quæ sæpe de facto fit, ratione sanctitatis absolutè dicitur temporalis, sicut etiam esset, & diceretur æterna, vt aduertit Albiz disputat. 14. sectione vltima, si ab æterno creatura rationalis, verbi gratia, humanitas fuisset producta, & abæterno fuisset hypostaticè vnita, aut ei fuisset collata sanctitas, ratione cuius persona procedens peculiari modo postea assignando, esset in ea creatura; quia ad rationem missionis non est necessarium quòd persona Diuina, quæ mittitur, sit de nouo, seu nouo modo in creatura ad quam mittitur, aliàs persona filij non fuisset missa ad humanitatē Christi, quia humanitas Christi à primo instanti suæ conceptionis fuit hypostaticè vnita & sancta, & Spiritus sanctus nō fuisset missus ad Beatam Virginem; quia à primo instanti suæ cōceptionis fuit sancta, sed sufficit quòd peculiari modo (quamuis non de nouo) distincto à generali, sit in persona ad quam mittitur; quia ergo persona producens personam procedentem, etiam producit effectum illum creatum (quamuis nō sola, sed etiam persona procedēs) ratione cuius quasi ponit personam procedentem in creatura, dicitur ad eam mittere personam, ex quibus cōstat ad rationes primæ, & secundæ opinionis.

Ex dictis constat missionem personæ Diuinæ, coalescentē essentialiter ex processione personæ, & ex dicta productione effectus creati, coalescere, seu constare, quasi ex materiali, & contrahibili ex processione personæ, & quasi ex formali, & contrahente ex dicta productione effectus, ea proportione qua persona Diuina nostro modo cōcipiendi coalescit ex Deitate, quasi ex materiali, & cōtrahibili, & ex personalitate, quasi ex formali, & cōtrahente; & quia quod in cōstituto constituit quasi forma, & contrahens, principalius constituit, quam quod constituit quasi materiale, & contrahibile; quia quod constituit quasi forma, constituit quasi complens, & perficiens ipsū constitutum, ideo in missione Personæ Diuinæ, dicta productio effe-

fectus creati, principalius pertinet ad eam miſsionem, quam æterna proceſsio, vt aduertit Ruyz ſect 6 quamuis ipſa proceſsio perſonæ ſit in ſe infinite principalior, & perfectior, quã dicta productio effectus creati.

Nihilominus, quamuis æterna proceſſio ſit quaſi matariale miſſionis, & dicta productio effectus creati, aut relatio rationis proceſſionis ad creaturam ad quam mittitur, ſit quaſi formale, & principali pertineat ad conſtitutionem miſsionis, quam proceſsio exiſtimamus nomine miſsionis proceſsionem directè ſignificari, & dictam productionem effectus creati, aut relationem rationis proceſsionis ad creaturam, ad quã perſona exit, ſeu procedit, ſignificari indirectè ea proportione, qua corpus directè ſignificatur nomine album, & albedo indirectè, quia nomine miſsionis ſignificatur proceſsio æterna perſonæ, relata relatione rationis ad creaturam; quia verbis quibus ſignificamus, & declaramus nomen miſsionis, proceſsio ſignificatur directè, & relatio illa indirectè, tamquam aduenies proceſsioni Diuinæ.

Ex dictis conſtat miſſionem Diuinam pro aliquo ſui, nempè pro productione dicti effectus eſſe eſſentialem, ſeu communem, ſeu conuenientem tribus Diuinis perſonis, ratione eſſentiæ ipſis communis, & pro alio, nempè pro proceſsione perſonæ eſſe notionalem, vt potè, nec actiuè, nec paſsiuè conuenientem omnibus tribus perſonis.

DIFFICVLTAS II.

Quæ perſona poſsit mittere aliam: & quæ perſona poſsit mitti ab alia.

CIrca prius S. Th. q. 43. ar. 9. Vaz. diſp. 170. Suar. lib. 4. c. 3. Turr. diſp. 30. dub. 3. Perez diſp. 19. & communiter Theoli docẽt omnem, & ſolam perſonam producentem poſſe mittere perſonam: ratio huius ſumitur ex dictis dif. præced. quia ſcilicet miſſio eſſentialiter eſt exitus miſsi amittente; in diuinis autem, non eſt alius exitus, quam per proceſsionem æternam: ergo miſsio in Diuinis tantũ poteſt eſſe à perſona producente, & poteſt eſſe ab omni ea; quia ab omni, & à ſola ea poteſt perſona Diuina exire, & procedere: vnde Pater, & Filius poſſunt mittere, & non Spiritus Sanctus; quia Pater, & Filius poſſunt perſonam producere, & non Spiritus Sanctus.

Quòd

Quòd si obijcias illud Isaię 48. *Tunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* vbi filius dicitur missus ab Spiritu sancto. Hebręi, & nonnulli Catholici exponunt dicta verba de ipso Isaia, quem Dominus misit ad prophetizandum, & loquendum. Et Cyrillus Alexandrinus in Isaiam lib. 4. Oratione 3. exponit ea verba de Cyro Rege Babylonis.

Patres verò communiter, quos refert Ruyz disp. 108. sect. 10. & Concilium Toletanum 11. in confessione fidei exponunt dicta verba de Christo, existimant enim ibi Christum introduci loquentem, sed non introduci vt Deum, sed vt hominem, ac proinde personam Diuinam, non mitti ab Spiritu sancto, aut si introducitur vt Deus, & vt Deus dicitur mitti ab Spiritu sancto, tantum dicitur mitti missione impropriè sumpta pro sola productione effectus creati, ratione cuius persona, quæ mittitur est peculiari modo in creatura distincto à generali, quo est in creaturis per essentiam videlicet præsentiam, & potentiam.

Circa posterius S. Thomas q. 43. Vazq. vbi supra, Sua. c. 2. Zuniga disp. 18. dub. vlt. Ruyz sect. 8. Perez, & communiter Theologi docent solas personas Diuinas, quæ producuntur posse propriè mitti. Ratio etiam huius desumitur ex dictis; quia missio passiua, qua persona mittitur, includit essentialiter processionem, seu productionem passiuam à persona mittente: ergo personæ tantum, quæ producuntur, possunt mitti missione propriè sumpta. Vnde quāuis Filius, & Spiritus sanctus possunt mitti, vt constat ex scriptura, nō tamē Pater, & ita Aug. 2. de Trin. c. 5. notauit nūquam in Scriptura legi Patrem mitti.

Quod si obijcias Filius, dicitur mittere se ipsum: ergo & Pater poterit se ipsum mittere, antecedens constat ex Conc. Tolet. 11. in confessione fidei, ex Higinio Papa in Epist. 1. Decretali, & ex Aug. 2. de Trin. c. 5. respondemus dictam loquutionem posse habere locū in filio, ob diuersas naturas, itaut filius secundum humanitatē mittatur à se ipso secundum Diuinitatem, nō verò in Patre, nisi de missione impropria, sumpta pro sola productione effectus creati, ratione cuius persona est peculiari modo in creatura, ad quam dicitur mitti.

Ex dictis constat nullam personam Diuinam, posse propriè mitti, nisi ab ea à qua ęternaliter procedit, seu producitur. Et nullam personam posse propriè mittere aliam, nisi eam, quam producit; quia nulla persona potest exire nisi ab ea, à qua procedit, & nulla persona potest esse à qua alia exeat, nisi illa à qua procedit.

Obseruandum est, quod quamuis solæ personæ, quæ producuntur

tur possint mitti extra Deum ad creaturas ob rationem dictam: nihilominus omnes etiam personæ Patris, possunt venire ad creaturas & eis dari, seu donari (vt aduertunt Vaz. Sua. Ruyz, Per. & alij) iuxta illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: quia venire non dicit exitum realem ab alio; quia potest quis ex se ipso venire non exeundo ab alio. Et ob eamdem rationem possunt omnes personæ dari, seu donari creaturis, & quidē omnis qui liber est (quales sunt personæ Diuinæ) potest se ipsum alijs dare, seu donare, ita tamen omnes Diuinæ personæ veniunt, & se donant creaturæ rationali ratione gratiæ sanctificantis, vt nequeat vna sine alijs venire, nec se donare.

DIFFICVLTAS III.

Ratione cuius effectus persona mittatur?

EX Supradictis constat ad missionem personæ Diuinæ præter processionem æternā personę Diuinæ missæ, ratione cuius exit amittente esse necessariam productionem alicuius effectus creati ratione cuius persona, quæ exit ab alia, veniat peculiari modo ad creaturam, ad quam mittitur, vt ita dicatur ad eam mitti.

Est tamen difficultas ratione cuius effectus, aut productionis creatæ, id fieri possit, & fiat.

Conueniunt primo Theologi, filium ratione vnionis hypostaticæ missum fuisse visibiliter ad humanitatem cui fuit vnita, & sub qua factus fuit visibilis, & consequenter missum fuisse visibiliter ad mundum in quo erat humanitas; quia ratione dictæ vnionis Filius Dei est peculiari modo in humanitate distincto ab eo, quo generaliter est in creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam, nempè personando humanitatem.

Deinde negari non potest, etiam Spiritum sanctum sæpè missum fuisse visibiliter ad hominem Christum, præsertim in die in quo baptizatus fuit à Ioa. Baptista; quia ad Christum descendit in specie columbæ, descensio autem illa non fuit absque missione, & ad columbam in qua fuit peculiari modo, nempè tanquam repræsentatum in signo in eo apparendo, & etiam ad Christum media columba; quia ad eum dicitur Spiritus sanctus descendisse: dicitur autem ad eū descendisse, & ad eum missum fuisse (quamuis in eo non fuerit peculiari aliquo modo intrinseco) quia fuit illo modo extrinseco repræsentati in columba, quæ ad eum venit, & ita ea proportione, qua colū

ba

ba ad eum venit, & descendit, dicitur Spiritus Sanctus ad eum venisse, & descendisse, ratione columbæ missæ ad repræsentādum Spiritum Sanctum: fuit etiam Spiritus Sanctus sæpè missus visibiliter ad Apostolos, & præcipuè in die Pentecostes in figura ignis in quo eis apparuit, & fuit repræsentatus Ex quo constat missione visibili posse vnam Personam mitti sine altera: quia in prima dicta fuit missus visibiliter Filius sine Spiritu Sancto, & in secunda, & tertia, è contra fuit missus Spiritus Sanctus sine Filio.

Secundò, conueniunt Theologi, Filium, & Spiritum Sanctum mitti inuisibiliter ad creaturas rationales, seu intellectuales ratione gratiæ sanctificantis quæcumque illa sit; quia ratione illius tota Trinitas est speciali, seu peculiari modo inuisibili in illis: quia est in illis tamquam in templis viuis, in quibus adoratur, & colitur: & etiam est in illis tamquam amicus in amicis, ac proinde ratione illius, Filius, & Spiritus Sanctus inuisibiliter mittuntur: quia ipsi exeunt à Patre, & ad creaturas illas: quia in illis se habent peculiari modo inuisibili. Vnde hac missione facta ratione gratiæ sanctificantis, non mittitur vna persona sine alia ex duabus, quæ mitti possunt: quia ratione illius nequit vna persona diuina, non esse eo peculiari modo in creatura rationali, quo sunt aliæ duæ; nihilominus missio, quæ fit ratione gratiæ sanctificantis, solet attribui Spiritui Sancto: quia est specialiter amor, & creatura ad quam fit missio ratione illius gratiæ amatur à tota Trinitate, & ipsa creatura radicaliter, aut formaliter amat Trinitatem: quia ipsa gratia est principium amandi Trinitatem, aut est amor ipse.

Est tamen controuersia primò, an missio inuisibilis tantum fiat ratione gratiæ sanctificantis.

Cai. q. 43. art. 3. existimat etiam fieri ratione fidei quamuis in formis, seu sine sanctitate: imò Aureolus in 1. d. 15. art. 2. existimat etiam fieri per quodcumque donum intellectus, & voluntatis: quia ratione fidei, & cuiuscumque alterius cognitionis, & dilectionis Dei Deus incipit esse peculiari modo in creatura rationali, nempè tamquam cognitus, & amatus in cognoscente, & amante.

S. Thomas verò quæst. 43 art. 3. Vaz art. 3 Suarez lib. 12. Cap. Mæratius disp. 56. Grandus tract. 15 disput. 3. Ruiz disp. 109. sect. 1. & Perez disp. 19. sect. 8. docent, & merito missionem inuisibilem simpliciter, & absolutè tantùm fieri ratione gratiæ sanctificantis; quod indicat Tridentinum sessione 4 cap. 4 cum de contritione imperfecta ait esse donum Dei, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, & ratione probatur; quia modus existendi Dei in creatura rationali, tamquam obiecti per fidem, & aliqualem dile-

dilectionem non iuſtificantem eſt valdè extrinſecus creaturæ, quo potius creatura verſatur circa Deum, quàm Deus circa creaturam: ergo ratione illius Deus non eſt ſimpliciter, & abſolutè in creatura bene tamen ſecundum quid, vt exprimunt Vazq & Ruiz quia ratione illarum, eſt Deus in creatura rationali eo peculiari modo, ſed non abſolutè, & ſimpliciter perfecto.

Secundò, eſt controuerſia, an fiat miſsio inuiſibilis, quando intenditur gratia ſanctificans ratione ipſius intenſionis.

Richardus in 1. diſt. 15. art. 5. quæſt. 3. Suarez lib. 12. cap. 5. & Perez diſp. 19. ſect. 8. docent ratione intenſionis gratiæ ſanctificantis fieri miſsionem inuiſibilem; quia ratione illius Deus eſt intenſiori modo amicitiæ in iuſto.

Bonauentura verò in 1. diſt. art. 2. quæſt. 3. Vazq. art. 6. & Ruiz docent ratione dictæ intenſionis non fieri miſsionem Perſonæ diuinæ: quod abſque dubio etiam tradit S. Thomas art. 6. ad 2. & merito, quia ratione intenſionis gratiæ ſanctificantis non eſt Deus peculiari, & diſtincto modo in iuſto, quamuis ſit perfectiori modo intra latitudinem modi amicitiæ, ſicut nec Deus dicitur mitti, nec eſſe peculiari modo in creaturis, ratione intenſionis donorum naturalium; quia ratione intenſionis eorum, nō eſt diſtincto modo, quamuis ſit perfectiori modo intra latitudinem eiuſdem modi.

Addunt Vazq. Suarez, & Ruiz per extenſionem gratiæ ſanctificantis, quia iuſtus aſcendit ad aliquos peculiares actus, aut effectus, vt in ordine ad actum Prophetiæ, vel miraculorum, vel ad feruorem charitatis, quo ſe exponit martyrio, vt iuſtus ſpecialiter ſanctificetur in ordine ad tales actus fieri nouam miſsionem viſibilem quia ratione illius extenſionis, Deus eſt in iuſto peculiari modo extenſionis diſtincto ſecundum ſpeciem, & ratione huius extenſionis facta fuit miſsio ad Apoſtolos octauo die poſt Reſurrectionem, Ioan. 20. & in die Pentecoſtes, vt tradit Leo Papa ſermone 2. Pēteccoſtes: & eo modo etiam fit miſsio quoties iuſtus virtute Sacramenti recipit augmētum gratiæ iuſtificantis; quia iſtud augmentū recipit in ordine ad aliquos peculiares actus: non tamen fit miſsio collatione donorum gratię gratis datę; quia ratione horum nō eſt Deus peculiari modo in creaturis rationalibus.

Ita tamen miſsione inuiſibili facta ratione gratiæ ſanctificantis, ſiue habitualis, ſiue actualis ad nos mittuntur Filius, & Spiritus Sanctus, & ipſi duo, & etiam Pater veniunt ad nos, & nobis donantur (vt docent Patres, & Scholaſtici, & indicatur in Scriptura) vt ratione illius non mittantur, nec veniant & ſint in nobis intimè ſecundum ſuam eſſentiam, ſeu ſubſtantiam,

vt

vt Vazquez disp. 30. num. 11. aduertit contra Suarez c. 5. num. 12. & contra Perez sect. 8. quia quoad substantiam tantum sunt in nobis ratione immensitatis, aut ratione operis, ratione verò gratiæ sanctificantis præcisse tantum sunt in creatura rationali, & creatura in ipsis alio speciali modo solo videlicet affectu, tanquam amicus in amico, affectus autem reperiri potest inter absentes, quoad essentiam, seu substantiam.

Tertiò est controuersia, an de potentia Dei absoluta possit esse missio, absque vllo effectu ad extra.

Gregorius in 1. d. 14. quæst. 1. partem affirmatiuam defendit, quia existimat creaturas posse absque dono aliquo, & effectu ad extra iustificari.

Capreolus verò dist. 14. Molina quæst. 43. ar. 3. Suarez c. 5. Tur. disput. 30. dub. 5. Beccanus c. 9. quæst. 6. & Perez sect. 7. partem negatiuam tradunt, & merito; quia absque dono, seu effectu aliquo physico, nequit adhuc de potentia Dei absoluta fieri iustificatio, vt supponimus ex tract. de iustificatione; & docet Vazq. 1. 2. disp. 206. n. 19 ex quo constat ad rationem Gregorij admisso tamen quod sic posset fieri iustificatio, & fieret, existimamus fieri missionem Filij, & Spiritus sancti; quia essent peculiari modo in sic iustificato, nempè tanquam amicus in amico.

Quia ergo missio inuisibilis Personarum Diuinarum, tantum fit ratione sanctitatis, & non ratione intensionis illius, nec ratione alterius doni, & in Beatitudine non confertur Beato sanctitas; quia ad Beatitudinem supponitur in eo, sed aliquando augmentum illius, & semper dilectio sanctificans præsupponens sanctitatem viæ, ideò in Beatitudine non fit missio alicuius personæ Diuinæ simpliter, & absolutè sumpta.

DISPVTATIO VNDECIMA

De modo loquendi circa mysterium Trinitatis.

POst explicationem mysterij Trinitatis, ad eius complementum supereſt explicare, quo modo circa ipsum loqui expediat.

DIFFICVLTAS I.

Vnde desumenda sit vnitas, vel pluralitas concretorum substantiuorum?

COmueniũt Theologi nomina abstracta, tàm in Diuinis, quàm in creatis dici singulariter, vel pluraliter ex vnitate, vel pluralitate formarum (& consequenter significata eorum) quia ea nomina nihil aliud significãt quã formam ipsam. Vnde nomina abstracta, quæ significãt aliquid absolutum essentiale Dei, v. g. essentia, charitas, & vita nõ sunt in plurali enunciandа, sed in singulari, quia est tãtum vnum: nomina verò abstracta quæ significant aliquid relatiuũ, & notionale Dei, secundum rationem communem, v. g personalitas, & relatio sunt in plurali enũciandа; quia sunt plura. Dissentiunt tamẽ circa vnitatem, & pluralitatem nominum cõcretorum, & cõsequeter significatorum, & præsertim substãtiuorum, de quibus præsens difficultas procedit.

Circa quam primus modus dicendi est, ad vnitatem simpliciter nominis cõcreti, substantiui requiri vnitatem formæ, & suppositi, & ad pluralitatem simpliciter eorum requiri pluralitatem vtriusque: ex vnitate verò, vel pluralitate vnius tãtũ, siuè formæ, siuè suppositi cõcretum substãtiuum nõ esse vnum simpliciter, nec plura simpliciter: ita Durã in 3. d. 1. q 3. ad 3. & ita cõsequenter, ait in casu in quo vna Diuina persona assumerer plures humanitates, nõ fore dicẽdũ vnum hominem simpliciter, nec plures simpliciter: addit tamen in Diuinis cõcreta substãtiua formæ singulariter dici ob solam singularitatem formæ, nõ ex natura ipsorum cõcretorum, sed tantum ex vsu; quia ita habet vsus.

Modus tamen iste dicendi displicet Scoto in 3. dist. 1. quæst. 3. ad 1. Et merito primò, quia vnum, vel multa sunt passio entis, & ex æquo diuidunt ens, sed homo in cõcreto significatus est simpliciter ens: ergo est simpliciter vnus, vel multiplex, in dicto autem casu assignato à Durãdo esset homo in concreto significatus: ergo in eo casu esset vnus simpliciter, vel multiplex simpliciter.

Secundo, quia ex modo loquendi Duran. sequeretur etiam in rigore, seu proprietate sermonis Deus nõ esset dicẽdus vnus Deus simpliciter, quod est absurdum.

Secundus modus dicẽdi, est vnitatem vel pluralitatem cõcretorum substantiuorum sumendam esse ex vnitate, vel pluralitate p-

positorũ, ita Marsil. lib. 3. q. 2. ar 3. dub. 2. & Gab d. 1. q. 2. ar. 3. dub. 4. quòd etiam indicat Greg. lib. 1. d. 12. q. 1. id autem probat Marsi. quia si plures personæ assumerẽt eandem numero humanitatẽ quælibet persona esset vnus homo: ergo illæ plures personæ essent plures homines, & confirmatur; quia si eadem humanitas, prius assumeretur ab vna persona, & postea dimissa assumeretur ab alia, hic homo esset diuersus à priori homine, & non ob diuersitatem naturæ: ergo ob solam diuersitatem suppositorum. Addit tamen Marsilius tres personas Diuinas dici vnum Deum, & non tres Deos ex vsu Ecclesiæ.

Hic etiam modus dicendi communiter reijcitur, & merito, primo ratione à priori qua postea probabimus ex sola vnitate, vel pluralitate formæ desumendam esse vnitatem, vel pluralitatem cõcretorũ subtãtiuorum, vel significatorum per illa (quòd in idem incidit) ex quo cõstabit in dictis duobus casibus nõ fore plures, & diuersos homines, sed tantum vnum, & eundem.

Tertius modus dicendi est, ad pluralitatem, concretorum subsiãtiuorum requiri pluralitatem formarum, & suppositorum, ac proinde ad vnitatem eorum sufficere vnitatem formæ, aut suppositi, ita Caie. & Canar q. 39. ar. 3. Suar. lib. 10. c. 7. Arrub. disp. 135. c. 3. & docuisse videtur S. Thom. q 36. ar. 4. ad 2. dum ait, Patrem, quamuis habeat virtutem generandi, & spirandi, non dici duo principia; quia implicaretur pluralitas suppositorum, & clarius 3. p. q. 3. ar. 7. ad 2. dum ait, si eadem persona assumeret plures humanitates, non essent plures homines.

Probari autem potest primo: quia vt dixim. Tractat. de Incarnat. disp. 12. dif. 3. ex communi doctrina Schol. sticorũ, & Patrum, Christus nequit dici duo, nõ solum masculinè, sed nec neutraliter, quamuis sint duæ naturæ: ergo ad pluralitatem cõcreti subsiantiui, etiam naturæ requiritur pluralitas suppositorum.

Secũdò; quia vt dicem. diffi. sequen. plura nomina subsiãtiua, quę significant formam accidentalem, v. g. artifex iudex, nõ multiplicantur ex sola pluralitate formarum; quia vnus homo, quamuis pluribus artibus polleat, dicitur vnus artifex: ergo idem est dicendũ de reliquis concretis subsiantiuis.

Hic etiam modus dicendi nobis non probatur ob rationẽ à priori, quàm statim adducemus pro nostro modo dicẽdi. Et etiã ob hãc rationem ab absurdo; quia scilicet ex eo sequeretur in Deo, nõ esse plures personas; quia quamuis in eo sint plures personalitates, non tamen sunt plures naturæ.

Quartus ergo modus dicendi nobis probatur, afferentiũ omnia con-

concreta ſubſtantiua ex ſola vnitate, aut pluralitate formæ, quã ſignificant dici ſingulariter, aut pluraliter, ita expreſſè S.T.q.39. ar.3. Vaz.diſp.155. Ruyz diſp.77. Per.diſp.20.ſect.2.& amplecti videtur Alriſiodor.lib.3.ſummæ Tract.1.c.1.q.6. Scot.in 3.d.1.q.3.& alij dum aſſerunt in caſu in quo vna perſona aſſumeret plures humanitates fore plures homines.

Ratio huius à priori (quàm diffuſe ſequente amplius extendemus,& declarabimus) eſt quia ſignificatio, aut ſignificatum nominis numerari debet, ſecundum eius directum ſignificatum; quia nomen numerale, v.g vnum,& multiplex, ſicut & pronomen demonſtratiuum, tantum afficit nomen concretum, afficiendo tantum eius primarium, ſeu directum ſignificatum,& ob id Deus eſt, & dicitur vnus; quia Deitas quàm nomen Deus, directè ſignificat, eſt vna, quã uis perſonalitates, quas nomen Deus connotat, ſeu indirectè ſignificat, ſint tres:& è contra ob id perſonæ ſunt,& dicuntur tres; quia perſonalitates quas nomẽ *Perſona*, directè ſignificat, ſunt tres, quã uis Deitas, quàm connotat, ſeu indirectè ſignificat ſit tantum vna, ſed directum ſignificatum nominis concreti, ſubſtantiui eſt forma cõſtitutiua ſignificati, adæquati nominis concreti ſubſtantiui, aut eſt id quod eſt quaſi forma, denominans ipſum ſignificatum adæquatum, v.g. ſignificatum directum nominis concreti ſubſtantiui *Perſona*, eſt perſonalitas, quæ eſt forma conſtituens perſonã,& ſignificatũ directũ nominis cõcreti ſubſtantiui, *Deus* eſt Deitas, quãuis non ſit conſtituens Deum, vt forma; quia potius perſonalitas eſt forma, & Deitas, quaſi materia conſtituentes ipſum coaleſcens ex Deitate,& ex perſonalitate, quòd eſt Deus,& perſona; quia perſonalitas concipitur, quaſi modus aduenies Deitati, ſed eſt quaſi forma illud coaleſcens denominans Deum ea proportione, qua in coaleſcente ex humanitate,& ex perſonalitate humanitas eſt materiale illius coaleſcentis,& perſonalitas eſt formale, etiam ſi illud coaleſcens denominetur homo ab humanitate quaſi à forma; quia in denominando aſſimilatur formæ: ergo ex vnitate, vel pluralitate formæ, vel quaſi formæ ſignificatæ directè per nomen concretum ſubſtantiuum deſumenda eſt vnitas, vel pluralitas nominũ concretorũ ſubſtantiuorum,& ſignificatorum per illa.

Ex quo conſtat primo, quòd ſi plures perſonæ aſſumerẽt eandem humanitatem, ſiue ſimul, ſiue ſucceſsiue eſſent, & dicerentur vnus tantum homo,& non plures:& quòd ſi vna perſona aſſumeret plures humanitates, eſſent,& dicerentur plures homines, vt diximus Tract.de Incarnatione diſp.3 diffic.6.& 7.& etiã conſtat ſecundo,

quòd Pater, & Filius sint, & dicãtur vnus spirator, & vnum principium *quod* spirandi, quia virtus spiratiua in illis est tantum vna.

Et tandem cõstat, quòd Pater non sit multiplex principium respectu Filij, & Spiritus sancti; quia virtus generatiua Filij, & spiratiua Spiritus sancti, quæ sunt in Patre, sit vna, & eadem secundũ rẽ, quamuis sint plures ratione nostra: & ob hoc Pater potest dici plura principia secundum rationem, nõ verò plura absolutè: est tamẽ peculiaris ratio, ob quã quamuis aliquæ relationes reales in Deo non sint plures, nisi tantum ratione nostra, dicãtur absolutè plures, vt dixim disp. 2. dif. 4.

Ex dictis exponi potest S. Thom. q. 36. ar. 4. ad 4. vt nobis non aduersetur quando ait Patrem etiam si habeat virtutem generandi, & virtutem spirandi non dici duo principia; quia implicaretur pluralitas suppositorum: reddit ergo S. Thom. hanc rationem, & causalem, non quia pluralitas suppositorum requiratur ad pluralitatem concretorum substantiuorum quale est principium; sed quia Pater non potest absolutè dici plura principia, nisi quando virtutes sunt re ipsa distinctæ, vt antea dicebamus: in eodem autem supposito Diuino non possunt esse re ipsa distinctæ, ac proinde si Pater diceretur absolutè esse duo principia, hoc modo loquẽdi denotaretur, seu implicaretur pluralitas suppositorum.

Tertia verò p. quæst. 3. art. 7. ad 2. vbi sub verbo *videtur*, ait si vna persona assumeret plures humanitates, non fore plures homines, non sumit nomen homo substantiuè, sed adiectiuè pro habẽte, quasi subiecto humanitatem, & prout vestito humanitate, vt constat ex contextu in quo hominem explicat per duo prędicta; habens autem quasi subiectum humanitatem, & vestitus humanitate sunt nomina adiectiua, non substantiua; quia homo substantiuè sumptus non est habens, tamquam subiectum humanitatem, cui videlicet adueniat, & superaddatur humanitas, sed est habens humanitatem vt totum; quia homo est totum, & humanitas pars hominis qua ratione compositum habet sua componentia, & cõstitutum sua cõstituẽtia: ita tamẽ homo est habẽs humanitatem, vt partem, vt eo modo etiam habeat personalitatem vt partem, & easdẽ habet persona hominis; quia tam homo, quàm persona est totũ coalescens ex humanitate, & ex personalitate; ex humanitate quasi ex materia, & ex personalitate quasi ex forma aduenientẽ, & superaddita humanitati cũ sit modus illius, & tam nomẽ homo, quàm nomẽ *persona* adæquatè significat dictum coalescens, inadæquatè verò humanitatem, & inadæquatè etiam personalitatem diuerso tamen modo; quia nomen persona directè personalitatẽ, & indirectè humanitatẽ; nomẽ ve-

verò homo è cõtra directè humanitatem, & indirectè personalitatè vt supra etiam diximus.

Ad priorem ergo rationem tertij modi dicẽdi desumptam ex eo, quòd Christus nõ dicitur duo, aut plura neutraliter, respondemus Christum nõ dici duo, nec plura absolutè, & absque addito nõ quia ad pluralitatem cõcreti subsantiui requiratur pluralitas personalitatum, sed quia eo modo loquendi absolutè, & absquè addito denotatur non esse vnionem inter naturas Christi, vt dixim. tract. de Incarn. disp. 12. dif. 3. quia quoties res aliqua, v.g. Petrus cõtinet multa vnita, non dicitur absolutè esse multa; quia illa multa vnita, dicũtur simpliciter esse vnum, Christus tamen cum addito, dicitur esse plures naturæ, & in Christo etiam dicuntur esse multa, & Christus dicitur esse aliud, & aliud, quia his modis loquendi, denotatur vnio aliqua inter illa, & nõ omnimoda pluralitas vnde si vna persona, v.g. Verbum assumeret plures humanitates, quamuis nõ posset absolutè dici esse duo, posset tamẽ dici esse duos homines; quia hoc modo loquendi nõ denotaretur omnimodo pluralitas, pluralitas autem non omnimoda conuenire potest cum vnione.

Ad posteriorem verò rationem, desumptam ex eo quòd ad pluralitatem aliquorum cõcretorum subsantiuorum accidentaliũ v.g. *vlex & artifex*, videatur requiri pluralitas formæ accidentalis, & suppositalitatis, constabit solutio ex dicendis difficultate sequente.

DIFFICVLTAS II.

Vnde desumenda sit vnitas, vel pluralitas concretorum adiectiuorum?

COnueniunt Theologi vnitatem, vel pluralitatem nominum cõcretorũ adiectiuorum (& significatorum per ipsa) desumendam esse ex vnitate, vel pluralitate suppositorum, aut subiectorum, & nõ formarum, ita S. Th. & eius interpretes q. 39 ar. 3 Vaz. disp. 155. Sua lib. 3. c. 11. Tur. disp. 23 & Ruyz disp. 77. quia nomina cõcreta adiectiua, v.g. *album, & omnipotens* significant suppositum, aut subiectum, vt possidens, seu vt habens formam, vel vt est sub forma, seu vt ipsi adiacet forma, ita vt album idem sit, quod habẽs albedinem, & omnipotens idem quod habens omnipotentiam, in quo differũt a concretis substantiuis; quia hæc opposito modo significant non subiectum, nec quasi subiectum vt est sub forma, seu vt ipsi adiacet

forma, ſed ſignificat formam, vt per ſe ſtantem, ſeu ſubſiſtentem, nō quia ſignificent illam per ſe ſtantem extra ſubiectum, aut quaſi ſubiectum, & extra ſuppoſitum, ſeu ſeparatam à ſubiecto, & ſuppoſitalitate; quia non ita eſt; quia ſola abſtracta, ita illā ſignificāt; ſed quia illam ſignificāt in recto, ſeu directè, & primario, ipſum verò ſubiectum: aut ſuppoſitalitatem in obliquo, ſeu indirectè, & ſecūdario, ita vt homo in rigore idem ſit, quòd humanitas vnita perſonalitati humanæ intrinſecæ homini, & Deus idem ſit, quod Deitas, quaſi vnita perſonalitati Diuinæ intrinſecæ Deo, & perſona idem quod perſonalitas vnita naturæ intrinſecæ perſonæ, & artifex idem quod ars in ſubiecto, ſeu vnita ſubiecto, & peccatum idē quod macula in actu, aut in omiſſione, tāquam in ſubiecto, ſeu ei vnita tāquam ſubiecto; vnitas ergo, vel pluralitas cōcretorum adiectiuorum deſumēda eſt ex ſola vnitate, vel pluralitate ſubiectorum, vel quaſi ſubiectorum habētium formas, ſicut vnitas, vel pluralitas cōcretorum ſubſtantiuorum ex ſola vnitate, vel pluralitate formarum habitarum: cōſequē quētia patet; quia ſi album, v.g eſt habēs albedinem, eo ipſo, quod ſunt plura ſubiecta habētia albedinem quāuis tantum vnam, & eandem erūt plura alba; quia ſunt plura habētia albedinem, & ſi homo eſt humanitas vnita perſonalitati, quanuis intrinſecæ ipſi homini, eo ipſo, quod eſt vna tātum humanitas quamuis vnita pluribus perſonalitatibus, ſeu cōtenta in pluribus perſonis coaleſcentibus intrinſicè ex illa vna humanitate, & ex pluribus perſonalitatibus, erit vnus tantum homo; quia eſt vna tātum humanitas, & eo ipſo quod ſunt plures humanitates, quāuis vnitæ vni tantum perſonalitati, ſeu cōtentæ in vna tantum perſona, erunt plures homines; quia ſunt plures humanitates, quamuis in vna tantum perſona, ſeu vnitæ vni tātum perſonalitati; & quia in Deo eſt vna tātum diuinitas, quamuis in tribus perſonis, ſeu quaſi vnita tribus perſonalitatibus, ideò eſt vnus tātum Deus, quòd etiam eſſet verum, quāuis tres perſonę in particulari pertinerent ad conceptum intrinſecum Dei; quia nomē numerale ſicut, & pronomen demonſtratiuum tantum afficit directum, ſeu primarium ſignificatum concreti, & non indirectum, ſeu ſecundarium.

Ex quo ſequitur, tres perſonas Trinitatis poſſe dici tres omnipotētes, & tres æquales, & tres immēſos; quia hæc cōcreta ſunt adiectiua & ſic loquitur Cōc. Late. ſub Innoc. III. & refertur in c. *ſirmiter* de ſum. Trini. & fide Catholica: vbi ait Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus cōſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotētes, & coæterni: vnde quādo Athan. in ſuo Symb. ait nō tres omnipotētes, ſed vnus omnipotēs, nō tres immenſi, ſed vnus immenſus, accipit hæc nomi-

na

na concreta ſubſtantiuè, ſicut e contra, Hilar. 2. de Trin. nomẽ concretum *authores*, accipit adiectiuè quando ait Patrem, & Filiũ eſſe authores Spiritus ſancti.

Obſeruandum eſt, quòd quãuis omnia cõcreta ſubſtãtiua accidentalia cõueniãt cũ ſubſtãtialibus, & differant ab adiectiuis, in eo quod ex ſola vnitate formæ deſumant vnitatem, & ita tres diuinæ perſonæ dicũtur vnus gubernator, vnus opifex, vnus creator, & plures actus habẽtes vnam numero malitiam dicũtur vnũ numero peccatum, & quamuis aliqua cõcreta ſubſtãtiua accidẽtalia ex ſola pluralitate formæ plurificetur, in quo etiam cõueniũt cũ cõcretis ſubſtantiuis ſubſtantialibus, & differũt ab adiectiuis; quia vnus actus peccati habens plures malitias dicitur multiplex peccatũ, ſeu plura peccata, ſed nõ omnia plurificantur ex ſola pluralitate formarũ; quia ad id etiam requiritur pluralitas perſonarũ, vt artifex, philoſophus, iudex, & plura alia: vnus enim homo quamuis habeat plures artes, dicitur vnus artifex, & qui habet plures philoſophias, nempè naturalem, & moralẽ, & politicam dicitur vn' philoſophus, & qui habet plures iuriſdictiones, nempè laicam, & Eccleſiaſticam dicitur vnus iudex: id autem prouenire exiſtimam, nõ ex primeua inſtitutione ſignificatorũ, quia ex eodem modo, ac reliqua directè ſignificant formam accidentalẽ, & cõcreta accidentalia, quæ Deo cõueniũt ſignificant directè relationem extrinſecam ei cõueniẽtem, & omnia in obliquo ſignificant ſuppoſitũ aut ſubiectum, cui accidentaliter conueniũt, ſed id fuiſſe introductũ ex vſu ad euitantam æquiuocationem, & occaſionẽ dubitandi, an quando dicantur adeſſe plures artifices, & plures iudices, adſint plures perſonæ, quarum quælibet habeat ſuam formam accidentalem, an tantum adſit vna perſona habens plures, & ideò iſtud peculiare tantum reperitur in concretis connotantibus ſuppoſita, ſeu perſonas, & non in peccato, & in alijs, quæ non connotant ſuppoſitum, ſeu perſonam, ſed ſubiectum diſtinctum à ſuppoſito, ſeu perſona.

Nomen etiam cõcretum *filius*, quamuis formaliter ſit ſubſtantiuum, ſequitur tamen formã adiectiuorum, quoad vnitatem, & pluralitatẽ, vel quia eſt idẽ quod genit⁹ quod eſt adiectiuũ, vel quia eſt nomen ſuppoſiti, quamuis filiatio ex natura proueniat, & ideò Chriſtus quamuis habeat tres filiationes (vt dixim. Tract. de Incar. diſp. 17. dif. 3.) aliam qua refertur ad matrem, aliam qua refertur ad ſolam primam perſonam diuinam, aliam naturalis ſanctificationis, qua refertur ad tres perſonas, quamuis iſtæ duæ poſteriores filiationes non diſtinguantur re ipſa; quia prior eſt ipſa perſonalitas Verbi, poſterior vero eſt ipſa eſſentia Diuina, imò etiam ipſa perſonalitas

Verbi, & quodcumque attributum Dei, vt dictum tract. de Incarnat. disput. 7. diffic. 2. non tamen dicitur multiplex filius, seu plures filij sed tantum vnus, vt sub Anathemate definiuit Nazianzenus oratione 51.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm indiuiduum Deitatis nomine concreto, hic Deus, significatum sit prius secundum rationem personis Diuinis?

QVod quærimus est, an possit à nobis concipi *Deus*, vel hic Deus anteaquam concipiamus personas Diuinas; quòd est Deum, vel hunc Deum esse priorem secundum rationem personis Diuinis.

Aut in 1.d 4 c.1.a.2.& c.2.a.4.docet dictum indiuiduum, seu singulare Deitatis nō posse à nobis concipi ante personalitates Diuinas, ac proinde non esse prius secundum rationem personis: Quòd potest primo probari; quia nomen Deus, vel hic Deus est nomen suppositi, seu personæ; quia Deus est idem quod habens Deitatem, vt docent Damas. 3. de fide c. 11. & S. Th. q. 39. ar. 3. ad 1. habere au Deitatem cōuenit suppositō, seu personę, & est nomen singulare, sed nullum est suppositum singulare, quod sit commune tribus personis, & eas conceptione nostra antecedat. Ergo.

Secundò probatur; quia si indiuiduum Deitatis esset ratione nostra commune tribus personis, etiam esset indiuiduum humanitatis ratione nostra commune tribus personis, si eadem humanitas à tribus personis assumeretur; quia eadem est ratio vtriusque, hoc autem consequens est falsum; quia in eo casu à tribus personis non assumeretur humanitas, sed homo, aut hic homo; quia antequam humanitas intelligeretur in personis, iam esset homo. Vnde idem de facto, etiam contigisset in assumptione humanitatis à Verbo, homo autem assumi non potest, vt diximus Tract. de Incarnatione disput. 4. diffic. 20.

Tertiò, quia si daretur indiuiduum Deitatis præintellectum tribus personis, etiam daretur indiuiduum spiraturis præintellectum duabus personis, quod non videtur dicendum.

S. Thom. verò q. 39. ar. 4. & ibidem Caiet. & Canar. Capre. in 1.d.4.q.1.ar.1. Miran. in summa Conciliorum in annotationibus

ad

ad ſextam Synodum act. 11. Vaz. diſp 156. Sua. lib 4. c. 4. Turrian. diſp 24. dub. 1. Ruyz diſp. 78. & Per diſp. 20. ſect. 1. docent & merito indiuiduum Deitatis, nomine concreto Deus, vel hic Deus ſignificatum eſſe præintellectum, ſeu prius ſecundum rationem tribus Diuinis perſonis in particulari, & pro eo dictum nomen immediatè ſupponere, & non immediatè pro perſonis ipſis in particulari.

Ratio huius deſumitur ex nonnullis loquutionibus, quæ negari nõ poſſunt, in quibus nomen Deus, vel hic Deus, nequit ſupponere pro perſonis in particulari. Et in quibus Deus, vel hic Deus, nequit includere in ſuo conceptu tres perſonas in particulari; quia in primis negari non poteſt, hæc propoſitio Deus, aut hic Deus eſt communis tribus perſonis, & tamen id quod in ſuo conceptu intrinſecè cõnotat tres perſonas in particulari, non poteſt eſſe commune ipſis tribus in particulari, & vnicuiq; conuenire; quia nulla perſona in particulari eſt ipſæ tres perſonæ; quia realiter diſtinguuntur.

Deinde ſunt aliæ propoſitiones conſtantes terminis notionalibus, in quibus dictum indiuiduũ debet intelligi, & pro eo nomen concretum Deus ſupponere, vt quando dicimus Deus generat, & tamen de indiuiduo; in quo tres perſonę in particulari intrinſecè includantur, nequit verificari; quia ſola prima perſona generat, & non aliæ.

Diſſentiunt tamen Auctores noſtræ ſentẽtiæ, in aſſignãdo id quod dictũ indiuiduũ Deitatis immediatè dicat ſupra naturã; quia Caiet. Miranda, & Suarez exiſtimant dicere ſubſiſtentiam abſolutam ſingularem communem re ipſa tribus perſonis ipſis præintellectam, quã ipſi admittũt in Deo præter tres ſubſiſtentias relatiuas, vt diximus diſp. 3. dif. 7. & ex ea ſubſiſtentia, & ex Deitate cõſtitui intrinſicè dictum indiuiduum Deitatis.

S. Th. verò Capreo. Cana Vaz. Tur. & Ruyz docent, & melius dictum indiuiduum Deitatis ſupra Deitatem addere, ſeu includere perſonalitatem in communis.

Et in primis non dicere, ſeu includere ſubſiſtentiam abſolutã ſingularem conſtat; quia hęc non reperitur in Deo, vt vidimus vbi ſupra: ergo dicit, ſeu includit perſonalitatem, & non perſonalitates in particulari, vt nuper dicebamus: ergo dicit, ſeu includit perſonalitatem in communi, itaut Deus, ſeu hic Deus idem ſit, quòd Deitas, ſeu hæc Deitas vnita perſonalitati, prout abſtrahit à perſonalitatibus in particulari, vel ſit idem quod Deitas in cõſtituto ex ipſa, & ex perſonalitate, prout abſtrahit à perſonalitatibus in particulari, nec pronomine demõſtratiuo *hic* perſonalitas in particulari demonſtratur, quia pronomine demõſtratiuo afficiente cõcretum

non

nõ demõſtratur, niſi directum ſignificatum ſicut, & nomine numerali, tantum numeratur ſignificatum directum.

Et quidem quod nomen concretum *Deus, vel hic Deus*, nõ ſignificet Perſonalitates in ſingulari amplius declaratur; quia nomen *Deus, aut hic Deus*, idem omnino ſignificat nunc, ac ante reuelationem Trinitatis; quia poſt hanc reuelationem non eſt facta noua alia inſtitutio, ſeu impoſitio, ante reuelationem autem Trinitatis, non ſignificabat tres Perſonalitates in ſingulari; quia non fuit ad id impoſitum, vt potè tunc ignotũ: ergo nec modo, ſed tantum Perſonalitatem in communi: & idem contingit in omnibus alijs concretis ſingularibus naturæ, vt hic homo, quòd ſcilicet ſupra naturã ſingularem non ſignificent, niſi Perſonalitatem in communi, ſi eſt concretum naturæ intellectualis, aut ſuppoſitalitatem in cõmuni, ſi eſt concretum naturæ non intellectualis; quia omnium concretorum eadem eſt ratio.

Ex quo cõſtat indiuiduum Deitatis in cõcreto ſignificatũ præintelligi tribus perſonis Diuinis in ſingulari, & eſſe prius ſecũdũ rationem illis (eo modo quo vniuerſale creatum, v. g. animal præintelligitur, & eſt prius ſecũdum rationem animalibus particularibus, v. g. homine & equo, & homo præintelligitur ſuis indiuiduis, & eſt prius ratione illis) quia tam Deitas, quàm perſonalitas Diuina in communi, quas nomen Deus ſignificat, poſſunt prius concipi, quã Perſonæ Diuinæ in ſingulari.

Ad primum ergo fundamentum oppoſitæ ſententiæ Aureoli, reſpondemus, nomen concretum *Deus*, non eſſe directè nomen perſonæ, ſeu ſuppoſiti, aut ſuppoſitalitatis, ſed naturæ: & ad probationem dicimus, Deum non eſſe idem quod habentem Deitatem; quia quamuis nomen Deus ſignificet ſuppoſitalitatem, & naturam, diuerſo tamen modo, quàm habens Deitatem, vt exprimit S. Thomas ar. 3. ad 1. vt iam diximus; quia Deus ita ſignificat coalescens, ſeu conſtitutum ex Deitate, & perſonalitate eas habens, tamquam cõſtitutum ſua conſtitutiua, non tamquam ſubiectum earum, vt ſignificat illud conſtitutum ſignificando directè Deitatem, & indirectè perſonalitatem: concretum verò habens Deitatem, vt pote adiectiuum non ſignificat directè ipſam Deitatem: Imò nec perſonalitatem, ſed ipſum coalescens, ſeu conſtitutum, vt potè habens Deitatem, & perſonalitatem, quamuis non tamquam ſubiectũ earum, ſed tantum quaſi totum ſuas partes, & conſtitutum ſua conſtituentia, & ipſa conſtituentia ſignificat indirectè, ac proinde indiuiduum ſeu ſingulare Deitatis, adhuc pro nomine *hic*, demõſtratũ poteſt eſſe prius, ſecũdũ rationem tribus perſonis Diuinis, ratione per

ſonalitatis connotatæ; quia hæc verè eſt ratione noſtra communis tribus perſonalitatibus, & non demonſtratur pronomine *hic*: quia indirectè ſignificatur S. Thomas: ergo & Damaſcen. non voluerũt Deum eſſe omnino idem, ac habentem Deitatem, ſed tantum voluerunt Deum, non tantum includere Deitatem, ſed etiam perſonalitatem, vt ita poſſit cuiuis perſonæ attribui, quòd perſonis conuenit.

Ad ſecundum concedimus eſſe indiuiduum humanitatis præintellectum perſonæ ſingulari, non ſolum in caſu in quo humanitas fuiſſet aſſumpta à tribus perſonis, ſed etiam nunc in Chriſto, & in quolibet homine ſingulari ob rationem ſupra adductam, negamus tamen in eo caſu hominem forè aſſumendum, nec à verbo fuiſſe de facto aſſumptum; quia ante aſſumptionem non fuit homo, ſed tantum fuit humanitas; quia re ipſa non fuit vnita alicui perſonalitati, & ita ante aſſumptionem non potuit concipi perſonata: imò addimus quod quamuis humanitas antea perſonata, ſiue propria, ſiue aliena perſonalitate aſſumeretur, non aſſumeretur homo; quia non aſſumeretur, nec terminaretur vt perſonata, ſed tantum ſecundum ſe.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm in Deo ſit indiuiduum ſpiratoris præintellectum duabus Perſonis Diuinis, & eis commune?

CONueniunt Theologi, in Deo eſſe indiuiduum concretum ſpiratoris commune Patri, & Filio quod eſt principium, vt quòd immediatum Spiritus ſancti. eſt tamen controuerſia ex quibus conſtituatur, ſeu coaleſcet proximè, & immediatè.

Gab. in 1. d. 12. q. 1. ar. 2. & 3. Molina quæſt. 36. art. 4. Granadus Tractat. 10. diſput. 6. Ruyz diſput. 70. ſect. 4. & Perez diſput. 16. ſectione 6. docent ſpiratorem, ſeu indiuiduum concretum ſpiratoris conſtitui, & coaleſcere ex eſſentia, & ex relatione ſpirantis, ſeu ſpiratoris, tanquam ex proprietate contrahente, & eſſe principium, vt quòd immediatum Spiritus ſancti, & Spiritum ſanctum ad illud, vt ad correlatum immediatè, ſeu proximè referri, & nomen concretũ ſpirator, illud conſtitutum, ſeu coaleſcens ſignificare, & pro eo ſupponere.

Prior

Probari autem potest; quia Pater, & Filius sunt vnum numero principium Spiritus sancti, & vnus numero spirator: ergo datur vnus numero spirator communis Patri, & Filio, seu vnum numero indiuiduum spiratoris vtrique commune, Patri autem, & Filio nequit esse indiuiduum spiratoris commune, nisi quod tantum coalescit ex essentia, & ex relatione actiua spiratoris, quia si etiam coalesceret ex persona Patris, & ex persona Filij, non posset esse vtrique commune.

Greg. verò in 1. d. 12. q. 1. Bañez, & Zumel q. 36. ar. 4. Vazquez disp. 145. Sua lib. 10 c. 4. Arrub. disp. 129. c. 2 Turr disp. 2. dub. 1. & Zuniga disp. 11. dub. 7. docent indiuiduum spiratoris, seu principiū, vt quod immediatum Spiritus sancti non constitui ex essentia, & ex relatione spiratoris. Et merito, quia spirator, seu concretum relationis spiratoris, nihil aliud est quàm relatio spiratoris in eo cui aduenit, tamquam spiranti, seu principio vt quod Spiritus sancti, sicut Pater, seu concretum paternitatis, nihil aliud est quam paternitas, sub expresso conceptu paternitatis in eo, nempè in prima persona cui aduenit, tamquam generanti filium; quia relatio producētis supponit productionē actiuā & hæc supponit principium vt quod producens cui aduenit relatio spiratiua, sed relatio spiratoris nō aduenit essentiæ, tamquam principio spiranti, seu producenti, vt quod Spiritum sanctum, vt patet cùm essentia non distinguatur realiter ab Spiritu sancto: ergo indiuiduum, seu concretum spiratoris, sic sumptum non coalescit, seu constituitur ex essentia, & ex relatione spiratoris. Imò ob rationem, insinuatam indiuiduum, seu concretum spiratori, nequit constitui ex essentia, & ex spiratione actiua, seu actu notionali; quia spiratio actiua etiam supponit principium spirans, vt quod, vt patet sicut generatio actiua supponit principiū generans vt quod. Imò ob eamdem rationem dictum indiuiduum nequit cōstitui ex essentia & ex virtute spiratiua, quia hæc virtus etiā supponit principium, vt quod spirās, sicut etiam virtus generatiua supponit principium, vt quod generās; quia essentia diuina nō est virtus generatiua, nec spiratiua, nisi suppositis personalitatibus personarum producētium, quas extrinsecè connotat, vt dixim. disput. 1. diffi. 9.

Et declaratur ratio adducta; quia spirator, seu cōcretum spiratoris, aut est principium ipsum vt quod spirās, seu producens Spiritum sanctum, aut est quid cōstitutum ex ipso principio vt quod, & ex virtute spiratiua, vel ex spiratione actiua, vel ex relatione spiratoris ex qua, & ex essentia dicti aduentarij dicunt constitui. Constitutum autem ex essentia Diuina, & ex qualibet ex tribus prædictis,

non

non est principium vt quòd Spiritus sancti, nec essentia Diuina est tale principium; quia principium vt quod Spiritus sancti est suppositum, seu persona habens virtutem spiratiuam: ergo indiuiduum, seu concretum spiratoris non est constitutum ex essentia, & ex virtute spiratiua, nec ex spiratione actiua, nec ex relatione spiratoris.

Indiuiduum ergo, seu concretum spiratoris quod est principiū, vt quòd immediatum Spiritus sancti est constitutum, seu coalescēs ex virtute spiratiua & ex duabus personis Patris, & Filij prout abstrahunt ab ipsis in singulari (ea proportione qua indiuiduū Deitatis, seu concretum Deus est constitutum ex Deitate, & ex personalitate, prout abstrahit à tribus personalitatibus in singulari) quia spirator, vt pote concretum substantiuum, & quasi accidentale, nihil aliud est quam virtus spiratiua in eis personis in quibus est virtus, quasi in subiectis, & tamquam in producentibus: virtus autem spiratiua est in personis Patris, & Filij, quasi in subiectis, & tamquam in producentibus, vt diximus disp. 8. diffi. 4. & tamquam in duobus, vt diximus diffic. 5. addidimus: *Coalescere ex duabus personis spirantibus, prout abstrahunt ab ipsis in singulari*; quia indiuiduum concretum substantiuum, quale est spirator nō exigit indiuiduationem, seu singularitatem, nisi in significato directo ipsius nominis concreti, & non in significato connotato, tamquam habente virtutem, & producente, quamuis intrinseco ipsi significato adæquato concreti, vt supra vidimus. Addidimus nunc, *& non in connotato*, tamquam habente virtutem, & producente; quia Essentia Diuina, vt sit virtus remota, & voluntas, vt sit proxima, exigunt personalitates Patris, & Filij in singulari, tamquam connotata extrinseca, vt diximus.

Ex dictis constat quomodo indiuiduum spiratoris, vt à nobis, quoad significata sibi intrinseca assignatum, possit conuenire Patri, & Filio, & esse illis commune, & prius secundum rationem, seu præintellectum; quia ratione directi significati, nempè virtus spiratiuæ intrinsicæ consistentis in essentia Diuina est illis realiter commune, seu idem, & ratione cōnotati, nempè ratione personæ abstractæ à personis Patris, & Filij, vt habentibus virtutem spiratiuā est illis per rationem commune, & præintellectum eo modo, quo vniuersale est cōmune, & præintellectum suis inferioribus, quoad connotata verò extrinsecè à virtute spirandi, nempè quod ad personalitates singulares Patris, & Filij neutri personę conuenit completè, seu integrè; quia cuilibet Persona ex eis deficit Personalitas alterius Personæ.

Di-

Dicũtur autem Pater, & Filius vnus numero ſpirator ratione directi ſignificati, quod eſt ſingulare, & vnum numero in Patre, & in Filio, quod ad intrinſecum ipſi ſignificato directo (ea proportione qua dixim, tres perſonas eſſe vnum numero Deum) etiam ſi cõnotata in trinſeca ſpiratoris ſint duæ perſonæ, ſiue in ſingulari ſiue in ratione cõmuni illis, & cõnotata extrinſeca virtutis ſpiratiuæ ſint duæ perſonalitates in ſingulari: correlatum autem Spiritus ſancti, vt relati eſt cõcretum ſpiratoris, vt relati coaleſcens ex perſonis Patris, & Filij, ſiue vage, ſiue in communi, & ex relatione ſpiratoris, dictæ tamẽ perſonę terminant relationem Spiritus ſancti, prout abſoluti à relatione ſpiratoris, ſicut abſoluti ab ea, producunt Spiritum ſanctum.

Correlatum autem Spiritus ſancti, vt relati eſt concretum ſpiratoris, vt relati coaleſcens ex perſonis Patris, & Filij, ſiue vage, ſiue in communi, & ex relatione ſpiratoris. Imò Spiritus ſanctus, vt relatus re ipſa terminatur ad dictum ſpiratorem vt relatum, & è contra; dictus ſpirator, vt relatus ad Spiritum ſanctum, vt relatum. Noſtro tamen modo concipiendi Spiritus ſanctus, vt relatus tantum terminatur ad ſpiratorem, vt abſolutum, & è contra ſpirator, vt relatus ad Spiritum ſanctum, vt abſolutum. Et eiſdem modis Pater, ad Filium, & Filius ad Patrem iuxta ea, quæ diximus diſput. 4. difficul. 2.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo vtendum ſit nominibus pluralitatis, & vnitatis circa myſterium Trinitatis?

CIrca hanc difficultatem ſupponimus, in Deo ita eſſe vtendum nominibus pluralitatis, & vnitatis, vt in eo ſignificetur eſſe plures perſonas, & non negetur vnitas eſſentiæ, ſeu naturę: & ita ſignificetur in Deo eſſe vnam eſſentiam, ſeu naturam, vt non negetur eſſe pluralitas perſonarum.

In primis ergo, circa nomina *alius*, & *aliud* manifeſtum eſt his nominibus quando ponuntur Synchategorematicè, ſeu quaſi adiectiua, alijs adiecta, ſeu adiũcta, & nõ per ſe abſq; ſubſtantiuo addito, tunc iudicandum eſſe iuxta exigentiam additi, ac proinde nõ poterit dici Patrem eſſe alium Deum à filio; quia ſic denotatur diſtinctio in Deitate, & ob id hic modus loquẽdi reprobatur à Sixto Papa Ep. 1, & 6. Synodo act. 11. in Ep. Sophronij, ſed dicendum eſt Patrem, &

Fi-

Filiũ eſſe vnum, & eundem Deum poterit tamen dici Pater, eſt aliud ſuppoſitum à filio.

Quãdo vero dicta nomina ponũtur cathegorematicè, ſeu quaſi ſubſtãtiua, ſeu per ſe nõ adiecta, ſeu adiũcta alijs terminis, dicendũ eſt Patrem eſſe aliud à Filio, nõ verò eſſe aliud à filio, vt cõſtat ex Cõcil. Epheſin to. 2 c. 7. & ex Tolet. 11. in confe. fidei, & ex Lateran. ſub Inno. III. in c *damnamus* de Sum. Trin. & fide Catholica, & ex Baſil. in orat. contra eos qui nos calumniantur quòd tres Deos colamus, & ex Ful. lib. de fide ad Petrum c. 1. & ex Aug. 11. de Trin. c. 10 & ex Leone 1. ſerm. 1. de Pentec.

Ratio huius deſumitur ex communi modo loquẽdi, quo nomen *alius*, maſculinè refertur ad perſonam, vt cõſtat ex illo Ioa. 6. *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me, & aliud* neutraliter refertur ad naturam, vt docet S. Th. q. 31. ar. 2. & communiter recipitur à Theologis: & huic vſui communi loquendi innitũtur plura concilia & plures patres, quos referũt Vaz. diſp. 131. c. 1. & Ruiz diſp. 39. ſect. 5. dũ dicũt in Chriſto eſſe aliud, & aliud, & nõ alium, & alium; quia in eo ſunt duæ naturæ, & vna tantũ perſona, quòd autem dictum eſt de nominibus *aliud, & aliud* dicendum eſt de nominibus *alter, & alterum* neutraliter; quia ſunt eiuſdem ſignificationis.

Et ob ſupra dictam rationem deſumptam ex communi vſu, dicẽdum eſt Patrem, & Filium eſſe duos, & nõ vnum maſculinè, vt loquitur Hilar. 7. de Trin bene tamen eſſe vnum neutraliter, vt ibidem docet Hilar. & conſtat ex illo Ioa. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*: Et ob eam rationem eodem modo philoſophandum eſt de nomine *idẽ* maſculinè, & neutraliter ſumpto.

Et ob eamdem rationem dicendum eſt *totum quod eſt* Pater eſt Filius, vt loquitur Bernardus Ep. 190. quia ibi totum ſumitur neutraliter.

Deinde circa nomina differentiæ diuerſitatis, & diſcretionis, quãuis Iuſtinus in vera expoſitione Trinitatis, & Nazianzen. orat. 3. de Theologia, in Diuinis vtantur nominibus *differre, & differentia*, dicentes perſonas Diuinas eſſe differentes, & differre, Hilarius tamẽ 4. de Trinit. & S. Thomas q. 31. art. 2. ad maiorem ſecuritatem, & cautionem docent non eſſe dicendum Diuinas perſonas eſſe differentes, nec differre; quia his vocibus ſignificari videtur diſtinctio numerica formæ, ſeu eſſentiæ: nihilominus quamuis id ſit ſecurius, abſque fundamento tamen dicitur dictis vocibus ſignificari diſtinctionem eſſentiæ, & ideò, vt docent Suarez 3. de Trinitate, capit. 13. Ruyz diſtinction. 39. ſectione 10. & Perez diſp. 20. ſectio. 4. & indicat Vazq. diſp. 131. cap. 2. eis poſſumus

in

in rigore vti, præsertim cum addito, quo tota suspitio auferatur, vt si dicamus. *Personas proprietatibus differre*, & si dicamus *ipsas proprietates differre*; cum quo addito eis vsi sunt Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. Euthymius in capit. 16. Ioannis, Richardus, Victorinus 4. de Trinitate c. 20. & lib. 5. c. 1. Magister in 1. d. 24. & Alexand. 1. p. q. 44.

Idem quoque censet Vazq. & Ruyz de nomine *diuersus*, quòd scilicet Personæ Diuinæ in rigore possint absolutè dici diuersæ; quia eadem est ratio de hoc nomine, ac de nomine *differentia*, & eo nomine plures Patres vtuntur quos refert Ruyz sect. 11. secutus tamen est, id non affirmare absque prædicto addito, præsertim, quia Fulg lib. 3. ad Trasimundum c. 6. Lactantius lib. 4. Diuinarum institutionum ca. 29. & alij Patres, quos refert Ruyz, id non videntur admittere.

Nomina verò *discretionis, & distinctionis*, absque suspitione aliqua distinctionis in essentia tribuuntur Diuinis Personis, & sæpè absolutè dicuntur discretæ, & distinctæ & tales vocantur in Concilio Toletano 1. & 11. & in Lateranensi in cap. *damnamus* de Summa Trinitate, & fide Catholica, nequeunt tamen dici diuisæ; quia quamuis sint discretæ, seu distinctæ, non tamen separatæ, & diuisæ; quia sunt vnitæ in essentia, vel potius vnum in essentia: nec dicendæ sunt dissimiles, nec inæquales vt obseruat August. 7. de Trinitate cap. vltimo, non *dissimiles*; quia dissimilitudo ad naturam refertur, non *inæquales*; quia nulla persona est maior, seu perfectior alia.

Circa nomina *vnionis, & coniunctionis*, obseruat Vazquez, & bene ad explicandum Mysterium Trinitatis personarum in vna essentia, potius esse vtendum nominibus *unitas, & unus*, quam nominibus *unio, & coniunctio, & unitus*; quia nomine *unitas, & unus*, melius explicatur simplicitas Dei, quã nominibus *unio, & coniunctio & unitus*, nihilominus non audet damnare vsum quorumdã, quos refert, qui eis nominibus vsi sunt.

Circa nomina *triplex, & multiplex*, Patres, & Scholastici conueniunt, quòd quamuis Deus dicatur *Trinus*, non tamen posse *triplicem*, nec *multiplicem* appellari, ita August. 6 de Trinitate, c. 6. & 7. & 8. & alij Patres, & Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei dicens, *in Deo non triplex, sed Trinitas dicenda est, & credi debet*, & id docent S. Thomas quæst. 31. ar. 1. ad 3. Suarez de Trinitate c. 13. Vazq. disp. 131. c. 3. Zuñiga disp. 6. Ruyz disp. 3. Granad Tract. 5. disp. 2. Perez disp. 20 sect. 4. & communiter Scholastici; quia nomina *triplex, & multiplex* vsu Latino significant in termino cui ad iun-

iunguntur distinctionem, seu pluralitatem, vel simplicer, vel saltē quantum ad formam, qua constituitur, vel quantum ad partes, ac proinde si Deus diceretur *triplex*, significaretur esse tres Deos, vel tres deitates, vel Deum esse compositum ex tribus, ex quibus nullū est admittēdum: nomē verò *Trinitas*, etiam absq; aliquo addito ex communi Patrum, & scholasticorum vsu refertur ad personas, quæ in Deo sunt tres; vnde si nomina *duplex*, *triplex*, *& multiplex* expressē ad personas, aut ad relationes, aut ad emanationes significādas referantur poterūt Deo attribui; quia absque scrupulo dici potest in Deo esse triplicem, aut multiplicem personam, & relationem, & duplicē, aut multiplicem emanationem, vt aduertunt Suar. Vaz. Ruiz Zuñig. Granad. & Perez.

Quomodo autem Trinitas personarum stare possit cum summa simplicitate reali Dei, optime explicat Bernar. lib. 5. de consider. ad Eugenium circa medium, & nos diximus disp. 2. diffic. 5. quia scilicet quamuis personæ re ipsa inter se distinguātur, & sint plures inter se, tamen nullo modo componunt, nec in vnum aggregantur, & comparatæ cum essentia nequeunt cum illa re ipsa componere; quia ab ea non distinguūtur re ipsa, & ideò Deus re ipsa est summè simplex, cū in eo nulla re ipsa sit compositio, nec vnitio: pluralitas enim non opponitur simplicitati quando ea plura, nec componūt, nec vniuntur, vt contingit in pluralitate personarum in Deo.

Circa nomen *vnicum*, Hilar. 7. 8. & 9. de Trin. (quem sequuntur S. Th. q. 31. ar. 2. Alber. 1. p. q. 40. memb. 2. & Gran. disp. 2.) significat Deum non esse appellandum vnicum; quia eo nomine videtur pluralitas personarum in Deo negari, seu excludi: nihilominus Henri. 2. p. ar. 75. q. 5. Bañ. q. 41. ar. 2. Vaz. disp. 131. Suar. 4. de Trin. cap. 13. Ruyz disp. 40. & Perez disput. 20 sect. 3. existimant posse in rigore Deum appellari vnicum. Et merito, quia *vnicus* non plus significat, quàm *vnum tantum*; Deus autem in rigore, quamuis sit Trinus in personis, potest etiam dici vnus tantum; quia est vnus tantum in deitate, seu vnus tantum Deus, cui tantum attribuitur nomen vnicus.

Circa nomen *singularis*, Hilar. vbi supra docet non esse tribuendum Deo, & idem docet Leo Magn. serm. 2. de Pentecost. Magist. in 1. d. 23. & S. Th. ar. 2. quia eo nomine etiam videtur à Deo excludi pluralitas personarum.

Lactantius verò lib. 4. diuinarum institutionum cap. 29. Anselm. lib. de Processione Spiritus sancti, cap. *patet*, & Tertulianus libro contra Praxeam cap. 12. Deum appellant singularem, & sic posse appellari docent Bañez, Vazq Suarez, Ruyz, & Perez vbi supra. Et merito, quia Deus est vnus numero, Deus & vnum numero indiui-

duum in deitate ergo verè est singularis Deus, quòd non tollit esse trinum in personis.

Circa nomẽ solus, quod est nomen exclusiuũ seu exceptiuũ, supponimus posse dupliciter sumi vno modo cathegorematicè, seu per se, & quasi substantiuum nulli termino adiunctum, alio modo syncathegorematicè, seu nõ per se, sed quasi adiectiuum alij termino adiunctum, seu adiectum.

Hoc supposito Sanctus Thomas quæst. 31. art. 3. Vazquez, Sua. & Ruiz vbisupra docent, & bene nomen *solus* cathegorematicè, seu substantiuè sumptum, non posse attribui termino essentiali, tanquã subiecto, seu de eo prædicari; quia dici nequit Deus est solus, deitas est sola, sapientia est sola; quia tunc eo nomine significat Deum esse solitarium, & deitatem esse solitariam, & etiam sapientiam esse solitariam, seu absque consortio personarum, quod est falsum: Syncathegorematicè verò, seu adiectiuè sumptum posse attribui, seu adiungi, seu adijci, & addi termino essentiali; quia optimè dicitur solus Deus est infinitus per essentiam, & etiam potest adiungi, seu addi termino personali, quando prædicatum quod dicitur de termino addito ipsi nomini *solus*, non est commune Personis diuinis; quia optimè dicitur solus Pater generat. Non verò quando prædicatum est commune termino addito; quia dici nequit solus Pater est sapiens, nec solus Pater est spirans, nec solus Pater est Deus. Vnde quando Ioann. 17. Christus Dominus loquens cum Patre, ait: *Vt cognoscant te solum verum Deum*, particula *solum*, non refertur ad particulam *te*, nec ei adiungitur, seu additur; quia falsum est quod solus Pater sit Deus verus, sed refertur, seu adiungitur termino *Deum*, ita vt sensus sit, vt cognoscant te, qui est solus Deus verus, & tunc particula *solus*, excludit à vera deitate, non alias duas Personas, sed alios deos falsos, quos agnoscunt gentiles, quando vero in Ecclesia canitur: *Tu solus altissimus Iesu Christe*, non dicitur absolutè, quod solus Filius sit altissimus, sed quod sit altissimus simul cum Spiritu sancto in gloria Dei Patris.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm hæc propoſitio hic Deus, eſt hic Deus ſit vera?

CAnar.q.39.ar.4.(cui fauere videtur Ruiz)exiſtímat hanc propoſitionem *hic Deus, eſt hic Deus*, nō eſſe abſolutè concedendā, nec abſolutè negandam poſſe tamen ſub conditione concedi, & negari, itavt ſi ſenſus ſit Pater, qui eſt Deus eſt Filius, qui eſt Deus neganda ſit. Si verò ſenſus ſit Pater, & Filius ſunt idem Deus ſit concedenda.

Moli.verò q.39.ar.4.diſp.1.Vaz.diſp.156.c.4.Tur.diſp.24.dub.4 & Per.diſp 20.ſect.5 docent, & melius dictam propoſitionem abſolutè abſq; diſtinctione eſſe veram Et merito, quia pronomē *hic* addi tum termino *Deus*, nō demōſtrat, nec determinat perſonā, nec perſonalitatem, quā in obliquo connotat, ſed tantum affigit, & demōſtrat indiuiduum cōcretum deitatis ſeu deitatem ipſam, quā primario dicit: ergo nunquam poteſt eſſe falſa; quia nunquam demōſtrat perſonas ſeu perſonalitates, ex quarum diſtinctione prouenit falſitas, ſed ſemper eſt vera; quia ſemper ſiue à parte ſubiecti, ſiue à parte prædicati demonſtrat indiuiduum concretum deitatis, ſeu deitatem, ac proinde ſemper ſiue à parte ſubiecti, ſiue a parte prædicati demonſtrat eundem Deum.

Addunt Vaz. & Tur. & bene dictam propoſitionem eſſe verā, niſi nomē Deus ponatur appoſitiuè; quia ſi ſic ponatur erit falſa demōſtrando ex parte ſubiecti vnam perſonam, & ex parte prædicati alteram, vt tunc fieri poteſt; quia tunc pronomen *hic*, non afficiet indiuiduum concretum deitatis, ſed perſonam ipſam, & ita ſenſus erit, hic v.g. Pater qui eſt Deus eſt, hic v.g. Filius qui eſt Deus, quod eſt falſum, & ita tunc hæc propoſitio, hic Deus, non eſt hic Deus, erit vera.

E contrario verò dicendum eſt de hac propoſitione Deus generans eſt Deus genitus; quia ſi terminus *generās*, & terminus genitus ponātur appoſitiuè, erit vera; quia tunc ſenſus erit Deus, qui eſt generans eſt Deus, qui eſt genitus; quia qui eſt generās, & qui eſt genitus eſt idem Deus. Si verò non ponantur appoſitiuè tunc propoſitio erit falſa; quia tunc terminus Deus, ſupponit pro perſona Patris, & pro perſona Filij, quia ratione dictorum terminorum *generans*, & *genitus* determinatur, vt ſupponat pro perſonis ipſis.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm vtraque hæc propositio, Deus generat, Deus non generat sit vera, an falsa, vel an vna sit vera, & quæ, & altera sit falsa, & quæ?

CONueniunt Theologi, hanc propositionem *Deus generat* esse veram; quia siue Deus supponat pro persona Patris, iuxta opinionem existimantium suppositionem esse acceptionem termini pro re, ratione cuius propositio est vera, siue supponat pro individuo concreto deitatis, iuxta opinionem existimantium suppositionem esse idem omnino, ac significationem, ita vt nomen supponere pro aliqua re, nihil aliud sit quàm illam significare, & pro ea substitui, seu subrogari, vt docet Vazquez disputat. 157. capit. 4 ita vt in hac propositione, homo disputat, solo Petro disputante, ratione cuius est vera, non supponat pro Petro, sed pro homine, quem significat.

Prædicta ergo propositio, Deus generat est vera, quovis modo ex duobus dictis supponat terminus Deus; quia si supponit pro Patre, certissimum est esse veram; quia certissimum est Patrem generare: si verò supponat pro concreto Deitatis, etiam est vera; quia vt Deo verè attribuatur, sufficit, quòd ei conueniat in aliquo supposito cõnotato (quòd dicitur connotari ratione suppositalitatis cõnotatę) aut ratione alicuius intrinsecè cõnotati, quod amplius constabit ex dicendis.

Est tamen controuersia, an propositio negatiua, nempè *Deus nõ generat*, sit etiam vera, an falsa.

Durandus in 1. dist. 4 q. 2. Aureolus ar. 2 Ocham q. 1. Gab. q. 2. ar. 2. Greg. q. vltima, & Marsilius q. 8. art. 3. docent dictam propositionem negatiuam ex rigore sermonis etiam esse verã; quia terminus Deus, non est omnino singularis; quia quamuis ex parte directi significati (quod est deitas, seu natura) sit singularis, ex parte tamen intrinsicè connotati (quod est suppositum, seu suppositalitas) est communis tribus Personis: ergo hæc propositio *Deus non generat* est indefinita, sicut hęc *homo non currit*, hæc autẽ vtpotè indefinita, est vera vno singulari nõ currente: ergo etiam hæc *Deus nõ generat* est vera; quia Filius, & Spiritus sanctus nõ generãt: ambæ ergo propositiones, *Deus generat*, *Deus non generat* sunt veræ; quia nõ sunt cõ-

tra-

tradictorias, sed subcontrarias sicut istæ, *homo currit, homo non currit*; addunt tamen dictam propositionem, non esse cõcedendam ad vitandam occasionem erroris in imperitis, ne existimẽt in diuinis nõ esse generationem.

S. Th. verò q. 39. ar. 4. & in 1 d. 4. q. 1. ad 2. Bona. Rich. Cart. & Capreol. Vaz. disp. 157. Sua. lib 6. in fine, Turr. disp. 24. dub. 3. Zuñiga disp. 14. memb. 3. Ruiz disp. 79. sect. 2. Per. disp 2. sect. 2. docent dictã propositionem negatiuam esse falsam Et merito, quiavel hic terminus *Deus*, in hac propositione negatiua *Deus non generat*, supponit pro Patre, pro quo debet supponere si in affirmatiua pro eo supponit; quia termini in propositione affirmatiua, & in negatiua eandem suppositionẽ seruant, quia sunt idem, vt patet in his propositionibus, *homo est species, homo non est species*, & sic supra dicta propositio est falsa; quia falsum est Patrem nõ generare, vel nomen Deus supponit in negatiua pro indiuiduo cõcreto deitatis (quòd verius est) & sic propositio etiam est falsa; quia quamuis vt Deo, sic supponenti, aliquid attribuatur, seu vt de eo sic supponente aliquid affirmetur, satis est, quòd ei conueniat in vna persona, tamen vt de eo aliquid negetur, necessarium est vt ei in nulla persona, & nullo modo conueniat; quia si ei verè in aliqua persona conuenit, falsò de eo simpliciter, & absolutè negatur; quia negatio addita termino singulari, quamuis à parte post distribuit, & innuit prædicatum nullo modo illi termino singulari conuenire; quia terminus singularis non est capax distributionis, seu diuisionis in se ipso, & ita impertinens est, quod ei anteponatur negatio; quia terminus singularis in se ipso est incapax distributionis, & diuisionis, Deus autem prout ei attribuitur, vel de eo negatur aliquid, est omnino singularis; quia eius directo prædicato attribuitur, vel de eo negatur: directum autem significatum Dei est omnino singulare, & ideò ei nequit ádi signum *omnis*, nec *nullus*, nec *aliquis* dicendo *omnis Deus*, *nullus Deus*, *aliquis Deus*; quia hæc signa afficiunt directum significatum termini *Deus*. Et ob dictam rationem, Petro existente in duobus locis, & in vno tantum scribente, quamuis vera sit hæc propositio *Petrus scribit*, hæc tamen est falsa *Petrus non scribit*; quia sensus est nullatenus scribit.

Vnde hæ propositiones *Deus generat*, *Deus non generat*, non sunt sub contrariæ, sed contradictoriæ, aliter quàm istæ *homo currit*, *homo non currit*, ob communitatem, & indeterminationem directi significati termini *homo*; quia ob eam non distribuitur negatione postposita; quia cum sit communis,

est capax distributionis, & diuisionis in se ipso, non sic autem terminus singularis, & cum termino singulari imperfectè anteponitur, & quãdo simpliciter, & absolutè postponitur, ita afficit prædicatũ, vt illud omnino remoueat à subiecto, & ob id dictæ propositiones sũt falsæ, Deus non est Pater, Deus non est vnitus carni, Christus nõ est mortalis.

Ex quibus constat ad fundamenta aduersariorum, quòd quamuis terminus Deus ex parte connotati non sit singularis, sed communis, ex parte tamẽ directi, seu primarij significati cui prædicatum attribuitur, est omnino singularis, & ob id falsũ est de Deo negare, quòd generet, quia verè generat, quamuis nõ in omni persona, quam connotat connotando personalitatem.

Obseruandum est hanc propositionem *Deus genuit alium Deum* esse falsam, vt docuit S. Th. q. 39. ar. 4. Scot. & Duran. in 1. d. 4. Tur. & communiter Theologi; quia nomẽ *alium*, additum nomini *Deum*, denotat distinctionem, & pluralitatem *Dei*, quod est falsum: si tamẽ nomen *alium* sumatur substantiuè; & nomen *Deum* ponatur appositiuè, erit vera; quia sensus est, Deus genuit alium qui est Deus: modus tamen iste loquendi alienus est ab vsu, vt aduertit S. Thom. hanc verò propositionem Deus genuit eumdem Deum esse veram; quia isto nomine *eumdem*, non denotatur identitas in persona, sed in natura, quam nomen Deus directè significat, & hãc esse falsam *Deus genuit se Deum*; quia isto pronomine *se*, vt potè reciproco denotatur identitas, etiam personæ generantis, & personæ genitæ: illam verò propositionem *Deus Pater genuit alterum se*, quam Augu. protulit Epist 66. explicat S. Thom ar. 2 dupliciter; quia vel pronomen *se*, est in ablatiuo, & ita sensus erit, Deus Pater genuit alterum à se, quo denotatur distinctio personarum Patris, & Filij, in quo sensu est vera (in eo tamen non videtur tradita ab Aug.) vel pronomen *se* ponitur in accusatiuo, & ita sensus erit, Deus Pater genuit alterum, ideſt alteram personam sibi omnino similem, seu eamdem in natura in quo sensu etiam est vera, & in eo illam videtur tradidisse Aug. est tamen sensus improprius, vt aduertit S. Th.

Omittimus alias propositiones; quia earum veritas, vel falsitas facile poterit ex dictis erui, & cognosci, de quibus poterunt videri Vaz. vbi supra, Sua. lib. 6. c. 7. & Ruyz disp. 79.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm hæ propoſitiones eſſentia generat, eſſentia generatur ſint veræ?

IOachimus Abbas hæreticus exiſtimans in tribus Diuinis Perſonis, eſſe tres eſſentias, ſeu naturas realiter diſtinctas (vt refert Ruyz diſputat. 80. ſectione 4.) conſequenter errabat dicens eſſentiam Diuinam Patris generare eſſentiam filij, & eſſentiã filij generari ab eſſentia Patris, ſicut eſſentia, ſeu natura vnius hominis generatur ab eſſentia alterius.

Error tamen iſte damnatus fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio, & refertur in capit. *Damnamus* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, & videtur partim damnatus, nempè quoad eam propoſitionem eſſentia Diuina generatur in Concilio Toletano 1. confirmato à Leone 1. in Confeſsione Fidei Can. 7. dum dicitur: *Si quis dixerit, vel crediderit Deitatem naſcibilem eſſe, anathema ſit.*

Ratio autem dictæ veritatis eſt; quia inter genitorem, & genitum debet eſſe diſtinctio realis; quia idem nequit ſe ipſum producere, nec à ſe ipſo produci, ſed Eſſentia Diuina in abſtracto eſt tantum vna realiter à ſe ipſa realiter indiſtincta, & à tribus Diuinis perſonis: ergo nequit à ſe ipſa, nec ab aliqua Perſona Diuina produci, & nec ſe ipſam, nec perſonam aliquam Diuinam producere, ac proinde, nec generare, nec ſpirare, nec generari, nec ſpirari.

Nihilominus Theologi admittunt Eſſentiam Diuinam communicari; quia iſto modo loquendi, non denotatur diſtinctio realis inter id quod communicatur, & eum à quo communicatur, ſed tantum inter eum à quo communicatur, & inter eum cui communicatur.

Obſeruandum eſt Patres aliquando vti nominibus abſtractis ad denotandam originem vnius perſonæ ab altera: Dicunt enim lumen de lumine, lucem de luce, ſapientiam de ſapientia, eſſentiam de eſſentia, gloriam de gloria: vtuntur autem his loquutionibus, vt etiam denotent perſonam procedentem, & eam à qua procedit habere eandem eſſentiam, eandem ſapientiam, eandē

gloriam, &c Istæ tamen dictæ loquutiones, vt aduertit S. Thomas ad 1. ita exponendæ sunt, vt abstracta pro concretis exponantur, aut essentialibus, nempè luminosum de luminoso, glorioſum de glorioso, &c. aut personalibus: nempè, Filius, qui est sapientia est de Patre, qui est sapientia, &c. & in hoc sensu Concilium Toletanum 15. dixit secundum essentiam voluntas genuit voluntatem, id est, Pater, qui voluntas genuit Filium, qui est voluntas: & addit *secundum essentiam*, vt nomine voluntatis, non intelligeretur Spiritus sanctus, cui ratione suæ peculiaris processionis, relationis, & proprietatis appropriatur, quod sit voluntas, id est amor, vt ratione particulæ *secundum essentiam*, se excusaret à nota, qua Benedictus Secundus notauit propositionem illam *voluntas genuit voluntatem*, quasi Patres Toletani indicassent Spiritum sanctum genuisse Spiritum sanctum, Concilium ergo se excusauit dicendo se protulisse illam propositionem, non cum additamento, secundū appropriationem humanæ mentis, seu secundum relationem, sed secundum essentiam.

Addimus, quòd quamuis hæ propositiones personalitas, verbi gratia, Patris generat, & personalitas Filij generatur, sint identicè verè, non tamen sunt absolutè concedendæ; quia in sensu formali, quem efficiunt sunt falsæ.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm hæc propositio Deus est Pater, sit per se?

COnueniunt Theologi, hanc propositionem Deus est Pater esse propositionem per se, ita S. Th. Canar. Vaz. & Tur. q. 39. art. 6. quod ex dicendis constabit, est tamen cōtrouersia, qua ratione, seu in quo sensu dicta propositio sit per se.

Vazq. & Tur. existimant esse per se in sensu formali, quia Pater vt à nobis conceptus attribuitur Deo, prout etiam à nobis cōcepto, Pater autem prout à nobis cōceptus, seu nostro modo cōcipiēdi distinguitur formaliter à Deo: ergo prædicatio, seu propositio in qua Pater prædicatur de Deo est formalis.

Canarien. verò existimat, & melius dictam propositionem esse per se in sensu identico, & non in formali, quod etiam S. Thom. absque dubio docet ar. 1. ad 2. & in primis esse per se in sensu idēntico patet; quia Deo, imo deitati conuenit per se esse idem cū Patre, quòd verò non sit per se in sensu formali probatur, quia quamuis in

sensu

ſenſu formali ſit verò, quia Pater noſtro modo cõcipiẽdi eſt diſtinctus à Deo, & ei conuenit, & attribuitur, nõ tamen intrinſecè, adhuc perſonaliter, ſeu prout eſt perſona; quia quamuis Deus intrinſecè conſtet ex perſonalitate, & ex deitate, non tamen ex Paternitate vt Paternitas eſt, ſeu ſub expreſſo conceptu Paternitatis, vnde quamuis in ſenſu formali, hæc ſit per ſe, & intrinſeca Deus eſt perſona, non tamen hæc Deus eſt Pater, ſed eſt denominatiua, & quaſi accidentalis, ſicut hæc propoſitio Perſona Patris eſt Pater, vt diximus diſput. 4. difficult. 4. hæc verò Pater eſt Deus eſt per ſe, & eſſentialis: Et etiam hæc propoſitio perſona Patris eſt Deus; quia Pater, & Perſona Patris intrinſecè, quamuis connotatiuè, ſeu indirectè conſtat ex Deitate, tamquam ex eſſentia: hæc tamen vtraque propoſitio eſt indirecta; quia deitas, tamquam quid connotatum, & indirectum pertinet ad conceptum Patris, & ad conceptũ perſonę Patris, ſicut etiam hæc propoſitio *Deus eſt perſona* eſt indirecta; quia perſonalitas conſtituens perſonam tantum pertinet intrinſicè, ſeu ad conceptum Dei, tamquam quid connotatum, ſeu indirectum, vt diximus.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm hæc propoſitio, Deus creat ſit per ſe?

CAnarienſ. q. 39. art. 6. docet hanc propoſitionem non eſſe per accidens, ſed per ſe, quòd ſignificare videtur Auguſt. 5. de Trinitate cap. 5. dum ait in *Deo autem nihil ſecundum accidens*. Et ratione probatur. Primò, quia creatio actiua in Deo à qua Deus, dicitur creare eſt ipſa eſſentia Dei, ergo. Secundò; quia hæc propoſitio Deus creat eſt in quarto modo dicendi per ſe; quia in ea prædicatur effectus proprius de ſua cauſa.

Vazq. verò, & Turrianus vbi ſupra docent, & melius dictam propoſitionem eſſe per accidens, ſeu accidentalem, non accidenti prædicamentali intrinſeco, quòd Deo realiter inhæreat; quia nullum tale conuenit Deo (de quo tantum loquitur Auguſtinus vbi ſupra) ſed accidenti extrinſeco, quòd poteſt conuenire, & non conuenire Deo; quia Deus poteſt creare, & non creare: & quando creat dicitur creare, non à ſubſtantia ipſius Dei, ſed extrinſeca denominatione, ſeu reſpectu rationis prouenientè à creatione exiſtente extra Deum, ex quo patet ad priorem rationem Canarienſis.

Et ad posteriorem respondemus, concedendo effectum proprium prædicari de propria causa, negamus tamen prædicari per se, vel quia quartus modus per se, non est dicendi per se, sed causandi per se; vel quia in eo quarto modo (quamuis admittamus esse dicendi per se) tantum est propositio in qua effectus necessario conuenit causæ, vt iugulatus interijt, creare verò non conuenit Deo necessario, sed omnino. contingenter.

FINIS.

INDEX
DISPVTATIONVM, & Difficultatum, quæ in hoc tomo continentur.

TRACTATVS DE DEO.

DISPVTATIO PROLOGOMENA de Sacra Theologia.

Diffic. 1. Quòd ſit ſubiectum, ſeu obiectum Theologiæ Sacræ, fol 1.
Dif. 2. Quæ & qualia ſint prima principia Theologiæ, fo. 1
Dif. 3. Vtrùm Theologia ſit verè, & propriè ſcientia. fol. 2.
Diffi. 4. Qualis ſit Theologia. fol. 2.
Dif. c 5. Vtrùm Theologia noſtra ſubalternetur Theologiæ Dei, & Beatorum. fol 2.
Diffi. 6. Vtrùm Theologia noſtra ſit vna ſcientia, ſecundum ſpeciē infimam. fol. 3.
Dif. 7. Vtrùm Theologia noſtra ſit practica, an ſpeculatiua fol. 3.
Dif. 8. Vtrùm Theologia noſtra ſit dignior alijs ſcientijs fo. 4.
Dif. 9. Vtrùm Theologia viatorum ſit argumentatiua. fo. 5.
Dif 10. Vtrùm Theologia noſtra ſit neceſſaria. fo. 6.
D f 11. Vtrùm Theologia ſcholaſtica, ſit vtilis in Eccleſia fo. 6
Dif. 12. Vtrùm Scriptura ſacra debeat vti metaphoris fo. 7.
Dif. 13. Vtrùm ſacra Scriptura ſub vna, & eadem littera, litteralē ſimal, & ſpiritualem ſenſum contineat fo. 7.
Dif. 14. Quis ſit ſenſus litteralis. fol. 8.
Dif. 15. Quis ſit ſenſus litteralis parabolarum. fo. 8.
Dif. 16. Quis & quotuplex ſit ſenſus ſpiritualis. fo. 8.
Dif. 17. Vtrùm ſenſus litteralis, ſit nobilior ſpirituali, an è contra fol. 9.

Dif.

Diffic.18. Vtrùm ſub eadem littera, aliquando plures ſenſus litterales contineantur. fo.9.
Diffi.19. Vtrùm non ſolum litteraliter, & ſpiritualiter, ſed etiam accommodatitiè ſoleat ſacra ſcriptura tractari fo.10.
Diffi.20. Quomodo ex prædictis ſcriptura ſacra debeat tractari, vt efficax ſit ad veritates fidei comprobandas. fol.10.

TRACTATVS DE Attributis Dei.

Diſputatio 1. de exiſtentia Dei.

Diffic.1. Vtrùm Deum eſſe, ſeu exiſtere ſit per ſe notum. fo.10.
Dif.2. Vtrùm Deum eſſe ſit demonſtrabile. fo.11.

Diſputatio 2. De ſimplicitate Dei.

Diffi.1. Vtrùm Deus ſit corporeus. fol.12.
Diffi.2. Vtrùm Deus ſit in aliquo genere, ſeu prædicamento cum rebus creatis. fol.13.
Diffic.3. Vtrùm in Deo ſint aliqua accidentia fol.13.
Diffi.4. Vtrùm Deus ſit omnino ſimplex. fol.14.

Diſputatio 3. de perfectione Dei.

Diffic. vnica. Vtrùm Deus ſit perfectus. fol.14.

Diſputatio 4. de bonitate Dei.

Diffi.1. Vtrum Deus ſit bonus, & quibus modis. fol.15.
Diffic.2. Vtrùm Deus ſit ſummè bonus. fol.16.

Diſputatio 5. de infinitate Dei.

Diſputatio 6. de immenſitate Dei.

Diffic.1. Vtrum Deus intimè exiſtat in omnibus rebus. fol.17.

Dif-

Diffi.2. Vtrùm Deus realiter exiſtat præſens in ſpatio imaginario, quòd eſt extra cœlum.fol.18.
Diffic.3. Quot & quibus modis Deus dicatur exiſtere in creaturis. fol.20.
Diffi.4. Vtrùm Deus ſit vbique.fol.20.

Diſputatio 7. De Immutabilitate Dei.

Dif.vnica. Vtrùm Deus ſit omnino immutabilis.fol.21.

Diſputatio 8. De æternitate Dei.

Diffic.vnica. Vtrùm ſit proprium Dei eſſe æternum.fol.21.

Diſputatio 9. De Vnitate Dei.

Diffic.vnica. Vtrùm Deus ſit vnus.fol.22.

Diſputatio 10. De Incomprehenſibilitate Dei.

Diffi.1. Vtrùm intellectus poſsit clarè, ſeu intuitiuè videre Deum, prout eſt in ſe.fol.23.
Dif 2. Vtrùm aliquis in hac vita mortali viderit Deum.fol. 24.
Diffi 3. Vtrùm ſit poſsibilis ſpecies impreſſa ad eliciendam viſionẽ Dei.fol.26.
Diffic.4 Vtrùm de facto detur ſpecies impreſſa ad videndum Deũ. fol.27.
Diffi 5. Vtrùm intellectus creatus poſsit propria virtute naturaliter videre Deum. fol.28.
Diffi.6. Quid ſit lumen illud gloriæ neceſſarium intellectuali creato ad videndum Deum fol.29.
Diffi.7. In quem vſum, ſeu munus ſit neceſſarium lumen gloriæ intellectui ad videndum Deum.fol 29.
Diffi.8. Vtrùm intellectus noſter à Deo adiutus poſsit abſque lumine gloriæ videre Deum.fol.30.
Diffic.9. Vtrùm viſio Dei ſit connaturalis intellectui illuſtrato lumine gloriæ.fol 32.
Diffi.10. Vtrùm poſsit à Deo condi creatura, cui ſit viſio Dei naturalis, ſeu connaturalis, & non ſupernaturalis. fol.33.

Diſſi.

Diffi.11. Vtrùm Deus posſit videri oculis corporeis.fol. 34.
Diffi.12. Vtrum in visione Dei sit species expressa Deum repræsentans producta ab intellectu beati.fol.34.
Dif.13. In quo consistat formalis visio Dei fol.35.
Dif.14. Qualis sit visio Dei.fol.37.
Diffi.15. Vtrùm videntes Deum videant necessario omnia, quæ sũt formaliter in Deo fol.38.
Diffi.16. Vtrùm videns Deum, ex vi visionis illius videat creaturam aliquam.fol.40.
Dif 17. Quas creaturas videant beati videntes Deum, fol 41.
Diffi.18. Vtrùm visio, qua beatus videt Deum, posſit esse ita perfecta, vt sit comprehensiua ipsius Dei. fol. 42.

Disputatio 11. *de potentia Dei.*

Dif.1. Vtrùm in Deo sit potentia.fo.44.
Diffi.2. In quo sita sit formaliter potentia actiua Dei fol.44
Diffi.3. Vtrùm potentia actiua Dei sit infinita.fol.45.
Diffic.4. Vtrùm in Deo sit omnipotentia. fol. 46.
Dif.5. Vtrùm Deus posſit efficere quod præterita non fuerint.fo.46
Diffi.6. Vtrùm Deus posſit efficere plura quam fecit, & quam facturus est.fol.47.
Dif.7. Vtrùm Deus posſit efficere meliora eis quę fecit.fol.47.

Disputatio 12. *de distinctione attributorum.*

Dif.1. Vtrùm attributa inter se, & ab essentia distinguantur ante operationem intellectus.fol.47.
Dif 2. Vtrùm attributa diuina inter se, & ab essentia ratione distinguantur.fol.49.
Diffi.3. Vtrùm attributa ita distinguantur ratione inter se, & ab essentia, vt se mutuo essentialiter includant, & essentiam, & ab ipsa includantur.fol.51.

TRACTATVS DE Scientia Dei.

Disputatio 1. *de existentia scientiæ Dei.*

Diffi.1. Vtrùm in Deo sit scientia actualis.fol.52.
Diffi.2. Vtrum scientia, seu intellectio Dei, sit discursiua.fol.53.

Diffi.

Dif.3. Vtrùm ſcientia Dei ſit immutabilis, ſeu inuariabilis. fol. 54.
Dif 4. Vtrùm in Deo ſit re ipſa intellectus. fol. 54.
Dif. 5. Vtrùm in Deo ſit re ipſa ſpecies intelligibilis. fol. 56.
Diffic. 6. Vtrùm eſſentia Dei ſita ſit formaliter in actuali intellectione. fol. 57.

Diſputatio 2. de obiecto materiali increato ſcientiæ, ſeu intellectionis diuinæ.

Diffic. 1. Vtrùm Deus ſe ipſum, & ſe totum intelligat. fol. 58
Diffi. 2. Vtrum Deus ſe in ſe ipſo intelligat. fol. 59.
Diffi. 3. Vtrum Deus ſe intelligat in creaturis. fol. 60.
Diffi. 4. Vtrum Deus ſe intelligat ex creaturis. fol 61.
Diffi. 5. Vtrùm Deus ſe ipſum comprehendat. fol. 62.

Diſputatio 3. dè obiecto materiali creato neceſſario ſcientiæ diuinæ.

Diffic. 1. Vtrum Deus cognoſcat creaturas poſsibiles. fol. 63.
Diffi. 2. Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ſe ipſo. fol. 64.
Diffic. 3. Vtrum Deus cognoſcat creaturas poſsibiles in ipſis met. fol. 66.
Diffi 4. Vtrùm Deus cognoſcat creaturas poſsibiles infinitas in actu. fol. 66.
Diffi. 5. Vtrum Deus cognoſcat non entia, & quo modo. fo. 68.
Diffi. 6. Vtrum Deus cognoſcat mala, & quo modo. fol. 70.

Diſputatio 4. de obiecto materiali creato libero diuinæ ſcientiæ.

Diffic. 1. Vtrùm Deus habeat ſcientiam futurorum contingentium fol. 72.
Diffi. 2. Vtrum Deus certo cognoſcat futura contingentia; quia ei ſint ab æterno realiter præſentia. fol. 74.
Dif. 3. Vtrũ Deus certo cognoſcat futura contingentia in cauſa libera creata ipſorum, tanquam in obiecto prius cognito. fol. 77
Dif. 4. Vtrùm Deus certo cornoſcat futura contingentia in ipſorũ Ideis, tanquam in obiectis prius cognitis. fol. 78.
Dif. 5. Vtrum Deus certo cognoſcat futura contingentia ex efficacitate ſuæ cognitionis, qua ea cognoſcit fore. fol. 79.
Dif. 6. Vtrum Deus cognoſcat futura contingentia in decreto ſuæ voluntatis, tanquam in obiecto prius cognito. fol. 81.
Dif. 7. Quomodo ergo Deus, certo, & infallibiliter cognoſcat futura contigentia. fol. 82.

Dif.

Difficul. 8. Vtrùm in futuro contingente, ſit determinata veritas. fol.83.
Diffic.9. Vtrùm Deus certo cognoſcat futura contingentia conditionata.fol.85.
Diffic.10.Vtrùm Deus certo cognoſcat contingentia futura, ſub conditione independenter à ſuo decreto abſoluto ex parte actus.fol.89.
Diffi.11.Vtrùm Deus cognoſcat ſua decreta cõditionata.fol.91.
Diffic.12.Vtrùm Deus certo cognoſcat futura contingentia conditionata,conditione diſparata,ſeu non connexa cum altero extremo.fol.93.
Diffi.13.Vtrùm præſcientia diuina futurorum contingentiũ tollat noſtram libertatem circa illa.fol.95.

Diſputatio 5. De varijs diuiſionibus ſcientiæ Dei.

Dif.1.Vtrùm ſcientia Dei rectè diuidatur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& in ſcientiam viſionis.fol.98.
Dif.2.Vtrùm ſcientia Dei rectè diuidatur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& in ſcientiam approbationis.fol.99.
Diffi 3.Vtrùm ſcientia Dei rectè diuidatur in naturalem,& in liberam.fol.99.
Diffi.4.Vtrùm ſcientia Dei rectè diuidatur in practicam,& in ſpeculatiuam.fol.100.
Diffi.5.In qua ſcientia diuina creaturarum reperiatur ratio practicæ.fol.102.

Diſputatio 6.de Idæis.

Diffi.1.Vtrùm in mente diuina ſint creaturarum Ideæ. fo.103.
Diffi.2.Quid exiſtens in mente diuina ſit Idæa creaturarũ.fo.104.
Diffi.3.Vtrùm in Deo ſint plures Ideæ, fol.107.
Diffi.4.Vtrùm Ideæ in Deo pertineant ad ſcientiam practicam, an ad ſpeculatiuam.fol.108.
Diffi.5.Quarum verum ſint in Deo Ideæ,fol.108.
Diffi.6.Vtrùm in Deo ſint Ideæ vniuerſalium, fol.109.
Diffi.7.Vtrùm ſit Idea materię primæ.fol.109.
Diffi.8.Vtrùm in Deo ſint Ideæ accidentium.fol.109.

Diſputatio 7.de Veritate.

Dif.1.in qua operatione intellectus reperiatur veritas.fol.110.
Diffic.2. Vtrùm veritas ſit conformitas cognitionis, an conceptus obiectiui cum ipſa re.fol.111.

Dif-

Dif.3. Quo pacto veritas sit in rebus extra intellectum, fo. 112.

TRACTATVS DE Voluntate Dei.

Disputatio 1. de existentia, & natura voluntatis Dei.

Diffic. 1. Vtrùm in Deo sit actus voluntatis fo. 115.
Diffi. 2 Vtrum in Deo sit voluntas sumpta pro potentia volitionis actualis. fol. 115.
Diffi. 3. Vtrum volitio Dei sit æterna, & immutabilis. fol. 116.
Dif. 4. Vtrum quidquid Deus vult efficere, velit ob aliquem finem. fol. 118.

Disputatio 2. de obiecto voluntatis Dei.

Dif. 1. Quòd sit obiectum formale voluntatis diuinæ, fol 120.
Dif. 2. Quòd sit obiectum materiale voluntatis Dei. fo. 121.
Diffi. 3. Vtrùm Deus posituè velit non esse actuale rerum, quas nõ est productarus, fol. 123.
Dif. 4. Vtrum Deus velit mala affectu prosequutionis, fol 124.

Disp. 3. de necessitate, & libertate voluntatis diuinæ.

Diffi. 1. Vtrum Deus non solum se ipsum diligat necessario, sed etiã creaturas. fol 124.
Dif. 2. Vtrũ Decretũ Dei, sit aliquid intrinsicè existẽs in ipso. fo. 126
Diffi. 3. Vtrùm voluntas Dei sit propinquior causa rerum, quam intellectus fol. 129.
Diffic. 4. Vtrum in decretis liberis Dei, sit ordo prioris, & posterioris. fol. 130.
Dif. 5. Vnde assignandus, & desumendus sit ordo prioris, & posterioris inter diuina decreta. fol. 130.

Disputatio 4. de voluntate diuina saluandi homines.

Dif. 1. Vtrùm in Deo sit voluntas saluandi omnes homines, fo. 133.
Dif. 2. Vtrum voluntas saluandi omnes homines fuerit in Deo, non solum ante præuisum lapsum Adæ, sed etiam post. fo. 134.
Diffic. 3. Vtrùm voluntas saluandi omnes homines, solum sit signi, an verò beneplaciti. fol. 134.
Diffi. 4. Vtrùm voluntas diuina beneplaciti saluandi omnes homines sit libera, an necessaria. fol. 135.
Diffic. 5. Vtrùm voluntas saluandi omnes homines sit absoluta, an tantum conditionata. fol. 136.

Disputatio 5. de varijs affectibus voluntatis diuinæ.
Dif. 1. Quotuplex sit volitio Dei. fol. 136.
Dif. 2. Qui affectus prosequutionis conueniant Deo. fol. 137.
Dif. 3. Qui affectus fugæ conueniant Deo fo. 139.
Diffi. 4. Vtrùm in Deo sit proprie, & formaliter ira. fol. 141.
Disputatio 6. de virtutibus voluntatis diuinæ.
Diffic. 1. Vtrùm in Deo sit iustitia commutatiua strictè, & specialiter sumpta. fol. 141.
Diffic. 2. Vtrùm in Deo sit iustitia distributiua strictè, & specialiter sumpta. fol. 143.
Dif. 3. Quæ aliæ virtutes distinctæ ab stricta iustitia reperiãtur in Deo fol. 145.

TRACTATVS DE Prædestinatione.

Disputatio 1. de prouidentia Dei.
Dif. 1. Vtrùm in Deo sit prouidentia circa creaturas. fol. 146
Dif 2. Quomodo prouidentia cõparetur cũ prædestinatione. f. 147.
Dif 3 Vtrùm prouidentia Dei sita sit in actu sui intellectus, an in actu suæ voluntatis fol. 147.
Dif 4 Vtrũ Deus sua prouidentia attingat omnes creaturas fo. 149.
Dif. 5 Vtrùm Deus immediatè, seu per se ipsum prouideat omnibus creaturis fol 150
Dif 6. Vtrùm Deus omnia gubernet immediatè immediatione supsiti, & immediatione virtutis. fol. 152.
Diffic 7. Vtrùm prouidentia diuina semper consequatur finem ad quem ordinat media. fol. 153.
Disputatio 2. de existentia, & natura prædestinationis.
Diffi. 1. Vtrùm in Deo sit prædestinatio circa creaturas rationales, seu intellectuales fol. 154.
Dif. 2. Quòd sit obiectum prædestinationis. fol. 154.
Dif 3 Vtrum ad prædestinationem præsupponatur in Deo præscientia obiect ipsius prædestinationis fol. 157.
Diffi. 4. Vtrum ad prædestinationem mediorum gratiæ, vt pie operemur, præsupponatur in Deo præuisio cooperationis nostræ, sub conditione futuræ. fol. 158.
Dif. 5. Vtrùm in Deo fuerit volũtas absoluta, & efficax dãdi prædestinatis gloriã ante absolutam præuisionẽ meritorum. fol. 159.

Dif-

Disputatio 3. de effectibus prædestinationis.

Diffic.1. Vtrum glorificatio, seu beatitudo prædestinati sit effectus prædestinationis.fol.167.

Dif.2. Vtrùm iustificatio prædestinati, sit effectus prædestinationis. fol.168.

Diffi.3. Vtrum opera bona prædestinati, sint effectus prædestinationis.fol.170.

Diffi.4. Vtrùm vocatio sit effectus prædestinationis.fol.171.

Diffic.5. Vtrum omnia bona ordinis naturalis, sint effectus prædestinationis.fol.172.

Dif.6. Vtrùm permissio peccari sit effectus prædestinationis.fol.173

Disputatio 4. de causis prædestinationis.

Diffi.1. Quomodo possit assignari causa prædestinationis ex parte prædestinati.fol.175.

Diffi.2. Vtrum ex parte prædestinati detur causa physica prædestinationis, quoad effectus ipsius.fol.176.

Diffi.3. Vtrum ex parte prædestinati, detur causa moralis prædestinationis, quoad aliquos suos effectus.fol.178.

Dif.4. Vtrùm ante hanc vitam fuerit ex parte prędestinati causa aliqua moralis tot ius suæ prędestinationis fol.179.

Dif.5. Vtrùm opera bona, quæ prædestinatus facturus esset, si in alio statu constitueretur, quamuis non sint absolutè futura, sint causa moralis prædestinationis.fo.180.

Diffi.6. Vtrùm opera prædestinati ex auxilio gratię facta, sint causa moralis suæ prædestinationis.fol.181.

Dif.7. Vtrùm opera prædestinati ex solis viribus libri arbitrij absq; auxilio gratiæ facta, sint causa moralis prædestinationis.fol.184

Dif.8. Vtrùm prædestinatio sit in potestate prædestinati. fol.190.

Dif.9. Vtrùm ex parte Christi Domini detur causa moralis nostræ prædestinationis, & electionis.fol.191.

Disputatio 5. de reprobatione.

Dif.1. Qui actus intercueniant in reprobatione.fol.195.

Dif.2. In quo actu Dei consistat essentialiter reprobatio.fol.196

Dif.3. Vtrùm destinatio reprobi ad pœnam æternam fuerit in Deo ante præuisa illius peccata.fol.197.

Dif.4. Qui sint effectus reprobationis.fol.198.

Diffi.5. Vtrum ex parte reprobi detur causa reprobationis negatiuè.fol.200.

Dif.6. Vtrũ ex parte reprobi detur causa reprobationis positiuæ. fol.202.

Diffi.7. Vtrùm reprobatio sit in libera potestate reprobi.fol.203.
Dif.8. Vtrum Deus prouideat omnibus reprobis adultis auxilia sufficientia ad saluationem.fo.204.
Diffi.9. Vtrum Deus prouideat omnibus reprobis infantibus remedia sufficientia ad saluationem,fol.206.
Dif.10. Vtrum prædestinatio sit certa, & infallibilis.fo.207.
Dif.11. Vtrùm numerus prædestinatorum sit certus.fo.209.
Dif.12. Vtrum Deus suo decreto efficaci præfinierit immediatè opera nostra ante nostram cooperationem futuram,fol.211

TRACTATVS DE Trinitate.

Disp.1. de processione diuinarum personarum.

Dif.1. Vtrùm in Deo sint processiones immanentes.fo.214.
Diffi.2. Vtrùm processiones diuinæ sint actus intellectus, & voluntatis.fol.215.
Diffi.3. Per quos actus intellectus,& voluntatis procedant Filius, & Spiritus sanctus fol.218.
Dif.4. Quo modo in Patre æterno distinguatur intellectio essentialis à notionali.fol.219.
Diffic.5. Vtrum in diuinis origines actiuæ distinguantur à passiuis. fol.220.
Dif.6. Vtrùm in diuinis processio Verbi sit generatio, fo.222.
Dif.7. Vtrum processio Spiritussancti sit generatio.fol.223
Diffi.8. Vtrùm in Deo sit potentia realis ad productiones diuinarũ personarum.fol.226.
Diffic.9. Vtrùm in Deo sit formaliter potentia productiua ad intra. fol.226.
Dif.10. Vtrùm personæ diuinæ sint æquales in omnipotẽtia.fo.229
Dif.11. Qui sit terminus formalis productionis notionalis.fo.230.
Diffi.12. Quid significet particula *de*, cum Filius dicitur de substantia Patris.fol.231.
Dif.13. Quo modo actus voluntatis se habeat circa origines, seu actus notionales.fol.232.
Dif.14. Vtrùm processiones diuinarum personarum sint naturales, an liberæ.fol.233.

Disputatio 2. De relationibus diuinis.

Dif.1. Vtrùm in Deo sint relationes reales ad intra.fol.234.

Dif-

Diffic.2. Vtrùm dictæ relationes diuinæ ſint reales etiam ſecundum eſſe *ad*. fol.235.
Dif.3. Vtrum relationes reales originũ ſint tantũ quatuor fo 236.
Dif.4. Vtrum relatio ſpirationis actiuæ re ipſa diſtinguatur à paternitate, & filiatione. fol.237.
Dif.5. Vtrum relationes reales originis in Deo diſtinguantur realiter ab eſſentia diuina, tanquam res a re. fol.238.
Dif 6. Vtrum relationes diuinæ diſtinguantur aliquo modo ab eſſentia diuina. fol.239.
Dif.7. Vtrùm relatio diuina includat in ſuo conceptu obiectiuo eſſentiam diuinam. fol.242.
Dif.8. Vtrum relatio diuina includatur in conceptu obiectiuo eſſentiæ. fol.244.
Dif.9. Vtrum relatio prout diſtincta ab eſſentia ſit perfectio. fo.245
Diffi. 10. Vtrum relatio diuina, prout diſtincta ab eſſentia diuina, ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, fol.247.
Dif.11. Vtrum tres diuinæ relationes, ſeu perſonalitates, & perſonæ ſint tres res, & tria entia. fol.248.

Diſputatio 3. de perſona diuina in communi.

Dif.1. Vtrum perſona rectè definiatur à Boetio. fol.249.
Dif.2. Vtrum ratio perſonę conueniat Deo. fo.250.
Dif.3. Vtrum nomen *perſona* in diuinis ſignificet relationem, an ſubſtantiam. fol.250.
Dif.4. Vtrum nomen *perſona* in diuinis dicat rationem aliquam cõmunem tribus perſonis. fo 252.
Dif.5. Vtrum in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ fol. 255
Dif.6. Vtrũ ſit diſcrimẽ aliquod inter voces hypoſtaſis, & vſia. f.256.
Dif.7. Quot ſint in Deo ſubſiſtentiæ fo.256.
Dif.8. Quot ſint in Deo exiſtentiæ. fo.258.
Dif.9. Quot ſint in Deo durationes. fo.259.

Diſp. 4. de proprietatibus perſonalibus diuinarũ perſonarũ.

Dif.1. Vtrum in diuinis perſonis ſint proprietates perſonales, quibus conſtituantur, & mutuo diſtinguantur. fol.260.
Dif.2. Vtrum proprietates perſonales, quibus perſonæ cõſtituuntur & diſtinguuntur ſint abſolutæ. fol.261.
Dif.7. Vtrum proprietates conſtituentes perſonas diuinas ſint origines, an relationes fo. 263.
Dif.4. Quomodo relationes diuinæ poſsint eſſe proprietates conſtituentes, & diſtinguentes perſonas, fol.264.

Diſp.

Disp. 5. de cognoscibilitate mysterij Trinitatis.
Dif.1. Vtrum Philosophi Gentiles, habuerint notitiam aliquam mysterij Trinitatis. fol.267.
Dif.2. Vtrum in statu viæ possit, absque peculiari notitia à Deo infusa Trinitas personarũ euidẽter cognosci, quoad quæstionem an sit. fol.267.
Dif.3. Vtrum viatori possit à Deo cõmunicari notitia euidẽs propria, & quidditatiua Trinitatis non intuitiua, sed abstractiua distincta à visione beatifica. fol.268.
Dif.4 Vtrum viatori possit à Deo communicari notitia euidẽs Trinitatis abstractiua, quoad quæstionem an sit. fo.270.
Dif 5 Vtrum in Deo sint notiones. fol.272.
Dif.6. Quot sint notiones in Deo. fol.273.
Disputatio 6. de persona Patris.
Dif.1. Vtrum Pater sit principium deitatis. fol.274.
Dif.2. Quomodo principiũ, in Deo dicatur de principio notionali, & essentiali. fol.175.
Dif.3. Vtrũ Pater dicatur auctor, & causa Filij, & Spiritus sancti. f.276
Dif.4. Quomodo ingenitũ sit proprium personæ Patris. fo.276.
Disputatio 7. de persona Filij.
Dif.1. Vtrùm filius sit Deus eiusdem naturæ, seu substantiæ cum Patre. fo.278.
Dif.2. Vtrùm filius sit verè, & propriè Verbum. fol.278.
Diffi.3. Vtrum Verbum in Deo sit personale, an essentiale. fol.279
Dif.4. Vtrùm diuinum procedat, seu producatur ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo. fo 280.
Dif.5 Vtrũ verbũ procedat ex cognitione creaturarũ possibiliũ. f.282
Dif.6. Vtrũ Verbũ, procedat ex cognitione creaturarũ futurarum. fol.285.
Diffic.7. Quomodo Verbum diuinum dicat respectum ad Patrem proferentem. fol.285.
Dif.8. Ratione cuius conueniat Verbo respectus extrinsecus ad res ipso Verbo dictas à Patre. fol.286.
Dif.9. Vtrum Filius verè, & propriè sit imago Patris. fol.288
Dif.10. Vtrum in Deo solus Filius sit verè, & propriè imago. f.289.
Disp.8. de persona Spiritus sancti.
Dif.1. Vtrum Spiritus sanctus sit Deus. fol.290.
Dif.2. Vtrũ Spiritus sanctus nõ tãtũ à Patre, sed etiam à Filio procedat. fol.291.
Diffi.3. An Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur realiter ab eo. fol.292.

Dif-

Dif.4. Vtrũ Pater & Filius ſint vnũ principiũ Spiritus ſanctĩ. fol.295.
Dif.5. Vtrum Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſsionis exigat procedere à duobus ſpirantibus. fol.296.
Dif.6. Ex quarum rerum amore procedat Spiritus ſanctus fol.297.
Dif.7. Quomodo Pater, & Filius ſe diligunt Spiritus ſanctus. fo.298.
Dif.8. Vtrum Pater ſit ſapiens ſapientia genita. fol.300.
Dif.9. Vtrum eſſe donum ſit proprium Spiritus ſancti fol. 301.
Dif 10. Ratione cuius conueniat Spiritui ſancto eſſe ſpecialiter donum. fol. 302.

Diſp. 9. de identitate, æqualitate, ſimilitudine, proprietate & circumin ſeſsione perſonarum diuinarum.

Dif. 1. Vtrũ relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis inter diuinas perſonas ſint reales, an tantum rationis. fo. 302.
Dif. 2. Vtrũ inter perſonas diuinas ſit realis ordo prioris, & poſterioris. fol. 304.
Dif. 3. Vtrum inter origines ipſas ſit etiam realis ordo originis prioris, & poſterioris. fol. 305.
Dif. 4. Qua ratione vna perſona diuina ſit in alia. fol. 306.

Diſp. 10. de miſsione diuinarum perſonarum.

Dif. 1. Quid ſit miſsio diuinarum perſonarum fol. 306.
Dif 2. Quę perſona poſsit mittere aliam, & quæ perſona poſsit mitti ab alia fo. 308.
Dif 3. Ratione cuius effectus perſona mittatur. fol. 309.

Diſp. 11. de modo loquendi circa myſterium Trinitatis.

Dif. 1. Vnde deſumenda ſit vnitas, vel pluralitas concretorum ſubſtantiuorum. fol. 311.
Dif. 2. Vnde deſumenda ſit vnitas, vel pluralitas concretorum adiectiuorum, fol. 313.
Dif. 3. Vtrũ in diuiduũ deitatis nomine cõcreto *hic Deus*, ſignificatũ ſit prius ſecundum rationem perſonis diuinis. fol. 315.
Dif. 4. Vtrũ in Deo ſit indiuiduum ſpiratoris præintellectum duabus perſonis diuinis, & eis commune. fol. 316.
Diffic. 5. Quomodo vtendum ſit nominibus pluralitatis, & vnitatis circa myſterium Trinitatis. fo. 317.
Dif. 6. Vtrũ hæc propoſitio hic Deus, eſt hic Deus ſit vera. fol. 320.
Dif. 7. Vtrũ vtraque propoſitio, Deus generat, Deus nõ generat ſit vera, vel an vna ſit vera, & quæ, & altera ſit falſa, & quæ. fo. 320.
Dif. 8. Vtrum hæ propoſitiones eſſentia generat, eſſentia generatur ſint veræ. fol. 322
Difi. 9. Vtrum hæ propoſitio Deus creat ſit per ſe. fol. 323.

FINIS.

Signt.ª Top.ª
Est. 27
Tab. 3ª
Núm. 8

IVRTAD

DE

Deo

2777